CARMINA
ILLVSTRIVM POETARVM ITALORVM.

IO. MATTHAEVS TOSCANVS conquiſiuit, recenſuit, bonam partem nunc primum publicauit.

TOMVS SECVNDVS.

AD IOANNEM AVRATVM POETAM REGIVM.

LVTETIAE,
Apud Aegidium Gorbinum, e regione Collegij Cameracenſis.
CIↃ. IↃ. LXXVII.
Cum Priuilegio.

Priuilegij ſumma.

NE *quis præter Aegid. Gorbinum, ante decennium in Gallia imprimat, alibive impreſſa diuẽdat,* Carmina illuſtrium poëtarum Italorum, a Io. Ma. Toſcano in tres Tomos diſtincta, *Regis priuilegio prohibetur. Qui ſecus faxit, pœnis mulctabitur ipſo priuilegio comprehenſis.*

Hic Tomus excudi deſijt XIV KAL. *Decemb.* CIↃ. IↃ. LXXVI.

Tertium Tomum iam editioni paratum, negotiis ita iubẽtibus, in aliud tempus diſtulimus vna cum Marulli poëmatis ab ipſo autore recognitis & auctis publicandum.

IO. MATTHÆVS TOSCANVS AD IOANNEM Auratum Poëtam. Regium.

SEnex optime, Galliarum ocelle,
Et Graiæ ſimul & ſimul Latinæ
Muſæ delicium, facetiarum
Et ſcitiſsimus artifex leporum,
Vates Regie, rex & ipſe vatum,
Vnus qui patriæ paris poetas:
Tibi hos candidulos venuſtuloſque,
Queis nil candidius venuſtiusve
Vates, Italiáque noſtra alumnos
Dignos mittimus, atque dedicamus:
Non limam vt ſubeant tuam, nec illos
Acri vt iudicio tuo approbatos
Legat poſteritas magis libenter,
Non vt inuidiæ procul malignos
Dentes amoueas: nihil neceſſe eſt.
Sed ſummos ideo damus poetas
Legendos tibi maximo poetæ,
Illud vt doceam perenne in æuum,
Tam culta lepidáque lectione
Dignos non niſi maximos poetas.

NAta ſub Auſonio ſunt hæc quoq; carmina cælo,
Quæ ſerie, ſed non arte, ſecunda damus,
Soli AVRATE tibi, vel ſiquibus edita nuper
Compoſitis rugas explicuere modis.
Scilicet hoc melius, quàm ſi nil tale probantis
Noſtra Midæ ſurdis auribus occinerem.
De quo nil veteres vates finxiſſe, trecentis
Heu fœcunda Midis ſæcula noſtra probant,
Omnibus Auguſtis & Mæcenatibus orba,
Sæcla, quibus Muſis nulla ſecunda minus.
Cruda puella viro, quæ Theſſala rura pererrans
Nunc violas, docto nunc metit ungue roſas,
Florilegáque manu prati populatur honores,
Vt det amatrici vincula grata comæ:
Si furiis impulſa malis, vel mente ſiniſtra
Cœnoſæ obiiciat florea ſerta ſui,
Quæ prius artifici dum pollice contexebat
Decrerat placito mittere dona proco:
Virginis inſanos non deteſteris amores,
Dignáque non illa munera ſorte putes?
Et dubitamus adhuc inſanos dicere vates,
Munera deterius qui meliora locant?
Quorum ego ſi prauum ſim morē forte ſequutus,
Errorem facto nobiliore tegam,
Te ſiquidem noſtra nec munere dignior alter:
Digna magis poterant nec tibi dona dari.

Eiuſdem Toſcani, ad Lectorem.

Roma armis terras, ratibúſque ſubegerat vndas,
Imperij atque orbis terminus vnus erat.
Ipſius caput Italiæ tunc maxima Roma:
Terrarúmque caput tunc erat Italia.
At nunc barbaricos ter paſſa quatérque furores,
Tot ſpoliata opibus, tot viduata viris
Amplius Italia eſt terrarum nec caput ipſa,
Ipſius Roma eſt nec caput Italiæ.
Hoc igitur fluxas & opes, & bellica quicquid
Vis ſtabilit fluxum, fluxáque regna docet.
Nec tamen imperium quæ vis euertit auitum
Tantundem obtinuit iuris in ingenia:
Bellica ſed quicquid peperit violentia, lapſum eſt,
At manet æternum nobile pacis opus.
Hæcq; ſuos pariunt felicia ſæcla Catullos,
Naſonéſque ſuos, Virgilióſque ſuos.
Vt quantum imperio iacturæ fecerit ora
Auſoniæ, tantum ſarciat ingeniis,
Illa quibus caput Italiæ *eſt nunc maxima Roma,*
Ipſáque terrarum nunc caput Italia.

P. GERARDI VAXIS, ad Lectorem.

MVnere quorum omnes vulgatur clara per oras
Ipſa ſuis debet vatibus Italia.
Munere ſed quorum tam culta poëmata voluis,
Vatibus & debes lector, & Italiæ.
His tamen eſt quantò Toſcani gratia maior,
Cui debent vates, lector & Italia?

Index autorum.

Hieronymus Fracaſtorius.	fol. 2.
Angelus Politianus.	56.
Iacobus Sadoletus.	132.
Aonius Palcarius.	144.
Iulius Camillus.	153.
Hippolytus Capilupus.	156.
Iacobus Bonfadius.	169.
Paullus Manutius.	171.
Petrus Myrteus.	173.
Bloſius Palladius.	177.
Franciſcus Panigarola.	178.
Camillus Paleotus.	180.
Claudius Tolomeus.	187.
Antonius Caracciolus.	ibidem.
Auguſtus Cocceianus.	188.

Baſilius Zanchus. ibidem.
Petrus Zanchus 189.
Gabriel Altilius ibidem.
Io. Antonius Vulpa. 194.
Ludouicus Fenarolus. 201.
Angelus Colotius. 202.
Petrus Curſius. 203.
Io. Franciſcus Binus. 204.
Tryphon Bentius. 204.
Aloiſius Priulus. 106.
Ioannes Chryſoſtomus. 208
Franciſcus Bellinus. 209.
Bernardinus Parthenius. 209.
Vbaldus Genuenſis. 211.
Io. Baptiſta Sanga 212.
Bernardus Baldinus. 212.
Io. Baptiſta Pius. 213.
Ianus Laſcaris. 213.
Pomponius Gauricus. 214.
Octauianus Maninus. 214.
Frizolius. 217.
Ioannes Tonſus. 219.
Hieronymus Vicecomes. 226.
I. Aſcanius Tuccius. 227.
Ant. Sebaſtianus Minturnus. 228
Andreas Dactius. 235.
Franciſcus Franchinus. 244.
Ludouicus Areoſtus. 293.
Marius Molſa. 272.

Ioannes Caſpareus. 274.
Io. Antonius Taygetus. 275.
Daniel Ceretus. 283.
Io. Angelus Taygetus. 286.
Io. Baptiſta Pigna. 287.
Gabriel Faernus. 305.
Guidus Poſthumus. 307.
Lælius Capilupus. 308.
Hercules Stroza. 351.
Titus Stroza. 254.
Cardinalis Boba. 258.
Antonius Vacca. 259.

FINIS.

HIERONYMI FRA-
CASTORII POETARVM
noſtri ſæculi verè principis
Poëmata.

I. M. TOSCANI.

Qui Fracaſtorium titulo fortaſſe negabit,
Quem vati tribuit pagina noſtra, parem,
Aut non Pieriam guſtauerit, ille, Marone
Qua dempto nulli vena ſecunda fluit:
Aut ſi guſtarit, nec mecum ſentiat, ille
Iam penitus guſtu iudicióque caret.

Digitized by Google

EX HYPERCRITICO
I. C. Scaligeri.

Ad Hieronymum Fracaſtorium tandem aliquando deuentum eſt. in quo cùm nihil ſoleam deſiderare, admirationi potius erit locus quàm caſtigationi. Diuinum igitur Poëma cùm ſit eius Syphilis, &c.

HIERONYMI FRA-caſtorij Syphilidis, ſiue morbi Gallici lib. tres, ad Petrum Bembum.

LIBER PRIMVS.

QVI caſus rerum varij, quæ ſemina morbũ
Inſuetum, nec lõga vlli per ſæcula viſum
Attulerint: noſtra qui tẽpeſtate per omnẽ
Europam, partimque Aſiæ, Libyæq; per vrbes
Sæuijt: in Latium verò per triſtia bella
Gallorum irrupit, noménque a gente recepit:
Necnon & quæ cura, & opus, quid comperit vſus,
Magnáque in anguſtis hominum ſollertia rebus,
Et monſtrata Deum auxilia, & data munera cæli
Hinc canere, & longè ſecretas quærere cauſſas
Aëra per liquidum, & vaſti per ſidera Olympi
Incipiam: dulci quando nouitatis amore
Correptum, placidi naturæ ſuauibus horti
Floribus inuitant, & amantes mira Camenæ.
BEMBE decus clarũ Auſoniæ, ſi fortè vacare
Conſultis Leo te a magnus pauliſper, & alta
Rerum mole ſinit, totum qua ſuſtinet orbem:
Et iuuat ad dulces paulùm ſecedere Muſas:

Ne noſtros contemne orſus, medicúmque laborem,
Quidquid id eſt. Deus hæc quondam dignatus Apollo eſt:
Et paruis quoque rebus ineſt ſua ſæpe voluptas.
Scilicet hac tenui rerum ſub imagine multum
Naturæ, fatique ſubeſt, & grandis origo.
Tu mihi, quæ rerum cauſſas, quæ ſidera noſcis,
Et cœli effectus varios, atque aëris oras,
Vranie, (ſic dum puro ſpatiaris Olympo,
Metiriſque vagi lucentes ætheris ignes,
Concentu tibi diuino cita ſidera plaudant)
Ipſa ades, & mecũ placidas Dea lude per vmbras,
Dum tenues auræ, dum myrtea ſilua canenti
Aſpirat, reſonátque cauis Benacus ab antris.
Dic Dea, quæ cauſſæ nobis poſt ſæcula tanta
Inſolitam peperere luem? num tempore ab illo
Vecta mari occiduo noſtrum peruenit in orbem,
Ex quo lecta manus ſoluens de litore Ibero
Auſa fretum tentare, vagíque incognita ponti eſt
Æquora, & orbe alio poſitas perquirere terras?
Illic nanque ferunt æterna labe per omnes
Id morbi regnare vrbes, paßimque vagari
Perpetuo cœli vitio, atque ignoſcere paucis.
Commercine igitur cauſſa acceßiſſe putandum eſt
Delatam contagem ad nos, quæ parua ſub ipſis
Principiis, mox & vires & pabula ſenſim
Suſcipiens, ſeſe in terras diffuderit omnes?
Vt ſæpe in ſtipulas cecidit cùm fortè fauilla
De face, neglectam paſtor quam liquit in aruo,

Illa quidem tenuis primùm, ſimiliſque moranti
Incedit: mox, vt paulatim increuit eundo,
Tollitur, & victrix meſſem populatur & agros,
Vicinúmque nemus, flamáſque ſub æthera iactat.
Dat ſonitum longè crepitans Iouis auia ſilua,
Et cælum latè circùm, campíque relucent.
At verò, ſi rite fidem obſeruata merentur,
Non ita cenſendum: nec certe credere par eſt
Eſſe peregrinam nobis, transq; æquora vectam
Contagem: quoniam in primis oſtendere multos
Poſſumus, attactu qui nullius hanc tamen ipſam
Sponte ſua ſenſere luem, primíque tulere.
Præterea & tantum terrarum tempore paruo
Contages non vna ſimul potuiſſet obire.
Aſpice per Latij populos, quíque herbida Sagræ
Paſcua, & Auſonios ſaltus, & Iapygis oræ
Arua colunt: ſpecta, Tiberis quà labitur, & quà
Eridanus centum fluuiis comitatus in æquor,
Centum vrbes rigat, & placidis interfluit vndis:
Vno nónne vides vt tempore peſtis in omnes
Sæuijt? vt ſortem pariter tranſegimus vnam?
Quinetiam externos eadem per tempora primùm
Excepiſſe ferunt: nec eam cognouit Ibera
Gens prius, ignotum quæ ſcindere puppibus æquor
Auſa fuit, quàm quos diſterminat alta Pyrene,
Atque freta, atque Alpes cingunt, Rhenúſque bicornis:
Quã reliqui, quos lata tenet gelida ora ſub Arcto.
Tempore non alio Pœni ſenſiſtis, & omnes

Qui lætam Aegyptum metitis, fecundáque Nilo
Arua, & palmiferas ſiluas tondetis Idumes,
Quæ cùm ſic habeant ſeſe, nempe altius iſti
Principium labi, rerúmque latentior ordo,
(Ni fallor) grauiórque ſubeſt, & maior origo.
Principio quæq; in terris, quæq; æthere in alto
Atque mari in magno Natura educit in auras,
Cuncta quidem nec ſorte vna, nec legibus ijſdem
Proueniunt, ſed enim, quorum primordia conſtant
E paucis, crebrò ac paſſim pars magna creantur:
Rarius aſt alia apparent, & non niſi certis
Temporibúsve, locíſve, quibus violentior ortus,
Et longè ſita principia: ac nonnulla prius quàm
Erumpant tenebris & opaco carcere noctis,
Mille trahunt annos, ſpacioſáque ſæcula poſcunt.
Tanta vi coëunt genitalia ſemina in vnum.
Ergo & morborum quoniam non omnibus vna
Naſcendi eſt ratio, facilis pars maxima viſu eſt,
Et faciles ortus habet, & primordia præſto.
Rariùs emergunt alij, & poſt tempore longo
Difficiles cauſſas, & inextricabile fatum,
Et ſerò potuere altas ſuperare tenebras.
Sic elephas ſacer Auſoniis incognitus oris,
Sic Lichen latuere diu, quibus incola Nili
Gens tantùm, regióque omnis vicina laborat.
De genere hoc eſt dira lues, quæ nuper in auras
Exijt, & tandem ſeſe caligine ab atra
Exemit, duróſque ortus, & vincula rupit.
Quam tamen (æternum quoniam dilabitur æuũ)

Non ſemel in terris viſam, ſed ſæpe fuiſſe
Ducendum eſt, quanquam nobis nec nomine nota
Hactenus illa fuit: quoniam longæua vetuſtas
Cuncta ſitu inuoluens, & res, & nomina delet:
Nec monumenta patrum ſeri videre nepotes.
Oceano tamen in magno ſub Sole cadente,
Quà miſera inuentum nuper gens accolit orbem,
Paſsim oritur, nulliſque locis non cognita vulgo eſt.
Vſqueadeo rerum cauſſæ, atque exordia prima
Et cælo variare, & longo tempore poſſunt.
Quodq; illic fert ſponte aër, & idonea tellus,
Huc tandem annorum nobis longa attulit ætas.
Cuius fortè ſuo ſi cunctas ordine cauſſas
Noſſe cupis, magni primùm circunſpice mundi
Quantum hoc infecit vitium, quot adiuerit vrbes.
Cúmque animaduertas tam vaſtæ ſemina labis
Eſſe nec in terræ gremio, nec in æquore poſſe,
Haud dubiè tecum ſtatuas reputéſque neceſſe eſt,
Principium ſedémque mali conſiſtere in ipſo
Aëre, qui terras circum diffunditur omnes,
Qui nobis ſeſe inſinuat per corpora vbique,
Suetus & has generi viuentum immittere peſtes.
Aër quippe pater rerum eſt, & originis auctor.
Idem ſæpe graues morbos mortalibus affert,
Multimodè natus tabeſcere corpore molli,
Et facilè affectus capere atque inferre receptos.
Nunc verò, quonam ille modo contagia traxit,
Accipe: quid mutare queant labentia ſæcla.
In primis tum Sol rutilus, tum ſidera cuncta

Tellurem, liquidáſque auras, atque æquora ponti
Immutant, agitántque: vtq; ipſo ſidera cælo
Mutauere vicem, & ſedes liquere priores,
Sic elementa modis variis ſe grandia vertunt.
Aſpice, vt hibernus rapidos vbi flexit in Auſtrũ
Phœbus equos noſtrúmque videt depreſsior orbem,
Bruma riget, durátque gelu, ſpargitque pruina
Tellurem, & gelida glacie vaga flumina ſiſtit.
Idem, vbi nos Cancro propior ſpectauit ab alto,
Vrit agros, arent nemora, & ſitientia prata,
Siccáque puluereis æſtas ſqualeſcit in aruis.
Nec dubium, quin & noctis nitor, aurea Luna,
Cui maria alta, omnis cui rerum obtẽperat humor,
Quin & Saturni graue ſidus, & æquior orbi
Stella Iouis, quin pulcra Venúſq; & Martius ignis,
Ac reliqua aſtra etiam mutent elementa, trahãtq;
Perpetuum, & latè magnos dent vndique motus:
Præcipuè ſedem ſi quando plurima in vnam
Conuenere, ſuo vel multum deuia curſu
Longè alias tenuere vias. hæc ſcilicet annis
Pluribus, & rapidi poſt multa volumina cæli
Eueniunt, Diis fata modis voluentibus iſtis.
Vt verò eueniſſe datum eſt, numerumq;, diéſque
Exegere ſuos, præfixáque tempora fatis,
Prô quanta aërios tractus, ſalſa æquora quanta,
Tellurémque manent: alibi quippe omnia latè
Cogentur ſpatia in nubes, cælum imbribus omne
Soluetur, ſummiſque voluti montibus amnes
Præcipites ſecum ſiluas, ſecum aſpera ſaxa,

Secū armenta trahēt : medius pater impete magno
Aut Padus, aut Ganges ſuper & nemora alta, domóſque
Turbidus, æquabit pelago freta lata ſonante.
Æſtates alibi magnæ condentur, & ipſæ
Flumina ſpeluncis flebunt arentia nymphæ.
Aut venti cuncta inuertent, aut obyce clauſi
Excutient tellurem imam, & cum turribus vrbes.
Forſitan & tempus veniet, poſcentibus olim
Natura, fatiſque Deûm, cùm non modò tellus
Nunc culta, aut obducta mari, aut deſerta iacebit,
Verùm etiam Sol ipſe nouum (quis credere poßit)
Curret iter, ſua nec per tempora diffluet annus.
Aſt inſueti æſtus, inſuetáque frigora mundo
Inſurgent, & certa dies animalia terris
Monſtrabit noua, naſcentur pecudéſque, feræq;
Sponte ſua, primáque animas ab origine ſument.
Forſitan & maiora audens producere tellus
Cœúmque, Enceladúmque feret, magnúmque Typhoëa
Auſuros patrio ſuperos detrudere cælo,
Conuulſúmque Oſſan nemoroſo imponere Olympo.
Quæ cùm perſpicias, nihil eſt, cur tempore certo
Admirere nouis magnum marceſcere morbis
Aëra, contagéſque nouas viuentibus ægris
Sidere ſub certo fieri, & per ſæcula longa.
Bis centum fluxere anni, cùm flamea Marte
Lumina Saturno triſti immiſcente, per omnes
Auroræ populos, per quæ rigat æquora Ganges,

Inſolita exarſit febris, quæ pectore anhelo
Sanguineum ſputum exagitans (miſerabile viſu)
Quarta luce frequens fato perdebat acerbo.
Illa eadem Aſſyriæ gentes, & Perſidos, & quæ
Euphratem, Tigrímque bibunt, poſt tempore paruo
Corripuit, ditéſque Arabas, mollémque Canopum:
Inde Phrygas, inde & miſerum trãs æquora vecta
Infecit Latium, atque Europa ſæuiit omni.
Ergo age iam mecum, ſemper ſeſe æthera circum
Voluentem, ſuperúmque domos, ardentiáque aſtra
Contemplare, animumq́; agitans per cuncta, requi-
re,
Quis ſtatus illorum fuerit, quæ ſigna dedere
Sidera, quid noſtris cælum portenderit annis
Hinc etenim tibi forte nouæ contagis origo
Omnis, & euentus tanti via prima pateſcet.
Aſpice, candentes magni quà Cancer Olympi
Excubat ante fores, & brachia pandit aperta.
Hinc diræ facies, hinc ſe diuerſa malorum
Oſtendent portenta: vna hac ſub parte videbis
Magna coiſſe ſimul radiis ardentibus aſtra,
Et coniuratas ſparſiſſe per aëra flamas:
Flamas, quas longè tumulo Sirenis ab alto
Proſpiciens ſenior vates, quem dia per omnes
Cælicolúmque domos duxit, docuitque futura
Vranie: miſeras, inquit, defendite terras
O ſuperi, inſolitam video per inania ferri
Illuuiem, & magnos cæli tabeſcere tractus.
Bella etiam Europæ miſeræ, bella impia, & agros

Auſoniæ paßim currentes ſanguine cerno:
Dixit, & illa etiam ſcriptis ventura notauit.
Mos ſuperûm eſt, vbi ſæcla vagus Sol certa peregit,
Ab Ioue decerni fata, & cuncta ordine pandi,
Quæcunque euentura manent terráſque, polumq́;.
Quod tempus cùm iam noſtris venientibus annis
Inſtaret, rerum ſummus ſator, & ſuperum rex
Iupiter acciri ſocios in rebus agendis
Saturnum, Martémque iubet: bipatentia Cancer
Limina portarum reſerat, Diiſque atria pandit.
Conueniunt, quibus eſt fatorum cura gerenda.
Impiger ante alios flamis ferróque coruſcans
Bellipotens Mauors, animis cui prælia & arma,
Vindictæq; manent, & ouantes ſanguine cædes.
Poſt placidus curru inuectus rex Iupiter aureo
Inſequitur (ni fata obſtent) pater omnibus æquus.
Poſtremus, longáque via tardatus & annis
Falcifer accedit ſenior, qui haud immemor iræ
In gnatum veteris, gnato & parêre recuſans,
Sæpè etiam ceßit retro, & veſtigia torſit,
Multa minans, multũq; animo indignatus iniquo.
Iupiter at ſolio ex alto, quo ſe ſolet vno
Tollere, percenſet fata, & ventura reſoluit,
Multum infelicis miſerans incommoda terræ,
Belláque, fortunáſque virûm, caſuráque rerum
Imperia, & prædas, adapertáque limina morti:
In primis ignota noui contagia morbi:
Morbi, qui humanæ nulla manſueſcat opis vi.

Aſſenſere Dei reliqui: concuſſus Olympus
Intremuit, tactúſque nouis defluxibus æther.
Paulatim aërij tractus, & inania lata
Accepere leuem, vacuáſque inſuetus in auras
Marcor ijt, cælúmque tulit contagia in omne.
Siue quòd ardenti tot concurrentibus aſtris
Cum Sole, e pelago multos terráque vapores
Traxerit ignea vis, qui miſti tenuibus auris
Correptique nouo vitio, contagia viſu
Perrara attulerint: aliud ſiue æthere ab alto
Demiſſum latè aërias corruperit oras.
Quãquam animi haud fallor, quid agat, quóue ordine cælum
Dicere, & in cunctis certas perquirere cauſſas
Difficile eſſe: adeò interdum per tempora longa
Effectus trahet, interdum (quod fallere poßit)
Miſcentur ſors, & varij per ſingula caſus.
Nunc agè, non id te lateat, ſuper omnia miram
Naturam, & longè variam contagibus eſſe.
Solis nam ſæpe arboribus fit noxius aër,
Et tenerum germen, florúmque infecit honorem:
Interdum ſegetem, & ſata læta, annique labores
Corripuit, ſcabráque vſsit rubigine culmos,
Et vitiata parens produxit ſemina tellus.
Interdum pœnas animalia ſola dedere,
Aut multa, aut certa ex ipſis. memini ipſe malignã
Luxuriem vidiſſe anni, multóque madentem
Autumnum perflatum Auſtro, quo perditus omne
Caprigenum genus e cunctis animantibus vnum

Corruit. a ſtabulis lætas ad pabula paſtor
Ducebat: tum fortè, alta ſecurus in vmbra
Dum caneret, tenuique gregem mulceret auena,
Ecce aliquam tuſsis ſubitò irrequieta tenebat,
Nec longè mora mortis erat: nanque acta repentè
Circùm præcipiti lapſu, reuomenſque supremam
Ore animam, ſocias inter moribunda cadebat.
Vere autem (dictu mirum) atque æſtate ſequenti
Infirmas pecudes, balantúmque horrida vulgus
Peſtis febre mala miſerum pæne abſtulit omne.
Vſqueadeo varia affecti ſunt ſemina cæli,
Et variæ rerum ſpecies, numerúſque viciſsim
Inter mota ſubeſt, intérque mouentia certus.
Nónne vides, quamuis oculi ſint pectore anhelo
Expoſiti molléſque magis, non attamen ipſos
Carpere tabem oculos, ſed ſeſe immergere in imum
Pulmonem? & pomis quanquam ſit mollior vua,
Non tamen is vitiatur, at ipſa liuet ab vua.
Nempe alibi vires, alibi ſua pabula deſunt:
Aſt alibi mora certa, nec ipſa foramina multum
Non faciunt, hinc denſa nimis nimis inde ſoluta.
Ergo contagum quoniam natura, genúſque
Tam variū eſt, & multa modis ſunt ſemina miris,
Contemplator & hanc, cuius cæleſtis origo eſt:
Quæ, ſicut deſueta, ita mira erupit in auras.
Illa quidem non muta maris, turbámque natantū,
Non volucres, non brutæ altis errantia ſilnis,
Non armenta boum, pecudéſue, armentáue equorū
Infecit, ſed mente ingens ex omnibus vnum

Humanum genus, & noſtros eſt paſta ſub artus.
Porrò homine e toto, quod in ipſo ſanguine craſſum
Et ſordens lentore foret, fœdiſsima primùm
Corripuit, ſeſe paſcens vligine pingui.
Tali ſe morbus ratione & ſanguis habebant.
Nunc ego te affectus omnes, & ſigna docebo
Contagis miſeræ: atque vtinam concedere tantum
Muſa queat, tantúmque velit defendere Apollo,
Tempora qui longa euoluit, cui carmina curæ,
Hæc multas monumenta dies vt noſtra ſuperſint.
Forte etenim noſtros olim legiſſe nepotes,
Et ſigna, & faciem peſtis nouiſſe iuuabit.
Nanque iterũ, cùm fata dabunt, labentibus annis
Tempus erit, cùm nocte atra ſopita iacebit
Interitu data: mox iterum poſt ſæcula longa
Illa eadem exſurget, cælúmque, auráſque reuiſet,
Atque iterum ventura illam mirabitur ætas.
In primis mirum illud erat, quòd labe recepta,
Sæpe tamen quater ipſa ſuum compleuerat orbem
Luna prius quàm ſigna ſatis manifeſta darentur.
Scilicet extemplo non ſeſe prodit apertè
Vt ſemel eſt excepta intus, ſed tempore certo
Delitet, & ſenſim vires per pabula captat.
Interea tamen inſolito torpore grauati,
Sponteque languentes animis & munera obibant
Aegriùs, & toto ſegnes ſe corpore agebant.
Ille etiam ſuus ex oculis vigor, & ſuus ore
Deiectus color haud læta de fronte cadebat.
Paulatim caries fœdis enata pudendis,

Hinc atque hinc inuicta locos, aut inguen edebat.
Tum manifeſta magis vitij ſe prodere ſigna.
Nam, ſimulac pura fugiens lux alma diei
Ceſſerat, & noctis triſtes induxerat vmbras,
Innatúſque calor noctu petere intima ſuetus
Liquerat extremum corpus, nec membra fouebat
Obſita mole pigra humorum, tum vellier artus
Brachiáque, ſcapuleq́;, graui, ſuraq́; dolore.
Quippe vbi, per cunctas ierant contagia venas,
Humorésque ipſos, & nutrimenta futura
Polluerant, Natura malum ſecernere ſueta
Infectam partem pellebat corpore ab omni
Exterius: verum craſſo quia corpore tarda
Hæc erat, & lentore tenax, multa inter eundum
Hærebat membris exſanguibus, atque lacertis.
Inde graues dabat articulis extenta dolores.
Parte tamen leuiore, magíſque erumpere nata,
Summa cutis pulſa, & mẽbrorum extrema petebat.
Protinus informes totum per corpus achores
Rumpebant, faciémque horrendã, & pectora fœdè
Turpabant: ſpecies morbi noua: puſtula ſummæ
Glandis ad effigiem, & pituita marcida pingui:
Tempore quæ multo non poſt adaperta dehiſcens,
Mucoſa multum ſanie, tabóque fluebat.
Quinetiam erodens altè, & ſe funditus abdens
Corpora paſcebat miſerè: nam ſæpius ipſi
Carne ſua exutos artus, ſqualentiáque oſſa
Vidimus, & fœdo roſa ora dehiſcere hiatu,
Ora, atque exiles reddentia guttura voces.

Tum ſæpè aut cераſis, aut Phyllidis arbore triſti
Vidiſti pinguem ex vdis manare liquorem
Corticibus, mox in lentum dureſcere gummi.
Haud ſecus hac ſub labe ſolet per corpora mucor
Diffluere: hinc demum in turpem cōcreſcere callum.
Vnde aliquis ver ætatis, pulcrámque iuuentam
Suſpirans, & membra oculis deformia toruis
Proſpiciens, fœdóſque artus, turgentiáque ora,
Sæpe Deos, ſæpe aſtra miſer crudelia dixit.
Interea dulces ſomnos, noctiſque ſoporem
Omnia per terras animalia feſſa trahebant:
Illis nulla quies aderat, ſopor omnis in auras
Fugerat: iis oriens ingrata Aurora rubebat:
Iis inimica dies, inimicáque noctis imago.
Nulla Ceres illos, Bacchi non vlla iuuabant
Munera: non dulces epulæ, non copia rerum.
Non vrbis, non ruris opes, non vlla voluptas,
Quamuis ſæpe amnes nitidos, iucundáque Tempe,
Et placidas ſummis quæſiſſent montibus auras.
Diis etiam ſparſæque preces, incenſaque templis
Tura, & diuitibus decorata altaria donis:
Dij nullas audire preces, donis ve moueri.
Ipſe ego Cænomanū memini, quà pinguia diues
Paſcua Sebina præterfluit Ollius vnda,
Vidiſſe inſignem iuuenem, quo clarior alter
Non fuit, Auſonia nec fortunatior omni:
Vix pubeſcentis florebat vere iuuentæ,
Diuitiis, proauiſque potens, & corpore pulcro:
Cui ſtudia aut pernicis equi compeſcere curſum,

Aut galeā induere, & pictis ſplendeſcere in armis,
Aut iuuenile graui corpus durare palæſtra,
Venatúque feras agere, & præuertere ceruos:
Illum omnes Ollique Deæ, Eridaníque puellæ
Optarunt, nemorúmque Deæ, ruriſque puellæ,
Omnes optatos ſuſpirauere Hymeneos.
Forſan & vltores ſuperos neglecta vocauit
Nō nequidquā aliqua, & votis pia numina mouit.
Nam nimiū fidentem animis, nec tanta timentem
Inuaſit miſerum labes, qua ſæuior vſquam
Nulla fuit, nulla vnquam aliis ſpectabitur annis.
Paulatim ver id nitidum, flos ille iuuentæ
Diſperijt. vis illa animi: tum ſqualida tabes
Artus (horrendum) miſeros obduxit, & altè
Grandia turgebant fœdis abſceſſibus oſſa.
Vlcera (prô Diuûm pietatem) informia pulcros
Paſcebant oculos, & diæ lucis amorem,
Paſcebántque acri corroſas vulnere nares.
Illum Alpes vicinæ, illum vaga flumina flerunt.
Illum omnes Ollique Deæ, Eridaníque puellæ
Fleuerunt, nemorúmque Deæ, ruriſque puellæ:
Sebinúſque alto gemitum lacus edidit amne.
Ergo hanc per miſeras terras Saturnus agebat
Peſtem atrox, nec ſæua minus crudelis & ipſe
Miſcebat Mauors, coniunctáque fata ferebat.
Quippe lue hac naſcente putem ſimul omnia diras
Eumenidas cecíniſſe fera & crudelia nobis.
Tartareos etiam barathro dira omnia ab imo
Exciuiſſe lacus, Stygiáque ab ſede laborem,

Peſtémque, horribilemq́;, famē, bellumq́;, necemq́;.
Dij patrij, quorum Auſonia eſt ſub numine, tuq́;
Tu Latij Saturne pater, quid gens tua tantum
Eſt merita? an quidquã ſupereſt dirique, grauíſque,
Quod ſit inexhauſtũ nobis? ecquod genus vſquam
Auerſum vſqueadeò cælum tulit? ipſa labores
Parthenope dic prima tuos, dic funera Regum,
Et ſpolia, & prædas, captiuáque colla tuorum.
An ſtragem infandã memorē, ſparſúmque cruorem
Gallorúmque, Italúmque pari diſcrimine, cùm iam
Sanguineũ, & defuncta virûm, defunctaq́; equorũ
Corpora voluentē, criſtáſque, atque arma trahentē
Eridanus pater acciperet rapido agmine Tarrum?
Te quoque ſpumantē, & noſtrorũ cæde tumentem
Abdua non multo poſt tempore, te pater idem
Eridanus gremio infelix. ſuſcepit, & altum
Indoluit tecum, & fluuio ſolatus amico eſt.
Auſonia infelix, en quò diſcordia priſcam
Virtutem, & mundi imperium perduxit auitum.
Angulus anne tui eſt aliquis, qui barbara non ſit
Seruitia, & prædas, & triſtia funera paſſus?
Dicite vos, nullos ſoliti ſentire tumultus
Vitiferi colles, quâ flumine pulcer amœno
Erethenus fluit, & plenis lapſurus in æquor
Cornibus, Euganëis properat ſe iungere lymphis.
O patria, o longùm felix, longúmque quieta
Ante alias, patria o Diuûm ſanctiſsima tellus,
Diues opum, fecunda viris, lætiſsima campis
Vberibus, rapidóque Atheſi, & Benacide lympha,

Aerumnas memorare tuas, ſummámque malorum
Quis queat, & dictis noſtros æquare dolores,
Et turpes ignominias, & barbara iuſſa?
Abde caput Benace, tuo & te conde ſub amne,
Victrices nec iam Deus interlabere lauros.
En etiam, ceu nos agerent crudelia nulla,
Nec lacrymæ, planctus ve forent, en dura tot inter,
Spes Latij: ſpes & ſtudiorum, & Palladis illa
Occidit: ereptum Muſarum e dulcibus vlnis
Te miſerum ante diem crudeli funere Marce
Antoni, ætatis primo ſub flore cadentem
Vidimus extrema poſitum Benacide ripa,
Quam media inter ſaxa ſonans ſacra abluit vnda.
Te ripæ fleuere Atheſis, te voce vocare
Auditæ per noctem vmbræ, Manéſque Catulli,
Et patrios mulcere noua dulcedine lucos.
Tempeſtate illa Auſoniam Rex Gallus opimã
Vertebat bello, & Ligurem ditione premebat.
Parte alia, Cæſar ferro ſuperabat & igni
Euganeos, placidúmque Silim, Carnumque rebellẽ:
Et totum luctus Latium, mærórque tenebat.

LIBER SECVNDVS.

NVnc age, quæ vitæ ratio, quæ cura adhibenda
Perniciẽ aduerſus tantã, quid tẽpore quoque
Conueniat (noſtri quæ pars eſt altera cœpti)
Expediam & miranda hominũ comperta docebo.
Quippe noua cùm re attoniti, multa inuenta primùm

Tentaſſent tamen anguſtis ſollertia maior
In rebus, creſcénſque vſu experientia longo
Fuicere: datúmque homini protendere longè
Auxilia, & certis peſtem compeſcere vinclis,
Victorem & ſeſe claras attollere in auras.
Credo equidem & quædam nobis diuinitus eſſe
Inuenta, ignaros fatis ducentibus ipſis.
Nam. quanquam fera tempeſtas, & iniqua fuerũt
Sidera, non tamen omnino præſentia Diuûm
Abſuit a nobis placidi & clementia cæli.
Si morbum inſolitum, ſi dura & triſtia bella
Vidimus, & ſparſos dominorum cæde penates,
Oppidáque, incenſáſque vrbes, ſubuerſáque regna,
Et templa, & raptis temerata altaria ſacris:
Flumina deiectas ſi perrumpentia ripas
Euertêre ſata, & mediis nemora eruta in vndis,
Et pecora, & domini, correptáque rura natarunt:
Obſedítque inimica ipſas penuria terras:
Hæc eadem tamen, hæc ætas (quod fata negarunt
Antiquis) totum potuit ſulcare carinis
Id pelagi, immenſum quod circuit Amphitrite.
Nec viſum ſatis extremo ex Atlante repoſtos
Heſperidũ penetrare ſinus, Praſſúmque ſub Arcto
Inſpectare alia, præruptáque litora Rhapti,
Atque Arabo aduehere, & Carmano ex æquore merces,
Auroræ ſed itum in populos Titanidis vſque eſt
Supra Indũ, Gangémque ſupra, quà terminus olim
Catygare noti orbis erat: ſuperata Cyambe,

Et dites ebeno, & ſelices macere ſiluæ.
Denique & a noſtro diuerſum gentibus orbem,
Diuerſum cælo, & clarum maioribus aſtris
Remigio audaci attigimus ducentibus & Diis.
Vidimus & vatem egregium, cui pulcra canenti
Parthenope, placidiſque cauo Sebethus ab antro
Plauſerunt, vmbræq; ſacri manéſque Maronis,
Qui magnos ſtellarum orbes cantauit, & hortos
Heſperidum, cælique omnes variabilis oras.
Te vero vt taceam, atque alios, quos fama futura
Poſt mutos cineres, quos & venientia ſæcla
Antiquis conferre volent, at B E M B E tacendus
Inter dona Deum nobis data non erit vnquam
Magnanimus L E O, quo Latium, quo maxima
Roma
Attollit caput alta, patérque exaggere Tibris
Aſſurgit, Romæque fremens gratatur ouanti.
Cuius ab auſpiciis iam nunc mala ſidera mundo
Ceſſere, & læto regnat iam Iupiter orbe,
Puráque pacatum diffundit lumina cælum.
Vnus, qui ærumnas poſt tot, longóſque labores
Dulcia iam profugas reuocauit ad otia Muſas,
Et leges Latio antiquas, rectúmque, piúmque
Reſtituit: qui iuſta animo iam concipit arma
Pro re Romana, pro relligione Deorum.
Vnde etiam Euphrates, etiam latè oſtia Nili,
Et tantum Euxini nomen tremit vnda refuſi,
Atque Aegæa ſuos confugit Doris in Iſthmos.
Ergo, alij dum tãta canent, dúmque illius acta

Inclyta component, dum fortè accingeris & tu
Condere, & æternu victurum intexere chartis,
Nos, quos fata vocant haud tanta ad munera, luſus
Inceptos, quantum tenuis fert Muſa, ſequamur.
Principio, quoniam affecti non ſanguinis vna
Eſt ratio, tibi ſit morbo ſpes maior in illo,
Sanguine qui inſedit puro: verùm, quibus atra
Bile tument, ſpiſſóque reſultant ſanguine venæ,
Maior in ijs labor eſt, peſtisq; tenacius hæret.
Quare operæpretium eſt validis, atque acribus vti
Omnibus hos contra, miſeris nec parcere membris.
Quinetiam meliora ſibi promittere cuncta
Ille poteſt, qui principijs nouiſſe ſub ipſis
Serpentem tacitè valuit per viſcera labem.
Nanque, vbi paſta diu, vires per pabula longa
Auxerit, & iam ſe vitium firmauerit intra,
Heu, quanto tibi libertas ſperanda labore eſt.
Erga omnem impendes operam te opponere paruis
Principijs, memoriq; animo hæc præcepta reconde.
In primis ego non omni te aſſueſcere cælo
Exhorter: fuge, perpetuo quod flatur ab Auſtro,
Quod cœno, immundæq; graue eſt ſudore paludis.
Protenti potiùs campi mihi liber & agri
Tractus, & apricis placeant in collibus auræ,
Et molles Zephyri, pulſúſque Aquilonibus aër.
Hæc (iubeo) tibi nulla quies, nulla otia ſunto.
Rumpe moras, agita aſſiduis venatibus apros
Impiger, aſſiduis agita venatibus vrſos.
Nec tibi ſit labor aërij curſu ardua montis

Vincenti, rapidum in valles deflectere ceruum,
Et longa luſtrare altos indagine ſaltus.
Vidi ego ſæpè malum, qui iam ſudoribus omne
Finiſſet, ſiluisque luem liquiſſet in altis.
Sed nec turpe puta dextram ſummittere aratro,
Et longum trahere incuruo ſub vomere ſulcum:
Néue bidente ſolùm, & duras proſcindere glebas,
Et valida aëriam quercum exturbare bipenni,
Atque imis altam eruere ab radicibus ornum.
Quinetiam, exercere domi quo te quoque poßis,
Paruam mâne pilam verſa mihi, Veſpere verſa,
Et ſaltu, & dura potes exudare palæſtra.
Vince malum: nec te fallat, quòd deſidis oti
Aßiduè deſiderium, lectique ſequetur.
Tu lecto ne crede, graui ne crede ſopori.
His alitur vitium, & placidæ ſub imagine pacis
Decidit, e dulcique trahit fomenta quiete.
Necnon interea effugito, quæ triſtia mentem
Sollicitant: procul eſſe iube curásque, metúmque
Pallentem, vltricéſque iras, omnémque Mineruæ
Addictum ſtudijs animum, ſed carmina, ſed te
Delectent inuentúmque chori, miſtæq; puellæ.
Parce tamen Veneri, mollesq; ante omnia vita
Concubitus: nihil eſt nocuum magis: odit & ipſa
Pulcra Venus, teneræ contagem odere puellæ.
Quod ſequitur, victus ratio tibi maxima habenda eſt,
Nec ſit cura tibi, néue obſeruantia maior.
Principiò, quoſcunque amnes, quoſcunque paludes,

Quóſque lacus liquidi paſcunt, quóſque æquora, piſces,
Omne genus procul amoueo. ſunt, quos tamen vſus
Liberius, cùm res cogit, concedere poßit.
Omnibus his eſt alba caro, non dura, tenáxque,
Quos petræ & fluuiorum aduerſa mariſq; fatigãt.
Tales nant pelago phycides, rutilæq; per vndas
Auratæ, gobijq;, & amantes ſaxea percæ.
Talis dulciſluum fluuiorum ſcarus ad ora
Solus ſaxa inter depaſtas ruminat herbas.
Sed neq;, quæ ſtagnis volucres, quæq; amnibus altis
Degere amãt, liquidiſque cibũ perquirere in vndis
Laudarim: tibi pinguis anas, tibi crudior anſer
Vitetur, potiúſque vigil Capitolia ſeruet:
Vitetúrque graui coturnix tarda ſagina.
Tu teneros lactes; tu pandæ abdomina porcæ,
Porcæ, heu, terga fuge, & lũbis ne veſcere aprinis,
Venatu quamuis toties confeceris apros.
Quin neque te crudus cucumis, non tubera captent
Néue famem cinara, bulbíſue ſalacibus exple.
Non placeat mihi lactis amor, non vſus aceti,
Non fumoſa mero ſpumantia pocula Baccho,
Qualia Cymæi colles, campique Falerni,
Et Vucinus ager mittunt: aut qualia noſtris
Rhætica dat paruo de collibus vua racemo.
Nempe Sabina magis placeant, dilutáque tellus
Quæ tulit, & multo domuerunt Naiades amne.
At, tibi ſi ex horto victus, menſæq; Deorum
Sunt animo atq; olerũ ſimplex & inẽpta voluptas,

Non mentæ virides, non læta ſiſymbria deſunt,
Intubáque, & toto florentes frigore ſonchi,
Et ſia fontanis ſemper gaudentia riuis,
Et thymbræ ſuaues, & odoriferæ calaminthæ:
Læta meliphylla, & riguo bugloſſus ab horto
Carpantur, pleniſque ferax erucula palmis,
Atque olus, atque rumex, & ſalſi gramina crithmi.
Ipſa lupum dumeta ferent: hinc collige primos
Aſparagos, albæ aſparagos hinc collige vitis,
Cum nondum explicuit ramos, vmbracula nondũ
Texuit, & virides iuſsit pendere corymbos.
Singula ſed longum eſt, nec percenſere neceſſe,
Iamq; aliud vocor ad munus, iuuat in noua Muſas
Naturæ nemora Aoniis deducere ab vmbris:
Vnde mihi ſi non e lauro intexere fronti
Serta volent, tantáque caput cinxiſſe corona,
At ſaltem obſeruata hominum tot millia, dignum
Cenſuerint querna redimiri tempora fronde.
Vere nouo, ſi quem morbus tenet, aut & in ipſo
Autumno, ſi firma ætas, ſi ſanguis abundat,
Regalem, mediámve lacerti incidere venam
Proderit, atque extra fœdatum haurire cruorem.
Præterea, quocunque habeat te tempore peſtis,
Corruptum humorem, & contagem educere turpẽ
Ne pigeat, facilique luem deponere ab aluo:
Ante tamen ducenda para: concreta reſolue,
Et craſſa attenua, & lentore tenacia frange.
Ergo Coriciúmque thymũ ſit cura, thymumq́;
Pamphylium, thymbræ ſimilis qui durior exit,

Prima tibi coxiſſe, lupique volubile gramen,
Fœniculumq́;, apiumq́;, & amari germina capni.
His polyporum hirtos imitata filicula cirros
Additur, & lymphis tangi renuens adiantus:
His ſterile aſplenum, his pictam phyllitida iunge:
Quorum vbi decoctum permultis ante diebus
Ebiberis, crudúmque humorem incoxeris omnem,
Tum ſcilla medicare acri, & colocynthide amara,
Elleboróque graui, necnon quæ in litore ſurgens,
Quà ludit maris vnda, ter euariata colorem,
Ter flores mutata die rem nomine ſignat,
Herba potens radice, ſuum cui zinziber adde:
Adde etiã anguineũ cucumin, Nabathæaq́; tura
Myrrhámque, bdelénque, hammoniaciq́; liquorẽ,
Et lacrymam panaceam, & dulci colchica bulbo.
His actis, ſi fortè tibi frigentia corda
Et molles animi fuerint, nec acerba placebit
In primis tentare, breuiq́; extinguere peſtem,
Sed placidis agere, & per tempora lenibus vti,
Tum ſupereſt tibi cura animum ad fomenta relicta
Vertere, contagisq́; ad tenuia ſemina cæca,
Illa quidem conſueta modis inſerpere miris.
Profuerint igitur, quæq́; exſiccantia, quæq́;
Marcori reſinoſa ſolent obſiſtere putri.
Tales ſunt myrrhæ lacrymæ, ſunt talia tura,
Cedrúſque, aſpalatúſque, immortalisq́; cupreſſus,
Et bene cum calamo ſpirans redolente cyperus.
Ergo nec deſint caſiæ, nec deſit amomum,
Macérue, agalocúmue tibi, nec cinnama odora.

Eſt etiam in pratis illud, iuxtáque paludes
Scordion, omnigenis quod tantum obſtare venenis,
Contagique ſolet, paruo quærenda labore
Herba tibi: viret ipſa comis imitata chamedryn,
Flore rubens, referensq; alli cum voce ſaporem.
Aurora naſcente huius frondémque comantem
Radicéſque coque, atque hauſtu te prolue largo.
Sed neque carminibus neglecta ſilebere noſtris
Heſperidum decus, & Medarum gloria citre
Siluarum: ſi fortè ſacris cantata poetis
Parte quoque hac medicā nō dedignabere Muſam.
Sic tibi ſit ſemper viridis coma, ſemper opaca,
Semper flore nouo redolens: ſis ſemper onuſta
Per viridem pomis ſiluam pendentibus aureis.
Ergo, vbi nitendum eſt cæcis te opponere morbi
Seminib[illegible] mira arbor Cithereïa præſtat.
Quippe il[illegible] Citherea, ſuum dum plorat Adonim,
Munere donauit multo, & virtutibus auxit.
Quorundam inuentum eſt, vitrëi intra conca-ua vaſis,
Cui collum oblōgum eſt venter turgeſcit in orbem,
Aut ederæ folia, aut Ida mittente maniplos
Dictami, Illyricámue irim, rhamnúue nigrantem
Radicem, aut inulas coquere: in ſublime ſolutus
Effertur vapor, & tenuis vacua omnia complet:
Aſt, vbi frigenti occurſauit ab aëre, vitro
Cogitur, & rorem liquidus denſatur in vdum,
Decurritq; vagis per aperta canalia riuis.
Deſtillantis aquæ cyathum ſub lumina prima

Luciferi potare iubent, ſtratiſque parare
Sudorem: nec certè ab re: vis vtilis olli eſt
Relliquias morbi tenues diſpergere in auras.
Intereà, ſi membra dolor conuulſa malignus
Torqueat, œſypo propera lenire dolorem,
Maſtichinóque oleo: lĕtum quibus anſeris vnguen,
Emulſúmque potes lini de ſemine mucum,
Narciſſumq́;, inulámque, liquentiaq́; addere mella,
Coryciúmque crocum & vilem cōponere amurcā.
At, fauces atque ora malus ſi eroſerit herpes,
Tange nitro, & viridi medicata ærugine lympha
Semina inure mala; & ſerpentem interfice peſtē.
Verùm ipſos ope non alia conſumere achores,
Vrentum quàm vi, poteris, quibus addere debes
Pingue aliquid, quod ſecum intus ſiccantia portet.
Hæc eadem, & miſeros artus ſi qua vlcera paſcunt,
Tollere, concretosq́; valebunt ſoluere nodos.
Si verò aut hæc nequidquam tentaſſe videbis,
Aut vires, animiq́; valent id fortia quæq́;,
Nec differre cupis, quin te committere acerbis
Feſtines, diramq́; breui conſumere peſtem,
Hinc alia inuenta expediam, quæ triſtia quantò
Sunt magis, hoc tantò citiùs finire labores
Ærumnasq́; mali poterunt: quippe effera labes
Inter prima tenax, & multo fomite viuax
Nedum ſe haud vinci placidis & mitibus, at nec
Tractari ſinit, & manſueſcere dura repugnat.
Sunt igitur ſtyracem in primis qui, cinnabarimq́;,
Et miniū, & ſtymmi agglomerāt, & tura minuta,

Quorum ſuffitu pertingunt corpus acerbo,
Abſumuntq; luem miſeram, & contagia dira.
At verò & partim durum eſt medicamen, & acre,
Partim etiam fallax, quo faucibus angit in ipſis
Spiritus, eluctanſq; animam vix continet ægram.
Quocirca totum ad corpus nemo audeat vti
Iudice me: certis fortaſſe erit vtile membris.
Quæ Papulæ informes, Cheroniaq; vlcera paſcunt.
Argento meliùs perſoluunt omnia viuo
Pars maior: miranda etenim vis inſita in illo eſt:
Siue quòd id natum eſt ſubitò frigusq;, caloremq;
Excipere, vnde in ſe noſtrum citò contrahit ignem,
Quódque eſt condenſum, humores diſſoluit, agitque
Fortius, vt candens ferrum flama acriùs vrit:
Siue acres, vnde id conſtat compagine mira,
Particulæ nexúque ſuo, vinclisque ſolutæ
Introrſum, vt potuere ſeorſum in corpora ferri,
Colliquant concreta, & ſemina peſtis inurunt.
Siue aliam vim fata illi, & natura dedere:
Cuius & inuentum medicamen munere Diuûm
Digreſſus reſeram. quis enim admiranda Deorum
Munera prætereat? Syriæ nam fortè ſub altis
Vallibus, vmbroſi nemora inter glauca ſalicti,
Callirhoë qua fonte ſonans decurrit amœno,
Fama eſt cultorem Dijs ſacri agreſtibus horti,
Cultorem nemorum, ſectatorémque ferarum,
Ilcea labe grauem tanta, dum molle cyperum,
Et caſiam, & ſiluam latè fragrantis amomi
Irrigat, hæc oraſſe Deos, & talia fatum.

Dÿ, quos ipſe diu colui, túque optima triſtes.
Callirhoë, quæ ſancta ſoles depellere morbos:
Cui nuper ramoſa ferens ego cornua cerui
Aëria victor fixi capita horrida quercu:
Dÿ mihi crudelem miſero ſi tollere peſtem
Hanc dabitis, quæ me affligat noctésque, diésque,
Ipſe ego purpureas, ipſe albas veris, & horti
Primitias, vobis violas, ego lilia vobis
Alba legam, primasq; roſas, primosq; hyacinthos,
Veſtráque odoratis onerabo altaria ſertis.
Gramen erat iuxtà viridans, ſic fatus, vt æſtu
Feſſus erat, viridi deſedit graminis herba.
Hic Dea, vicino quæ ſeſe fonte lauabat,
Callirhoë liquido ex antro per lubrica muſco
Saxa fluens, iuueni dulci blandita ſuſurro,
Lethæum immiſit ſomnum, ſparſitq; ſopore
Graminea in ripa, & ſalicum nemus inter opacum:
Atque illi viſa eſt ſacro ſe flumine tollens
In ſomnis coràm eſſe, pia & ſic voce locuta.
Ilceu in extremo Dÿs tandem audite labore
Cura mei, tibi nulla ſalus, quacunque videt Sol,
Speranda eſt terram magnam ſuper. hoc tibi pœnæ
Dat Triuia, & precibus Triuiæ exoratus Apollo,
Ob ſacrum iaculo percuſſum ad flumina ceruum,
Et noſtris affixa tibi capita horrida truncis.
Nam, poſtquam illa feram exanimem per grami-
na vidit
Abſciſſo capite, & ſacro ſparſa arua cruore,
Omnibus ingemuit ſiluis, dirúmque precata eſt

*Auctori. oranti Latous tanta ſorori
Affuit, & peſtem miſero immiſere nefandam
Durus vterque tibi: quin &, quacunq; videt Sol:
Interdixit opem: quare tellure ſub ima,
Si qua ſalus ſupereſt, cæca ſub nocte petenda eſt.
Eſt ſpecus arboribus tectum, atque horrore verendũ
Vicina ſub rupe, Iouis quà plurima ſilua
Accubat, & raucum reddit coma cedrina murmur.
Huc, vbi ſe primis Aurora emittet ab vndis
Ire para, & nigrantem ipſis in faucibus agnam
Mactato ſupplex, atque Ops tibi maxima, dic, hãc,
Dic, ferio. nigram tum Noctem, Vmbraſq; ſilentes,
Vmbrarumq; Deos, ignotáque numina Nymphas
Et thia venerare, atræ & nidore cupreſſi.
Hæc tibi narranti cauſſam, auxiliumq; vocanti
Haud aberit Dea, quæ cæcæ in penetralia terræ
Deducat te ſancta, & opem tibi ſedula præſtet.
Surge agè, nec vani ſpeciem tibi concipe ſomni.
Illa ego ſum, quæ culta vago per pinguia fonte
Dilabor, Dea vicinis tibi cognita ab vndis.
Sic ait, & ſe cæruleo cita condidit amne.
Ille autem, vt placidus ceſſit ſopor, omina lætus
Accipit, & Nymphã precibus veneratur amicam,
O ſequor, o quocunque vocas pulcerrima fontis
Vicini Dea Callirhoë. Tum, poſtera primùm
Exurgens Aurora, ſuos vbi protulit ortus,
Monſtratum Iouis in ſilua ſub rupibus altis
Antrum ingens petit, & nigrantem tergora primo
Veſtibulo ſiſtit pecudem, magnæq; trementem*

Mactat Opi: tibíque, inquit, ego hanc Ops maxima macto.
Tum Noctem, Noctisque deas, ignota precatur
Numina. iámque ſimul Thian, atramq́; cupreſſum
Vrebat, cùm vox terræ reuoluta cauernis
Longè audita ſacras Nympharum perculit aures:
Nympharum, quibus æra ſolo ſunt condita curæ.
Extemplo commotæ omnes, ac cœpta reponunt,
Sulfureos fortè vt latices, & flumina viui
Argenti, mox, vnde nitens concreſceret aurum,
Tractabant, gelidóque promentes fonte coquebant.
Centum ignis ſpiſſi radios, centum ætheris vſti,
Bis centum concretorum terræq́;, marísque
Miſcuerant, noſtros fugientia ſemina viſus.
At Lipare, Lipare, argenti cui ſemina & auri
Cura data, & ſacrum flamis adolere bitumen,
Continuò obſcuræ latebroſa per auia terræ
Ilcea adit, firmánsque animum ſic incipit ipſa.
Ilceu (nánque tuum nec nomen, nec mihi labes
Ignota eſt, nec, quid venias) iam corde timorem
Exue, nequidquam non te huc cariſsima mittit
Callirhoë: tibi parta ſalus tellure ſub ima eſt.
Tolle animos, & me per opaca ſilentia terræ
Inſequere: ipſa adero, & præſenti numine ducam.
Sic ait, & ſe antro gradiens præmittit opaco.
Ille ſubit, magnos terræ miratus hiatus,
Squalentéſque ſitu æterno, & ſine lumine vaſtas
Speluncas, terrámque meantia flumina ſubter.
Tũ Lipare: hoc quodcũq; patet, q̃ maxima terra eſt:

Hunc

Hunc totum ſine luce globum, loca ſubdita nocti
Dij habitant: imas retinet Proſerpina ſedes,
Flumina ſupremas, quæ ſacris concita ab antris
In mare per latas abeunt reſonantia terras.
In medio dites Nymphæ, genera unde metalli,
Aeriſque, argentique, aurique nitentis origo:
Quarum ego nunc ad te miſerans ipſa una ſororū
Aduenio: illa ego, quæ venas per montis hiantes,
Callirhoës haud ignota tuæ, fumantia mitto.
Sulfura: ſic ibant terra & caligine tecti.
Iámque exaudiri crepitantes ſulfure flammæ,
Concluſique ignes, ſtridentiáque æra caminis.
Hæc regio eſt latè, variis vbi feta metallis,
Virgo ait, eſt tellus: quorum vos tanta cupido
Exercet. ſuperas cæli qui cernitis auras.
Hæc loca mille Deæ cæcis habitamus in antris,
Nocte Deæ, & Tellure ſatæ, quis munera mille,
Mille artes. ſtudium eſt aliis deducere riuos,
Scintillas aliis rimari, & ſparſa per omnem
Semina tellurem flamarum, igniſque coruſci.
Materiam miſcent aliæ, maſſámque coërcent
Obijcibus, multa & gelidarum inſpergine aquarū.
Non procul eruptis fumantia tecta caminus
Aetnæi Cyclopes habent, verſántque, coquúntque
Volcano ſtridente, atque æra ſonantia cudunt.
Læua hæc abſtruſum per iter via ducit ad illos:
Dextera ſed ſacri fluuij te ſiſtet ad vndam,
Argento fluitantem vndam, viuóque metallo,
Vnde ſalus ſperanda. & iam aurea tecta ſubibant,

Rorantéſque domos ſpodiis, fuligineq; atra
Speluncas variè obductas, & ſulfure glauco.
Iámque lacus latè vndantes, liquidéque fluentes
Argento iuxta aſtabant, ripáſque tenebant.
Hic tibi tantorum requies inuenta laborum,
Subſequitur Lipare, poſtquam ter flumine viuo
Perfuſus, ſacra vitium omne reliqueris vnda.
Sic fatur, ſimul argenti ter fonte ſalubri
Perfundit, ter virgineis dat flumina palmis
Membra ſuper, iuuenem toto ter corpore luſtrat
Mirantem exuuias turpes, & labe maligna
Exutos artus, peſtémque ſub amne relictam.
Ergo age, cùm primùm cæli te purior aër
Accipiet, nitidámque diem, Solémque videbis,
Sacra para, & caſtam ſupplex venerare Dianam,
Indigenáſque Deos, & Numina fontis amici.
Sic virgo, & iuuenem tanto pro munere grates
Soluentem e nocte ætherias educit in oras,
Dimittitque alacrẽ, atque optata in lumina reddit.
Accepit noua fama fidẽ, populóſque per omnes
Prodijt haud fallax medicamen: cœptáque primùm
Miſceri argento fluitanti axungia porcæ.
Mox etiam Oriciæ ſimul adiuncta eſt terebinthi,
Et laricis reſina aëriæ. ſunt, qui vnguen equinum
Vrſinúmve adhibent, bdelæ, cedrique liquorem.
Nonnulli & myrrhæ guttas, & maſcula tura
Adijciunt, miniumq; rubens, & ſulfura viua.
Haud verò mihi diſpliceat, componere ſi quem
Trita melampodia, atque arentem iuuerit irim,

Galbanáque, & laſſer graue olens, oleumq́; ſalubre
Lentiſci, atque oleum haud experti ſulſuris ignem.
His igitur totũ oblinere, atque obducere corpus
Ne obſcenum, ne turpe puta: per talia morbus
Tollitur, & nihil eſſe poteſt obſcenius ipſo.
Parce tamen capiti, & præcordia mollia vita.
Tum ſuper & vittas aſtringe, & ſtupea necte
Vellera: dein ſtratis tegmento imponere multo,
Dum ſudes, fœdæq́; fluant per corpora guttæ.
Hæc tibi bis quinis ſatis eſt iteraſſe diebus.
Durũ erit: at, quidquid tulerit res ipſa, ferendũ eſt.
Aude animis, tibi certa ſalus ſtans limine in ipſo
Signa dabit: liquefacta mali excrementa videbis
Aſsiduè ſputo immundo fluitare per ora,
Et largum ante pedes tabi mirabere flumen.
Ora tamen fœda erodent vlcuſcula: ſed tu
Lacte foue, & cocto cytini, viridisq́; liguſtri.
Tempore non alio generoſi pocula Bacchi
Annuerim ſumenda tibi, purúmque Falernum,
Et Chia, & pateris ſpumantia Rhætica largis.
Sed iam agè vicinæ victor gratare ſaluti:
Vltima adeſt tibi cura, eadem & placidiſsima, corpus
Abluere, & luſtrare artus, ac membra piare
Stæchade, amaracinisque comis, & rore marino,
Verbenáque ſacra, & bene olentibus heracléis.

LIBER TERTIVS.

SEd iam me nemora alterius felicia mundi,
Externiq; vocant ſaltus: longè aſſonat æquor
Herculeas vltra metas, & litora longè
Applaudunt ſemota. mihi nunc magna Deorum
Munera, & ignoto deuecta ex orbe canenda,
Sancta arbos, quæ ſola modum, requiémque dolori,
Et finem dedit ærumnis. age Diua beatum
Vranie venerare nemus, crinéſque reuinctam
Fronde noua, iuuet in medica procedere palla
Per Latium, & ſanctos populis oſtendere ramos:
Et iuuet haud vnquam noſtrorum ætate parentum
Viſa priùs, nulli ve vnquam memorata referre.
Vnde aliquis forſan nouitatis imagine mira
Captus, & heroas, & grandia dicere facta
Aſſuetus, canat auſpiciis maioribus auſas
Oceani intacti tentare pericula puppes.
Necnon & terras varias, & flumina, & vrbes,
Et varias memoret gentes, & monſtra reperta:
Dimenſáſque plagas, altóque orientia cælo
Sidera, & inſignem ſtellis maioribus Arcton.
Nec taceat noua bella, omnémque illata per orbem
Signa nouum, & poſitas leges, & nomina noſtra.
Et canat (auditum quod vix venientia credant
Sæcula) quodcunque Oceani complectitur æquor
Ingens, omne vna obitum menſúmque carina.
Felix cui tantum dederit Deus. at mihi vires
Arboris vnius ſatis eſt, vſúmque referre:

Et quo inuenta modo fuerit, noſtráſque ſub auras
Aduena per tantum pelagi peruenerit æquor.
Oceano in magno, ardenti ſub ſidere Cancri,
Sol vbi ſe nobis media iam nocte recondit,
Hac ignota tenus, tractu iacet inſula longo:
Hiſpanam gens inuentrix cognomine dixit:
Auri terra ferax: ſed longè ditior vna
Arbore voce vocant patrij ſermonis Hyacum.
Ipſa teres, ingénſque ingentem vertice ab alto
Diffundit ſemper viridem, ſempérque comantem
Arbuteis ſiluam foliis: nux parua, ſed acris
Dependet ramis, & plurima frondibus hæret.
Materia indomita eſt, duro & pene æmula ferro
Robora, quæ reſinam ſudant incenſa tenacem.
Diſſectæ color haud ſimplex. in cortice lauri
Exteriore viret læuor, pars altera pallet
Buxea: at interior nigro ſuffuſca colore eſt,
Iuglandémq;, ebenúmq; inter. quod ſi inde ruberet,
Iam poterat variis æquare coloribus irim.
Hanc gens illa colit, ſtudióque educere multo
Nititur: hac late colles campíque patentes,
Hac omnis veſtitur ager: nec ſanctius illis
Eſt quidquam, aut potiore vſu: quippe omnis in illa
Spes iacet hanc contra peſtem, quæ cælitus illic
Perpetua eſt, validos abiecto cortice ramos
Multa vi tundunt, aut in ſegmenta minuta
Elimant, puróque ſcobes in fonte reponunt,
Dũ bibulas noctémque, diémque emaceret humor.
Inde coquunt: nec non illos ea cura fatigat,

Volcano ne fortè furens erumpat aquæ vis,
Et ſuperundantem ſpumam proiectet in ignes.
Spuma quippe linunt, ſi quidquam e corpore toto
Abſcedit, ſi quidquam ægros depaſcitur artus.
Dimidia abſumpta, ſupereſt quodcunque, reponunt
Diuini laticis. quin & ſegmenta relicta
Rurſus, vt ante, coquunt, addẽtes ſuaue liquẽs mel.
Scilicet hunc vnum menſis accedere potum
Et lex ipſa iubet gentis, mandátque ſacerdos.
Seruatum at laticem, & decocti pocula primi
Bina die quaque aſſumunt, cùm ſurgit ab ortu
Lucifer, & ſero egreditur cùm Veſper Olympo.
Nec priùs abſiſtunt potu, quàm menſtrua curſum
Luna ſuum, & totum peragrans perfecerit orbem,
Fraternáſque iterum conuenerit æmula bigas.
Interea cæcis ſeſe penetralibus abdunt,
Quo neque vis venti, non halitus aëris vllus
Inſinuet ſeſe, & gelidis afflatibus obſit.
Quid mirandũ æque memorem ſuper omnia victũ
Quàm tenuem, quàm magna ſibi ieiunia poſcãt?
Quippe ſolet ſatis eſſe, ipſum dum corpus alatur:
Dum ſuperet vita, & tantum ne mẽbra fatiſcãt.
Ne tamen, ah, ne tanta time, ſacer ilicet hauſtus
Ille modo ambroſiæ, vires reficítque fouétque,
Inq́; occulta gerit ieiunis pabula membris.
Nectare ab epoto binas, non amplius, horas
Imponunt ſeſe ſtratis, medicamen vt intro
Largè eat, & calido ſudorem e corpore ducat.
Interea vacuas peſtis vaneſcit in auras:

Et(dictu mirum)apparet iam puſtula nulla:
Iamq; nomæ ceſſere omnes,iam fortia liquit
Membra dolor,primoq; redit cum flore iuuenta:
Et iam Luna ſuum remeans noua circuit orbem.
Quis Deus hos illis populis monſtrauerit vſus:
Qui demum & nobis caſus,aut fata tulere
Hos ipſos:vnde & ſacræ data copia ſiluæ,
Nunc referam. Miſſæ quæſitum abſcondita Nereî
Aequora, in occaſum,Soliſque cubilia,pinus
Litoribus longè patriis, Calpeq; relictis
Ibant Oceano in magno,pontumque ſecabant,
Ignaræq; viæ,& longis erroribus actæ.
Quas circũ innumeræ properantes gurgite ab omni
Ignoti noua monſtra maris Nereides vdæ
Adnabant,celſas miratæ currere puppes,
Salſa ſuper pictis volitantes æquora velis.
Nox erat,& puro fulgebat ab æthere Luna,
Lumina diffundens tremuli per marmora ponti,
Magnanimus cùm tanta heros ad munera fatis
Delectus, dux errantis per cærula claſſis,
Luna,ait,o pelagi cui regna hæc humida parent,
Quæ bis ab aurata curuaſti cornua fronte,
Curua bis expleſti,nobis errantibus ex quo
Non vlla apparet tellus,da litora tandem
Aſpicere,& dudum ſperatos tangere portus,
Noctis honos,cælique decus Latonia virgo.
Audijt orantem Phœbe, delapſáque ab alto
Aethere,ſe in faciem mutat,Nereia quali
Cymothoë,Clotóque natant,iuxtáque carinam

Aſtitit, & ſummo pariter nans æquore fatur.
Ne noſtræ dubitate rates, lux craſtina terras
Oſtendet, fidóque dabit ſuccedere portu.
Sed vos litoribus primis ne inſiſtite: dudum
Vltra fata vocant, medio magna inſula ponto
Eſt Ophyre, huc iter eſt vobis, hæc debita ſedes
Imperijq; caput. ſimul hæc effata, carinam
Impulit: illa leui cita diſſecat æquora curſu.
Aſpirant faciles auræ, & iam clarus ab vndis
Surgebat Titan, humiles cùm ſurgere colles
Vmbroſi procul, & propior iam terra videri
Incipit. acclamant nautæ, terrámque ſalutant,
Terram exoptatam. tum portu & litore amicè
Excepti, Dîis vota piis in litore ſoluunt:
Quaſſatásque rates, defeſſáque corpora curant.
Inde, vbi quarta dies pelago, crepitánsq; vocauit
Vela Notus, remis inſurgitur, altáque rurſum
Corripiunt maria, & læti freta cærula ſulcant.
Linquitur incerto fluitans Anthylia ponto,
Atque Hagia, atq; alta Ammerie, execrataq; tellus
Cannibalum, & ripa Gyane nemoroſa virenti.
Protinus innumeræ panduntur turribus altis
Inſulæ Oceano in vaſto, quas inter opacis
Vndantem ſiluis vnam, curſúque ſonantem
Fluminis aſpiciunt, magno qui ſpumeus alueo
In mare fulgentes auro ſubuectat arenas:
Huius in ora placet pronas appellere puppes.
Inuitant nemora, & dulces e flumine lymphæ.
Iámque ſolo viridante alacres, ripáque potiti

In primis terram ignotam, Nympháſque ſalutant
Indigenas, Geniúmque loci, téque aurifer amnis,
Quiſquis in ora maris nitida perlaberis vnda.
Tum duram Cererem, & patrij carcheſia Bacchi
Aggere in herboſo expediunt: dein quærere, ſi qui
Mortales habitent: pars fuluam fluminis vndam
Mirari, miſtámque auro diſquirere arenam.
Fortè per vmbroſos ſiluarum plurima ramos
Aſſiduè volitabat auis, quæ picta nitentes
Cæruleo pennas, roſtro variata rubenti
Ibat natiuo ſecura per auia luco.
Has iuuenum manus vt ſiluas videre per altas,
Continuò caua terrificis horrentia bombis
Aera, & flamiferum tormenta imitantia fulmen
Corripiunt, Volcane tuum, dum Theutonas armas,
Inuentum, dum tela Iouis mortalibus affers.
Nec mora ſignantes certam ſibi quiſque volucrem,
Incluſam, ſalicum cineres, ſulfúrque, nitrúmque,
Materiam accendunt ſeruata in reſte fauilla.
Fomite correpto diffuſa repentè furit vis
Ignea circumſepta, ſimúlque cita obijce rupto
Intruſam impellit glandem: volat illa per auras
Stridula: & exanimes paſſim per prata iacebant
Deiectæ volucres: magno micat ignibus aër
Cum tonitru, quo ſilua omnis, ripæq; recuruæ
Et percuſſa imo ſonuerunt æquora fundo.
Pars auium nemus in denſum conterrita, & altos
Se recipit ſcopulos: quorum de vertice ſummo
Horrendùm vna canit (dictu mirabile) & aures

Terrificis implet dictis, ac talibus infit.
Qui Solis violatis aues, ſacraſq; volantes,
Heſperij, nunc vos, quæ magnus cantat Apollo,
Accipite, & noſtro vobis quæ nuntiat ore.
Vos quanquam ignari, longum quæſita, ſecundis
Tandem parta Ophyræ tetigiſtis litora ventis.
Sed non ante nouas dabitur ſummittere terras,
Et longa populos in libertate quietos,
Molirique vrbes, ritúſque ac ſacra nouare,
Quàm vos infandos pelagi, terræq; labores
Perpeſſi, diuerſa hominum poſt prælia, multi
Mortua in externa tumuletis corpora terra.
Nauibus amiſſis pauci patria arua petetis.
Fruſtra alij ſocios quæretis magna remenſi
Aequora: nec noſtro deerunt Cyclopes in orbe.
Ipſa inter ſeſe veſtras diſcordia puppes
In rabiem, ferrúmque trahet: nec ſera manet vos
Illa dies, fœdi ignoto cùm corpora morbo
Auxilium ſilua miſeri poſcetis ab iſta,
Donec pæniteat ſcelerum. nec plura locuta
Horrendum ſtridens denſis ſeſe abdidit vmbris.
Ollis oſſa rigor ſubitus percurrit, & omnis
Palluit, ac gelida fugit formidine ſanguis.
Tum verò ſacras volucres, Diuóſque precati,
In primis Solem, & ſanctum ſeruantia lucum
Numina ſupplicibus venerantur agreſtia votis:
Pacē orāt, rurſúmque Ophyren, fluuiumq; ſalutāt.
Interea e ſiluis nigrum genus ora, comáſque,
Ad naues noua turba virûm concurrit inermis,

Pectora nudi omnes, euincti frondibus omnes
Paciferis: tanta qui celſas mole carinas
Mirati, veſtéſque virùm, fulgentiáque arma,
Vix ſatis expleri poſſunt: & ab æthere miſſi
Siue homines, ſiue heroës ſint, ſiue Deorum
Numina, adorantum ritu, precibúſque ſalutant:
Ante alios ipſum Regem, cui munera læta,
E ripis collectum aurum, & cerealia dona,
Et patrios fructus, & mella liquentia portant.
Veſtibus ipſi etiam noſtris, & munere multo
Donati, exceptíque mero noua gaudia miſcent.
Non aliter, quàm ſi menſis, dapibúſque Deorum
Mortalis quiſquam adſcitus, felixque futurus
Hauriat æternum, cæleſtia pocula, nectar.
Ergo, vbi amicitiæ ſecuros, fœdere vtrinque
Firmauere animos, habita & commercia gentis,
Ipſi inter ſeſe Reges in litore læti
Complexu iungunt dextras, & fœdera firmant.
Alter goſſipio tenui pectúſque femurq́;
Præcinctus, viridi limbum pingente ſmaragdo,
Ora niger: iaculo armatur cui dextera acuto,
Squamoſi ſpolium ſuſtentat læua draconis.
Alter at intexto læuam circundatus auro,
Quam ſubter rutila arma micant, capiti ærea caſſis
Inſidet, & pictæ volitant in vertice criſtæ:
Fulgenti ex auro torques cui candida colla
Cingunt, atque enſis lateri dependet Iberus.
Et iam commiſti populi, hoſpitióque recepti,
Hi tectis domibusq́; altis in nauibus illi,

Lætitia ludíſque dies per pocula ducunt.
Fortè loco lux feſta aderat, Solique parabant
Vltori facere vmbroſo ſacra annua luco.
Heſperiæq;, Ophyræq; manus conuenerat omnis.
Hic conualle caua, ripæ viridantis in herba,
Selectorum ingens numerus, matrésque, virique
Confuſi, plebs atque patres, puerique ſenéſque
Aſtabant, animis triſtes, & corpora fœdi,
Squalentes cruſtis omnes, tabóque fluentes:
Quos circunfuſos albenti in veſte ſacerdos
Pura luſtrat aqua, & ramo frondentis Hyaci.
Tum niueum ante aras cædit de more iuuencum,
Et iuxta poſitum paſtorem ſanguine cæſi
Reſpergit, pateráque rigat: Solique potenti
Ad numeros pæana canit: nec cetera turba
Non ſequitur, mactántque ſues, mactantq; bidẽtes,
Viſceribúſque veru toſtis epulantur in herba.
Obſtupuit gens Europæ ritúſque ſacrorum,
Contagémque alio non vſquam tempore viſam.
At dux multa animo tacitus ſecum ipſe volutans,
Hic erat ille, inquit, morbus, (Dij auertite caſum)
Ignotum interpres Phœbi quem dira canebat.
Tum Regẽ indigenã (vt ſermo fandíque facultas
Iam communis erat) cui ſint ſolennia Diuûm,
Scitatur: quid tanta aſtet conualle ſub alta
Languentum miſerãda manus: quid paſtor ad aras
Sacra inter, cæſi reſperſus ſanguine tauri.
Quem contra, Heſperiæ o herôs fortiſsime pubis.
Rex ait, hi gentis ritus, hæc ſacra quotannis

Vltori de more Deo celebramus: origo
Antiqua eſt, veteréſque patrum fecere parentes.
Quòd ſi externorum mores, hominúmque labores
Audiuiſſe iuuat, primæua ab origine cauſſam
Sacrorum, & peſtis miſeræ primordia pandam.
Forſitan Atlantis veſtras peruenit ad aures
Nomen, & ex illo generis longo ordine ducti.
Hac & nos, longa ſerie, de ſtirpe profecti
Dicimur: heu, quondam felix & cara Deûm gens,
Dum cælum colere, & ſuperis accepta referre
Maiores ſueuere boni: ſed numina poſtquam
Contemni cœptum eſt luxu, faſtúque nepotum,
Ex illo quæ ſint miſeros, quantæq; ſecutæ
Aerumnæ, vix fando vnquam comprẽdere poſſem.
Inſula tum priſci regis de nomine dicta
Ingenti terræ concuſſa Atlantia motu
Corruit, abſorpta Oceano: quem mille carinis
Sulcauit toties, terræ regina maríſque.
Ex illo & pecudes, & grandia quadrupedantum
Corpora non vllis vnquam reparata diebus
Aeternùm periere: externáque victima ſacris
Cæditur, externus noſtras cruor imbuit aras.
Tũ quoque & hæc infanda lues, quã noſtra videtis
Corpora depaſci, quam nulli, aut denique pauci
Vitamus, Diuûm offenſis, & Apollinis ira
De cælo demiſſa omnes graſſatur in vrbes.
Vnde hæc ſacra nouo primùm ſolennia ritu
Inſtituêre patres, quorum hæc perhibetur origo.
Syphylus (vt fama eſt) ipſa hæc ad flumina paſtor

Digitized by Google

Mille boues, niueas mille hæc per pabula Regi
Alcithoo paſcebat oues: & fortè ſub ipſum
Solſtitium vrebat ſitientes Sirius agros:
Vrebat nemora: & nullas paſtoribus vmbras
Præbebant ſiluæ: nullum dabat aura leuamen.
Ille gregem miſeratus, & acri concitus æſtu,
Sublimem in Solem vultus & lumina tollens,
Nam quid Sol te, inquit, rerũ patrémque Deumq́;
Dicimus, & ſacras vulgus rude ponimus aras,
Mactatoq́; boue, & pingui veneramur acerra,
Si noſtri nec cura tibi eſt, nec regia tangunt
Armenta? an potiùs Superos vos arbitrer vri
Inuidia? mihi mille niuis candore iuuencæ,
Mille mihi paſcuntur oues: vix eſt tibi Taurus
Vnus, vix Aries cælo (ſi vera feruntur)
Vnus & armenti cuſtos Canis arida tanti.
Demens quin potiùs Regi diuina faceſſo,
Cui tot agri, tot ſunt populi, cui læta miniſtrant
Aequora, & eſt Superis, ac Sole potentia maior?
Ille dabit facilesq́; auras, frigusq́; virentum
Dulce feret nemorum armentis, æſtúmque leuabit.
Sic fatus, mora nulla, ſacras in montibus aras
Inſtituit regi Alcithoo, & diuina faceſſit.
Hoc manus agreſtum, hoc paſtorum cetera turba
Exequitur: dant tura focis incenſa, litántque
Sanguine taurorum, & fumantia viſcera torrent.
Quæ poſtquam Rex, in ſolio dum fortè ſederet
Subiectos inter populos, turbamq́; frequentem,
Agnouit, Diuûm exhibito gauiſus honore

Non vllum tellure coli ſe vindice numen
Imperat, eſſe nihil terra ſe maius in ipſa:
Cælo habitare Deos, nec eorum hoc eſſe, quod infra eſt.
Viderat hæc, qui cuncta videt, qui ſingula luſtrat,
Sol pater, atque animo ſecum indignatus, iniquos
Intorſit radios, & lumine fulſit acerbo.
Aſpectu quo Terra parens, correptaq́; ponti
Aequora, quo tactus viro ſubcanduit aër.
Protinus illuuies terris ignota profanis
Exoritur. primus, Regi qui ſanguine fuſo
Inſtituit diuina, ſacraſq́; in montibus aras
Syphilus, oſtendit turpes per corpus achores.
Inſomnes primus noctes, conuulſaq́; membra
Senſit, & a primo traxit cognomina morbus,
Syphilidémque ab eo labem dixere coloni.
Et mala iam vulgò cunctas diffuſa per vrbes
Peſtis erat, Regi nec ſæua pepercerat ipſi.
Itur ad Ammericen ſilua in Cartheſide Nymphã,
Cultricem nemorũ Ammericen, quæ maxima luco
Interpres Diuûm reſponſa canebat ab alto.
Scitantur, quæ cauſſa mali, quæ cura ſuperſit.
Illa refert: ſpreti vos o, vos numina Solis
Exercent: nulli fas eſt ſe æquare Deorum
Mortalem: date tura Deo, & ſua ducite ſacra,
Et numen placate, iras non proferet vltra.
Quam tulit, æterna eſt, nec iã reuocabilis vnquam
Peſtis erit: quicunque ſolo naſcetur in iſt ,
Sentiet: ille lacus Stygios, fatumq́; ſeueriu

Iurauit. ſedenim, ſi iam medicamina certa
Expetitis, niueam magnæ mactate iuuencam
Iunoni, magnæ nigrantem occidite vaccam
Telluri: illa dabit felicia ſemina ab alto:
Hæc viridem educet felici e ſemine ſiluam:
Vnde ſalus, ſimul obticuit, ſpecus intus, & omne
Excuſſum nemus, & circum ſtetit horror vbique.
Illi obeunt mandata: ſua ipſi altaria Soli
Inſtituunt: niueam Iuno tibi magna iuuencam,
Nigrantem Tellus mactant tibi maxima vaccam.
Mira edã (at Diuos iuro, & monumenta parentũ)
Hæc ſacra, quã nemore hoc toto vos cernitis, arbor,
Ante ſolo nunquam fuerat quæ cognita in iſto,
Protinus e terra virides emittere frondes
Incipit, & magna campis pubeſcere ſilua.
Annua confeſtim Soli facienda ſacerdos
Vltori noua ſacra canit. deducitur ipſe
Sorte data, qui pro cunctis cadat vnus ad aram,
Syphilus: & iam farre ſacro, vittiſque paratis
Purpureo ſtabat tincturus ſanguine cultros:
Tutatrix vetuit Iuno, & iam mitis Apollo,
Qui meliorem animam miſeri pro morte iuuencum
Suppoſuere, ſeróque ſolum lauere cruore.
Ergo eius facti æternùm vt monumenta manerẽt,
Hunc morem antiqui primùm ſtatuere quotannis
Sacrorum, ille tuum teſtatur Syphile crimen,
Victima vana, ſacras deductus paſtor ad aras.
Illa omnis, quam cernis, inops miſerandáque turba
Tacta Deo eſt, veterúmque luit cõmiſſa parentum.

Cui

Cui votis, precibúsque piis, numeríſque ſacerdos
Conciliat vates Diuos, & Apollinis iras.
Luſtrati ingentes ramos, & robora ſanctæ
Arboris aduectant tectis: libamine cuius
Vi mira infandæ labis contagia pellunt.
Talibus, atque aliis tempus per multa trahebant
Diuerſis populi commiſti e partibus orbis.
Interea, Europæ fuerant quæ ad cara remiſſæ
Litora, iam rurſus puppes freta lata remenſæ
Mira ferunt: latè (prô fata occulta Deorum)
Contagem Europæ cælo crebreſcere eandem,
Attonitáſque vrbes nullis agitare medelis.
Quinetiam grauior naues it rumor in omnes,
Illo eodem claſſem morbo, iuuenúmque teneri
Haud numerũ exiguum, & totis tabeſcere mẽbris.
Ergo haud immemores, diras ceciniſſe volucres
Affore, cùm ſilua auxilium poſcatur ab illa,
Continuò faciles Nymphas, Solémque precati,
Intacti nemoris ramos, & robora ab alto
Conuectare parant luco, medicatáque ſumunt
Pocula, pro ritu gentis: quo munere tandem
Contagem pepulere feram, quin dona Deorum,
Haud patriæ obliti, & felicem ad litora ſiluam
Noſtra iubent ferri, cælo ſi forſitan iſto
Aſſimilem pellant labem: nec fata ſecundos
Ipſa negant Zephyros, faciliſque aſpirat Apollo.
Munera vos Diuûm primi accepiſtis Iberi,
Præſens mirati auxilium: nunc cognita Gallis,
Germaniſque, Scythiſque, orbe & gauiſa Latino

Iam nunc Europam vecta eſt Huyacus in omnem.
Salue magna Deûm manibus ſata ſemine ſacro,
Pulcra comis, ſpectata nouis virtutibus arbos:
Spes hominũ, externi decus, & noua gloria mũdi:
Fortunata nimis, natam ſi numina tantum
Orbe ſub hoc, homines inter gentémque Deorum
Perpetua ſacram voluiſſent creſcere ſilua.
Ipſa tamen, ſi qua noſtro te carmine Muſæ
Ferre per ora virûm poterunt, hac tu quoque parte
Noſceris, cælóque etiam cantabere noſtro.
Si non te Bactra, & tellus extrema ſub Arcto,
Non Meroë, Libycisq; Ammon combuſtus arenis,
At Latium, at viridis Benaci ad flumina ripa
Audiet, & molles Atheſi labente receſſus.
Et ſat erit, ſi te Tiberini ad fluminis vndam
Interdũ leget, & referet tua nomina BEMBVS.

Alcon, ſiue de cura canum venaticorum.

ASſiduis nuper feſſus venatibus Alcon,
Falleret æſtiui vt faſtidia longa diei,
Coruini quà ſe nemora excelſiſsima cælo
Extollunt, viridi dum captat frigus in vmbra,
Dicitur ad iuuenem ſenior ſic fatus Acaſtum.
Me ſegnes artus, defectáque viribus ætas
Et ſuperare iuga, & latis diſcurrere campis,
Et torquere leues haſtas, & ferre pharetram,
Nate, vetant, denſáque indagine cinge[illegible] ſiluas.

Sed te pulvereum curſu tranſmittere campum
Ferre æſtum frigúſque, leues agitare Moloſſos
Et pinguem ſiluis ad tecta auertere prædam
Nunc decet, ac validam pro me exercere iuuentam.
En arcum, pharetramq; tibi, iaculumq; relinquo:
Ne tamen vſque adeo plenæ confide pharetræ,
Vt poſtrema canum interea tibi cura putetur:
Quorum ope veloces poteris præuertere ceruos,
Aut aprum ingentem, aut fuluum ſuperare leonem.
Ergo age, & hæc tecum ſemper mandata reſerua.
Principio vt generoſa canum tibi copia numquam
Deſit, quæ certam valeat promittere prædam,
Elige degeneri nequaquam ſemine natos,
Sed quos aſſiduè ſiluæ exercuit altis
Et labor indomitus, ſæuarum & præda ferarum.
Nec verò parui formamq; genúſque putaris:
Nam neque ſunt animi, neque mores omnibus ijdē,
Et variæ diuerſa canum dant ſemina gentes.
Nam rabidas ſi forte feras te cura tenebit
Venari, & varijs caput obiectare periclis,
Spartana de ſtirpe tibi, de ſtirpe Moloſſa
Quære canes, Lybicos illis, acréſque Britannos
Pannonióſque truces, & amantes prælia Celtas
Adde, nec Hircanos, nec Seras ſperne feroces.
Si verò paruos lepores, capreáſque fugaces
Malueris, timidóſque ſequi per deuia ceruos,
Delige Pæonios agiles, volucréſque Sicambros.
Quod tibi ſi latebras, abſtruſáque luſtra ferarum
Rimari certa catulorum indagine cordi eſt,

Hunc vſum implebit Perſes, & Saxogelonus.
At genere ex omni præſertim delige quæ nec
Corpore ſit gracili, nec denſis aſpera villis,
Sed ſublime caput, viuacia lumina, & amplam
Oſtentet frontem, atque ingentes oris hiatus:
Cui rectæ ſurgant aures, cui pinguia terga
Diuidat in caudam deſcendens ſpina reflexam:
Sint armi lati, ſint æquè pectora lata:
Lata aluus, quæ ſic coſtis adiungitur imis,
Vt tamen in ſpatium ſenſim ſe colligat arctum:
Vt caua diductis ſuccedant ilia coſtis,
Excipiant ſiccis quas fortia crura lacertis.
Ima pedum paruæ ſignent veſtigia planta.
Huic ſimilem coniunge marem, cùm vere tepenti
Tangit amor genus omne auiũ, genus omne ferarũ.
Biſquinos tamen ante dies accenſus vterque
In Venerem, Venere abſtineant: ſic plena libido
Acrius exſtimulat, viréſque ad ſemina præbet.
Hinc maior ſoboles, atque inde valentior exit.
Quæ ſimul ac ſeſe numeroſo protulit ortu,
Selige de multis quos iam præſtare videbis
Pondere: vel ſtipulæ flãmis include ſonoris
Ingentem turbam: prolis nam nota periclo
Egregiam ſobolem, melioráque pignora mater
Ocyus eripiet flamis, & inertia linquet.
Illi igitur plenis vbi nondum viribus ætas
Acceßit, paruum curſu conſcendere collem,
Et molli aſſueſcant ſeſe demittere cliuo.
Huic tenerum leporem, vel crura infirma trahentẽ

Sectari capream, & facilem percurrere campum
Incipiat, verbisq́; viri parêre vocantis.
Nulla mora eſt, ipſis creſcant cùm viribus anni
Iam potes hos tuto denſis committere ſiluis:
Perq́; altos montes per luſtra agitare ferarum.
Nec minus aut apro, aut fuluo obiectare leoni:
Si modo vel capreas, vel dedignabere ceruos.
Immodicis tum parce cibis, tum curſibus illos
Exerce aßiduis: ac mox ad tecta reuerti,
Vincla pati diſcant: ita demum libera colla,
Cùm res ipſa, vſúſque vocat, maiore feruntur
Impete, nec curſum remoratur pigra ſagina.
Hactenus in ſiluis catulos eduximus altis:
Nunc quæ morboſis ſit cura adhibenda, docebo.
Inſomnes cùm fortè canes occulta fatigat,
Vimq́; adimit, febris putrem tunc ore cruorem
Ferro emitte leui: dein Bacchica dona roſarum
Miſce oleo, & rapidis ſimul omnia concoque flāmis
Terq́; die inſerto demitte in guttura cornu.
Si verò nimio venandi langueat æſtu,
Butyro lapathi ſuccos, Sículíque Lyæi
Pocula, contuſúmque piper ſimul omnia miſcens
Proſubige: vt certi ſimul ac commixa liquoris
Prætulerint ſpeciem, cupido canis hauriat ore.
Immodicam ſed fortè ſitim dum ſubleuat atro
Fonte canis, lymphæ mala ſi ſucceßit hirudo,
Cimiceo ſuffire canem nidore licebit:
Aut oleo ptiſanam & ſpumanti melle ſubactam
Incoquere, offenſóque cane præbere vorandam.

Aut cùm tetra lues (clauos dixere) palatum
Afficiet miſerè, ſilueſtria ſeſama, nec non
Bacchi acidos latices, & chartam ſume peruſtam,
Atque Ammoniaci fruſtum: dein ſingula in vnum
Confundens, tetræ cauſſam ſuperilline peſtis.
Tum verò, ardentes oculos inimica perurit
Cùm tabes, crebræq; fluunt a lumine guttæ,
Iam frondes ſacræ myrti ſilueſtris & vuæ
Arenteſque roſas diluto concoque Baccho,
Hisq; affecta leui citus ablue lumina dextra.
Inde oleum, atque oui niueos immitte liquores.
Quod ſi natiuo ſtimulatur coxa dolore,
Lemiulum lapidẽ, Meditem nomine dicunt,
Vrina ſemel atque iterum demerge recenti:
Cui Bacchi dulces, acidóſque adiunge liquores,
Quáque latet peſtis ſumpta circumline penna.
Aſt vbi rupta nouo manabit ſanguine vena,
Tum murẽ geminum, ac telam pẽdentis Arachnes
Vre foco, cineremq; vndanti impone cruori:
Proderit & ferro candenti tangere vulnus.
Obſtructo verò lotij cùm fortè meatu
Vexari aſpicies catulum, cerealia dona
Obiice lacte prius ſimæ perſuſa capellæ.
At contra venis ſiquando ſanguis apertis,
Pro facili vrina, terram madefecerit atram,
Conueniet lentè feruenti lactis aheno
Mollire, & tenues Coriandri immittere ſuccos.
Infractúmque piper, laticémque vndantis oliui,
Inſertóque cani paulatim infundere cornu.

Quid? taceam nimio cùm decidit vngula curſu?
Frangere namque iuuat pallentis grana Cumini
Dentibus, admotáque pedem lenire ſaliua:
Incipientque noui ſubcreſcere protinus vngues.
Fit quoq; vt immũdo catulus iuguletur ob œſtro:
At tu ſilueſtrem crepitantibus vrere rutam
Ignibus, & fumo pariter mulcere ſalubri
Diſce: dehinc acri perfundere vulnus aceto.
Quin aures etiam muſcarum turba moleſta
Impetit vſque adeo, mutilatum appareat altè
Vt caput: ipſe autem venienti occurre periclo,
Et prius has nucibus, viridique putamine tinge.
Quid cùm dura canes inter ſe prælia miſcent,
Alter vt alterius percuſſus dente laboret?
Tunc etenim cerui flammæ ſubiecta voraci
Oſſa teres, oleo ſubigens frondentis oliuæ
Vnguinis in morem, ac vulnus letale perungens:
Quanquam etiam poßis ramenta inducere ferri.
Namque venenifero ſerpentis ſaucius ictu
Quò valeat, ſcit ſponte ſua reperire ſalubre
Gramen, & ipſe ſibi nullo auxiliante mederi.
Senſerit at rabidos vbi morſus, protinus ipſe
Idæam rutæ foliis, acríque Lyæo
Iũge picem, læſæque adhibe hæc medicamina parti.
At mala cum ſcabies miſeros depaſcitur artus
Latrantum, & fœdè miſerabile corpus adurit,
Ceruſam, abdoménque bouis, reſinámque tenacem,
Butyrúmque recens viridantibus incoque ſenſim
Lentiſci foliis, infectáque membra perunge.

Sed tunc præcipuè ſollerti mente cauendum eſt,
Cum rabie accenſus nunc hos nunc impetit illos,
Ipſi infenſus hero, dátque inſanabile vulnus.
Ergo illum primò valida compeſce catena:
Inde roſæ agreſtis radicem pondere ſaxi
Contuſam viui fontis conſperge liquore,
Vt potus ſpeciem lino colata nigranti
Præferat: hac ſumpta, reuocari ad priſtina tradunt
Senſa canem, ac poſita rabie miteſcere rurſum.
Sunt qui ſilueſtres ficus adipémque vetuſtum
Contundant: ederas alij feruentibus vndis
Emollire iubent, donec pars vna ſuperſit
E tribus, atque ipſis foliis, tepidóque liquore
Paſcere quadrupedem, aurora ſurgente furentem.
Nil tandē vſque adeo prodeſt, ac prima ſub ipſum
Principium morbi reſcindere ſemina ferro.
Nam qua parte imo coniungi lingua palato
Cernitur, & fauces, natiuo concolor auro
Occupat, in rabiémque feros agit vſque Moloſſos
Vulnificus vermis, ſuffunditque ora veneno.
Quem ſiquis potuit ferro reſecare, potentem
Is tanti abſtulerit cauſſam, ſtimulúmque furoris.
Quæ ſuperant, olim: nunc prædam ad tecta iacētem
Ferre monet præſens fugientis temporis hora:
Quandoquidem calamos poſuit Coridallus acutos,
Et iam ſubluſtres inuectat luna tenebras.

In Obitu M. Antonij Turrij Veronenſis:

Ad Ioannem Baptiſtam Turrium Fratrem.

ET ſi egomet tanti caſu perculſus amici
Solamen noſtris diſcuperem lacrymis,
Ne mea perpetuo manarent lumina fletu,
Pergeret aut tantus vrere corda dolor,
Attamen,vt mi animi valuit concedere amaror,
Iſtæc mæſta tibi carmina perſolui:
Quò fortaſſe meis conſolarere Camenis,
Si miſeros quidquam Muſa leuare poteſt:
Ac ne tu in lacrymas paulatim totus abires,
Liquitur vt pluuio tacta pruina Noto.
Quandoquidem cari fato te fratris acerbo eſt
Rumor in extrema viuere triſtitia,
Nec iam poſſe quietis habere,aut commoda ſomni,
Sed cedente die,ſed redeunte queri:
Mærentémque,vagúmque, & turpem fletibus ora
Amiſſum totis quærere litoribus.
Fertur vt Eridani ripas erraſſe per omnes
Anxia fraterno funere Lampetie.
Septem quam perhibent ſomni ſine munere noctes,
Ieiunam ſeptem continuaſſe dies.
Et,quoties longo defeſſa errore viatum
Vmbroſi in ripa concidit Eridani,

Reddite vos Phaëthōta mihi (clamabat ad vndas)
O quæcunque ſub hoc flumine Nympha latet.
Te tamen, vllius ſi cuiquam morte dolendum eſt,
Iuſta quidem tanti cauſſa doloris habet.
Quandoquidē immatura morte tibi omnia frater
Commoda, teq; ipſum perdidit, atque tuos:
Perdidit hei miſero carus tibi frater ademtus,
Quo tibi non vllus carior alter erat.
Ille amor, ille tuæ ſolamen dulce iuuentæ,
Ille tuæ fuerat ſpes, columénque domus:
Quicum verſari ſemper, quicum eſſe ſolebas,
Atque animi arcana dicere conſilia:
Vnum mirari, atque vnum præponere cunctis:
Ambroſiæ e cuius effluere ore lepos.
O nimium miſeri nos, & genus ærumnoſum,
Deterius quorum eſt conditione nihil.
In nos ſæuitum eſt bello, quo durius vnquam
Vidit nulla ætas, nec feret vlla dies.
Seruitium tulimus crudele, & barbara iuſſa,
Parsq; domos caras liquimus, & patriam.
Relliquias, miſeróſque abſumſit tabida ciues
Peſtis, & huc illuc ſæuit Erinnys adhuc.
Nec ſat erat: miſeri crudelia funera COTTAE
Fleuimus. o indigna Cotta peremte nece,
O Cotta infelix, quæ te fata impia nobis
Tam ſubitò ante tuos arripuere dies?
Iam neque finierant gemitus, & lumina ſiccis
Non bene ceſſarant triſtia flere genis,
Cùm tu Marce cadis, cùm nos tot triſtibus actos

Deſeris, heu, falſos credulitate tui.
Non hoc viuida nos tua iam ſperare iuuenta,
Hoc tua non virtus, non benefacta dabant,
Exanimẽ vt nos te iuuenem, nec iam vlla loquẽtẽ
Externa miſeri contegeremus humo:
Sed fore, quem fama virtus æquaret Olympo,
Vnus qui multos inſtrueres populos.
Qualis ab aërio decurrens monte iugi fons
Communes multis ſufficit vnus aquas.
Nam quid ego aut laudes memorem, aut tua maxima laudum
Præmia? quàm humano profueris generi:
Aut quàm ſæpe animas poſitas iam ſedibus Orci
Ad ſua Apollinea membra vocaris ope?
Vos teſtes Ticine, & qui inter paſcua læta
Medoace antiquos abluis Euganeos:
Illo quos fama eſt naturæ arcana docente
Sæpe inter Nymphas obſtupuiſſe ſuas:
At nunc amiſſo turbatis fleſſe ſub vndis,
Inq; mare aſſuetas non habuiſſe vias.
Non tamen aut ſoli, nec vos magis omnibus amnes
Indoluiſtis acerbo illius interitu.
Illum etiam Graiæ, & Nymphæ fleuere Latinæ,
Illum etiam Tuſcis Calliopea modis.
Quin etiam ſiluæ, & montes gemuiſſe feruntur,
Et vos extremi fleſtis Hyperborei.
Sed mage Benacusq; ſenex, & Sarca, ſepulti
Qui propè vicinum prætereunt tumulum.
Sed magis ipſe Atheſis, olim qui corpus humãdum

Condendum caram perſeret in patriam,
Ne extra cognatos cineres, Turrenſiáque oſſa
Illum perpetuò terra aliena tegat.
Tunc vos o patrio prognatæ Naiades amne
Spargite odoratis plena ſepulcra roſis.
Tempus erit, cùm poſteritas mirata nepotum,
Quantum iſti, dicent, attribuêre Dei.
Atque aliquis monumẽta legens, & ſcripta iacẽtis
Deuota ad mutos ſerta feret cineres.
Interea o vos Benaco centum patre Nymphæ,
Sarcáque ab Alpinis edite verticibus,
Et vos o Naci rupes, & ſaxa Briani,
Et nemora vmbroſis denſa cacuminibus
Ferte aliqua, o nunc ferte meo ſolatia BATTO,
Et tantam ex animo demite triſtitiam.
Quem neque ſancta poteſt Sophie complexa leuare,
Muſa nec aſſuetis ſedula carminibus.
BATTE *tamen vates, longum vt quæſiſſet adẽtam,*
Et longum fleſſet Thracius Eurydicen,
Nullo ſolatus, blando quàm carmine, curas,
Nullo, quàm Sophia, dicitur eſſe magis.
Illi, ſeu Rhodopes ſiluis erraret in altis,
Siue in deſertis Strymonis aggeribus,
Semper Muſa comes, ſemper pendebat eburna
Ex humero numeris docta ſonare lyra.
Ille orbem immenſum ſemper ſpectabat, & orbis
Ornatum, puris ſidera luminibus,
Et maria, & montes vaſtos, atque irrequieta

Flumina, tum quidquid denique terra parit.
Quorum animaduertens certa ſub lege tenorem,
Paulatim caram ſenſerat Eurydicen
Deleri, & triſtem mutari in gaudia mentem,
Tantum animos rerum forma leuare poteſt.
Aſpice lucentem Lunæ Titanidis orbem,
Et cum Sole ſuo quæ ſuper aſtra micant:
Omnia ſunt æterna, & vitæ iuncta perenni:
Quæ loca felices Diique animæq; colunt.
Inferior Lethi regio eſt, ſedéſque malorum,
In qua eſt, quod felix intueare, nihil
Quippe ſolum hoc ventique, ibréſque, & cuncta fatigant,
Quæcunque aëria de regione cadunt.
Adde æſtusq;, hiemesq;, & morborum genus omne:
Tum natura aliqua eſt indiga ſemper ope.
Nos porrò deſideriis mala plurima noſtris
Iunximus, o præceps in ſua damna genus.
Hinc odia, & timor, & lites, & bella cruenta,
Et via non vni plurima aperta neci.
Attamen in tantis ærumnis eſt animi ſpes
Vnica, quèm melior vita beare poteſt.
Quippe, vbi præfulgens vlla virtute reliquit
Corporeum, ſedes aduolat ætherias,
Semideúmque domos, & Diuûm morte carentum,
Hic, vbi non æſtas, nec fera ſæuit hiems:
Nec dolor, aut deſideria infelicia noſtri,
Nec ſors partẽ aliquã, nec rude vulgus habet:
At ſancti heroës habitant, gens inclyta bello,

Ingenuiq;,nouem qui coluere Deas:
Quique pij,iuſtique, Deûm præcepta ſecuti,
Et ſancta inſignes qui fuerunt ſophia.
Quos inter tuus ipſe recens a funere frater
Miratur cælum, Cælicolûmque domos,
Aeternámque diem, & felicem ex ordine gentem,
Inter quos gaudet,ſe quoque dinumerans.
Quem circùm illuſtres animæ, proauíque paterq;
Intentos oculos ore nepotis habent,
Et pulcram effigiem agnoſcunt: miratur & ipſe
Egregiam ſtirpem,magnanimúmque genus:
Agnoſcitque ſuos, & facta, & nomina diſcit,
Tum quantum ſit adhuc terra habitanda tibi.
O fortunatum nimium,triſtem ante ſenectam
Carpere iter cæli cui potuiſſe datum eſt.
Quas Syrtes, quos & ſcopulos poſt terga relinquis
Marce? tibi a quanto eſt ſalua carina mari?
Fortunate iterum,tu non incommoda vitæ
Paſſus adhuc,non quæ plurima habet ſenium,
Sed dulces inter Muſas, & Apollinis artes
Fortunata nimis vita peracta tibi eſt.
I decus Auſoniæ iuuenis, numeróque Deorum
Te immiſce,culta eſt iam tibi terra ſatis.
Illa tuum,dū ſidera erunt,dúmque æquora current,
Nomen in aſtra memor, & benefacta feret.

Ad Ioannem Bapt. Turrium Veronenſem.

Batte, animos quando triſtes, curáſque leuare
Muſa poteſt, ego nunc ſortem, caſúſque ſupremos
Ipſe meos triſti ſolabor carmine tecum.
Et tecum dulces gnatos, quos funus acerbum
Abſtulit, æterna & pariter caligine texit,
Conquerar: vt ſaltem tenebris, & nocte perenni,
Quantum opis eſt noſtræ, miſerorum nomina demã,
Quæ potui, dum vita illos auræq; fouebant,
Exhibui genitórque, gubernatórque duorum
Infelix: primas alter vix fingere voces,
Alter adhuc teneris iam tum decerpere ab annis
Prima rudimenta, atque omen præbere parenti.
Quos ego (ſed Zephyri ſpes portauere paternas)
Cõſueram, ſi fata darent, cùm poſceret ætas
Fortior, ad dulces tecum traducere Muſas
Aßiduos, citharamq; humeris ſuſpendere eburnam.
Inde, vbi iam cælum, ac Solem, fulgentiaq; aſtra,
Terramq;, & liquidos ignes, æquorq; profundum
Mirari inciperent, latusq; animalia campus,
Te monſtrante viam, te rerum arcana docente
Mens fuerat dulces ſophiæ deducere ad hortos,
Hortos, quos ver perpetuum, quos aura Fauoni
Semper alit, ſemper cæleſti nectare paſcit.
Hic tremulo, & longa confecto ætate parenti
Purpureos legerent flores: ſeniiq; leuamen,

Threïcia canerent cithara, quæ plurima quondam
Audiſſent te populea meditante ſub vmbra,
Diuino mirantem Atheſim dum carmine mulces,
Et rerum canis, & teneri primordia mundi.
Fortunate ſenex, ſi gnatorum ore referri
Fata ſinant, vt nata Chao antiquiſsima rerum
Materies viſi correpta cupidine pulcri
Arſerit, atque Deum thalamo complexa, iugarit
Corpora prima: quibus diſcordia nata Hymenæu,
Et diuiſa locis, ſuprema petiuerit ignis
Purior, & nitidis vicinus ſederit aſtris:
Quem iuxta per inane amplum ſe fuderit aër:
Ima autem tellus vaſto circum obruta ponto
Conſtiterit: quã dudũ hinc inde agitantibus vndis
Subſterni latè campi, deformiáque arua
Paulatim apparere ſuprà, & concreſcere montes
Cæperunt, procul & nudas oſtendere cautes,
Mox nemora, & virides vndis mirantibus ornos.
Montanis tum ſpeluncis, & rupibus altis
Exiluere vdæ formoſo corpore Nymphæ,
In viridi flauos ſiccantes littore crines.
O fortunatum nimium, ſi Numina tantum
Hæc mihi ſeruaſſent, ſi non caſura dediſſent.
Verũ aliter Lacheſi viſum eſt, quo tempore primùm
Gnatorum cæpit producere fila duorum.
Quippe auram miſeris, & dulcem noſcere vitam,
Spemque ſui dederat præbere: alia omnia ventis
Tradita, nocte atra & tenebris inuoluerat Orci.
Non licuit firmos annis, viridéſque iuuenta

Inſpicere,

Inſpicere, & caræ ad metam deducere vitæ.
Nec potui votis, nec ope adiuuiſſe paterna
Clamantes, fruſtraq; patris ſuprema petentes
Auxilia, & nota nequidquam voce vocantes:
Heu mortem inuiſam, quis te mihi Paulle Deorũ
Arripit, & miſerum complexibus abſtrahit iſtis?
Tu prior immiti correptus morte, parentem
Deſeris, & dulces auras, & lumina linquis.
Quòd te ſi tali dederant ſub lege futurum
Fata mihi, non iam fuerat mærori abundè,
Non gemitus? quid me tantis e patribus vnum
Cælicolæ lacrymiſque nouis, & morte recenti
Opprimitis, caróque etiam ſpoliatis Iulo?
Heu, miſerande puer, quanto plena omnia luctu
Liquiſti abſcedens. quem non veſana Deorum
Incuſauit inops, cùm te complexa iacentem
Aſpiceret laniata comas, & pectora mater.
Ah miſera, ah malè fauſta parens, quid Numina
Sollicitas? iacet ille, velut ſucciſus aratro (fletu
Flos tener, & fruſtra non audit tanta gementem
Ah miſera, ah quid ſublatum complexa moraris?
Ille tuus non iam eſt. vos illam in funere matres
Collapſam accipite, exanimemq; reponite tectis.
At vos inſontes animæ, cariſſima nuper
Pignora, quod miſero ſupereſt optare parenti,
Semper auete mei, vt licuit, ſempérque valete.
Seu dulce Elyſium functos, vmbræq; tenebunt
Sanctorum nemorum, puro ſeu ſidera cælo,
Ipſe ego vos ſemper lacrymis, vos carmine triſti

Proſequar, & veſtris perſoluam iuſta ſepulcris:
Donec me vobis tenuem coniunxerit vmbram
Summa dies, gnatis æquat quæ ſola parentes.
Interea curas numeris, Muſáque leuemus
Batte animos: quando rerum mortalis origo eſt,
Quando etiam vitæ norunt vaſta æquora finem.
Scilicet & quondam veniet labentibus annis
Illa dies, cùm iam curuo ſub vomere taurus
Inſudet, terramq́; grauis præuertat arator,
Nunc vbi cæruleæ roſtris ſpumantibus vndæ
Sulcantur, verruntq́; citæ freta longa carinæ.
Nec vos o liquidi fontes æterna manebunt
Sæcula, ſe tanto quamuis pater efferat amne
Eridanus, tumidúſque fluat tot cornibus Iſter.
Quin etiam aërij montes, mirabile dictu,
Taygetus, Sypilusq́;, iugo & Cymbotus opaco
Ingentes poſt æſtates, ac ſæcula longa,
Senſerunt ſeniumq́; ſuum, ſupremáque fata:
Ex quo materies thalamos, primóſque Hymenæos,
Atque elementa nouus ſenſit diſcordia mundus.

Ad Danielem Rhainerium Veronæ Præfectum.

R Heneri venerande, vno quo ſoſpite, nondum
Iuſtitia, & virtus terris antiqua receßit,
Multa quidem monumenta tuis ſub faſcibus Vrbis,
Multa cadunt antiqua piorum & templa Deorũ,
Et Bromij vites, & amicæ pacis oliuæ.

Verùm hæc ex vrbis re dilabuntur, & ipſi
Vltro etiam ſua ſacra volunt procumbere Diui.
Ah, ſaltem antiquo medicorum parcere ritu
Fasq́; & ſuetus amor pietatis, & inclyta virtus
Magna tui valeant. valeant hoc more vetuſto,
Quo noſtri vixere ataui, vixere parentes,
Te duce venturi longum ſuperare nepotes.
Sanctior hic templis, hic Diuûm eſt ſanctior aris,
Quem neque tempus edax potuit, nec ſæcula tanta,
Non belli rabies, non ipſum infringere ferrum,
Tantum eſt iuſtitiam violari, & fœdera rumpi.
Scilicet & ſacra eſt medicina, vetúſque Deorum
Inuentum & ſacri medici, quibus auctor Apollo:
Qui reuocare animas iam caligantibus Orci
Faucibus impoſitas ad caræ munera vitæ,
Aetheriíſque hauſtus, & dulcia lumina poſſunt:
Qui genus innocuum, vitæq́; ad publica nati
Commoda, diuinas tantum didicere per artes
Exercere æuum, atque humanæ præeſſe ſaluti.
Hos æquum eſt te præcipuè, longéque tueri
Rheneri ante alios, idem cui ceſſit Apollo
Ipſe ſuas artes, & munera nobilis oti:
Quemq́; domos Diuûm docuit, perq́; omnia duxit
Sidera, quem Graio inſignem Latióque cothurno
Secretas dedit Aonidum percurrere ſiluas,
Et calamos, citharamq́; humeris ſuſpendit eburnã.
Idem te dulces Sophiæ deduxit ad hortos,
Hortos, quos ver perpetuum, quos aura Fauoni
Semper alit, ſemper cæleſti nectare paſcit.

Salue,magne parens,qui tot virtutibus auctus
Vrbem iuſtitia, & Diuis in pace ſecundis
Egregiam moderare, Atheſis quà flumine pulcro
Labitur,& placido ſecat arua virentia curſu.
Tu quoque magna virûm genitrix vrbs incly-
Cura Deûm Verona,tui ceſſere labores, (ta ſalue,
Aerumnæq; graues,atque horrida Martis imago,
Sanguinis & væſana ſitis,& triſtis Erinnys.
Barbara iam ceßit rabies, & in Alpibus atrox
Sæuitiam miles,gelidúmque exercet ad Albim.
Iam duros nimium ſeruitus,& fera iußa
Deſſuemus perferre, vllos non iam vrbe Tyrannos
Conſpicimus,ſed te Rheneri maxime,ſed te
Magne pater: vno tandem quo ſoſpite,nobis
Iam bona libertas rediit, pacémque per agros
Læta Ceres,Bacchíque chorus comitantur ouantes.
Gaudete,o quicunque boni ſperatis agreſtes,
Quorum amor eſt ſobolis,ſtudiumq; nepotibus arua
Incolere, & paruas vlmis attollere vites.
Tempus io,nunc tempus adeſt,quo ſæcula Parcæ
Aurea nent,tandem quæ nunc te Præſide læta
Incipiunt: ſed erunt nobis tunc maxima,cùm te
Inſignem ſceptro Venetùm ſanctáque tiara
Regna ſalutabunt terris diffuſa,tuumq;,
Quà Sol exoriens viſit,quà deſerit orbem
Occiduus,latè clarum feret Hadria nomen.

Ad Ioan. Matthæum Gibertum epiſcopum Veronenſem.

Ille tuus Giberte, ſacras, qui in montibus aras
Melſinëis tibi conſtituit, qui téque, tuúmque
Per nemus omne canit, pérque omnia litora nomen,
Hæc enata ſuis mittit tibi poma ſub hortis
Aurea, quæ quondam Medorum e finibus Atlas
Tranſtulit, & magno ſeruabat tuta dracone:
Mox victor ſacra expolians pomaria Perſeus
Dum leuibus noſtrum talaribus aëra tranat,
Donauit Charitæ Benaci ad flumina Nymphæ.
Inſuper hos Giberte tibi dat munera piſces,
Qui quondam Etruſci nautæ, noſtráque fuere
Effigie, nunc Benaci ſub gurgite nantes
Cærula conuerrunt ſinuatis æquora caudis.
Quòd ſi fortè iuuat tanti miracula facti,
Atque hominum quondam verſas audire figuras,
Ipſe eadem, Saloi quæ quondam ad litora BATTVS,
BATTVS *amor Dryadum cecinit, mihi rettulit Aegon.*
Fortè ſenex Cretæ patriis Saturnus ab oris
Ab Ioue depulſus, regnum, ſedéſque quietas
Quærebat Latio in magno, fataliáque arua:
Iámque diem medio Sol inclinabat ab axe,
Cùm feſſus, longáque via ſiccatus & æſtu,
Ad vada Benaci viridi proſpectat in herba

Veſcentes nautas, & puri grandia Bacchi
Pocula miſcentes: placido quos ore ſalutans,
Ecquis, ait, veſtrum pueri ſuccurrit egenti,
Defeſſóque ſeni? quis pocula parua miniſtrat,
Extinguitque ſitim? poſcenti illudere nautæ,
Et ridere ſenem, quis enim præſentibus vndis
Poßit habere ſitim? en flumine largius illo
Ebiberis, gelidáque æſtum ſolabere lympha.
Illuſus Deus immißis in flumina palmis
Haurit aquas, pronúſque bibit: tum verſus ad illas
Remigio cautes, quæ fluctibus vndique circum
Clauduntur, mediisq; iacet parua inſula in vndis,
Oſtenditque locum: pretium gens impia iniquum
Poſtulat, at pactus ſenior tamen omnia firmat,
Adiuratq; Deos teſtes, ſcanditq; phaſelum,
Illi autem, dum naue cita liquida æquora ſulcant,
Ignari, quis nam ſedeat Deus, eia age nobis
Fare ſenex: quonam latebras pro crimine quæris?
Anne fugam ſubrepto auro, dominóque relicto
In loca tuta paras? ſed te tua fata ſequuntur
Demens, quem nullæ poterunt ſeruare latebræ.
Nomine Carpus erat, qui tam temeraria verba
Dixerat, ingeminãt comites, aurúmque repoſcunt,
Proferri ſubreptum aurum: ni proferat, omne
Vi rapiant, pulſumq; rate in media æquora turbẽt.
Quos placidus dictis ſenior demulcet amicis.
Etruſci nautæ, quæ nunc mens impia ſuadet
Nec ſeruare fidem vos, nec meminiſſe Deorum?
Dicenti iam vis, iam dextra infertur. at ille,

Qui tandem agnoſci poſſet Deus. impia, dixit,
Gens inimica Deum, dabitur, quod poſcitis, aurum,
Hoc imo ſub fonte aurum poſcetis auari.
Dixerat. aſt illis veniam poſcentibus, & vox
Deficit, & iam ſe cernunt muteſcere, & ora
In rictum latè patulum producta dehiſcunt,
In pinnas abiere manus, veſtisq; rigeſcit
In ſquamas, caudámque pedes ſinuantur in imam,
Qui fuerat ſubita adductus formidine, manſit
Pallidus ore color, quanquam liuoris iniqui
Indicium ſuffuſa nigris ſint corpora guttis.
Carpus aquas primus, Numen qui læſit: in amplas
Se primus dedit, & fundo ſub condidit imo.
Inde alij celeri ſeſe in media æquora ſaltu
Præcipitãt, vacuãq; ratem, & ſine remige linquũt.
Iamq; Deus ſuper vnus erat: ſubit ipſe magiſtri
Munus, & adductu pelagi petit vltima ripis.
Expoſitus ripa placidus conuerſus ad vndas,
Ecquid Io Nymphæ Benacides iſta ſuperſit
Nauis, & hunc amnem ſacrum malè fauſta carina
Et veſtras ſulcabit aquas? en certè ita & huius
Criminis hoc ſcopulo ſemper monumẽta manebũt.
Dixit, & in partem rupis conuerſa pependit
Cum remis ratis ipſa ſuis, vbi cernere conchas
Nunc etiam licet, externo quas litore nautæ
Collectas miſeri media impoſuere carina.
Ex illo nunc Benaci per litora nantes,
Atque auri venas fundo paſcuntur in imo,
Nunc etiam a primo retinentes nomina Carpo.

Ad Margaritam Valeſiam Nauarræ Reginam.

Cæſaris Fregoſij nomine.

Dum me Cenomanos inter tenet Itala tellus,
Zefredique arces, mens autem neſcia claudi
Libera trans gelidas Alpes, Rhodanumq́; vagatur,
Trans Ararim, cælúmque beatũ & Gallica ſemper
Regna videt, Regémque ſuum, tecúmque moratur
Aßiduè, verſatque tuas ſub pectore laudes.
Ecce mihi cælata auro, gemmáque nitenti
Armipotens, galeáque ferox & Gorgone Pallas
Oblata eſt, ſeu ſors tulerit, ſeu fata dedere.
Continuò viſa ante oculos effulgere imago
Magna tui, inq́; ipſa micuerunt Pallade, vultus
Virtutéſque tuæ, moréſque, & facta, decúſque.
Quippe illam e cunctis ſic tu mortalibus vna
Aßimilas, ſic vna refers, in Pallade vt & tu
Noſcare, & Pallas in te: ſiue illa Minerua
Seu dici Bellona velit, conſenſus vtrinque
Eſt idem, ora, animi, Genius, cognatáque virtus.
Iure igitur tibi debetur, tibi conuenit vni
Gemma, aurum effigiéſque Deæ, ſiue eſt Polycleti,
Siue Mironis opus, placeat tibi munus: imago
Eſt tua: ſit gratus cum munere, muneris autor.
Quòd ſi digreſſus paulum, & prouectus amore
Pierio, dum me duices per grandia Muſæ

Facta tua, & dum per monumenta heroica ducūt,
Ipſe tuus memorem laudes, quibus æthera ad altum
Scādis, & illa ſimul referā, per quæ vna Mineruā
Vſque adeo aſsimilas, iuuet auſcultare canentem,
Si vacat, & ſolitæ ſunt te oblectare Camenæ.
Illa parente Deo Ioue magno, fratre ſuperbit
Gradiuo. tum forte acres in bella phalanges
Si quando exacuit, latè timor occupat vrbes,
Turbati tremuere hoſtes, ac terga dedere.
Ipſa haſtam quatit, atque horrenti Gorgone ſæuit.
Ante Deam diræ effigies, terrorq́;, minæq́;
Sanguineæ, & dās terga pauor, visq́; impia, & iræ,
Vincláque, vindictæq́; aſtant, & mortis imago.
At verò poſitis armis, atque ægide dira,
Mollius humanas ſi demittatur ad artes,
Manſuetóſque vſus, tum dulcia carmina cantat,
Et facilem exercet Muſam, aut heroica geſta
Deſcribit, numeríſve orbes metitur & aſtra.
Sin autem imperiis & maieſtatis honore
Gaudeat, æternæ ramis inſignis oliuæ
Aut iuſtas ſancit leges, aut iura miniſtrat,
Aut arces ſtruit, aut medias regina per vrbes
Incedit, matréſque ſuper longè eminet omnes:
Condenſi agglomerant altis clamoribus Afri,
Spectatúmque ruunt, aráſque & publica ponunt
Templa Deæ, plauſu reſonat Tritonia ripa.
Tu pariter magno Gallorum Rege, Deóque
Ac Ioue nota ſimul, Germano Marte ſuperbis.
Nam Martem quiſnam eſſe neget, ſeu fortia nudus

Brachia, prævalidosq́; artus, atq; Herculis armos
Oſtendit, Taurúmque vno proſtrauerit ictu:
Siue acrem pictiſque armis ſpectandus & auro
Preſsit equum, ſtruxitue acies, & victor in hoſtes,
Ceu torrens, ſigna, atque viros ſternítque, fugatq́;:
Fulmineóve Iouis tonitrus imitatus & arma
Tormento, muros & magnas diruit vrbes?
Te quoq; tantorum comitem, partemq́; ſecundam
Bellorum, ſi quando acies atque arma mouenda
Perculſæ tremuere vrbes, horrórque, pauórque
It campis, Mars germanam comitatur ouantem:
Attoniti ſpectant populi, gaudentq́; tueri
Nunc primũ, nunc & medium, nunc agmen obire
Poſtremum, nunc pellere equum, nunc tendere in hoſtem,
Turbantem cuneos, & abactis agmina ſignis.
Aſsiſtunt comites circum ſollertia, & aſtus,
Et magna audentes animi, & tolerantia dura,
Curáque, ſedulitáſque vigil, ſpéſque alta, laborq́;,
Et Diuûm fauor, & ventis fortuna ſecundis,
Ponè ſequens magno graditur victoria plauſu.
Nec minus horrenti a bello, partíſque triumphis
Si iuuat ingenij, pacíſque incumbere in artes,
Nunc lauro redimita comas, imitata ſorores
Caſtalias, plectis numeros, & carmina dictas,
Carmina nec rerum fato ſubiecta, nec æuo:
Nunc magnos dimenſa orbes in templa Deorum
Attollis animos, patrióque aſſueſcis Olympo:
Nunc tua deſcribis vel regum geſta tuorum,

Aut eadem depingis acu. ſtant curribus altis
Et pater, & proauus, cunctique ex ordine Reges,
Captiuóſque hoſtes, & vinctos colla Tyrannos
Ante rotas longis ducunt in templa triumphis:
Ipſa opus & textum ſtupet immortale Minerua.
Quam verò, o quam te dicam, cùm legibus æquis
Iuſtitiáque feros populos frenáſque, regíſque,
Et diuina doces iura, & ciuilia ferre:
Aut arces tollis, aut propugnacula condis:
Aut matres inter medias, populóſque frequentes
Incedis Regina: fauor comitatur euntem,
Maieſtáſque, pudórque, tamen qui Pallada poßit
Armatam, & Martem gradientem in bella decere.
It dextra pax læta manu, & prætendit oliuam.
Applaudunt Sequani, floréſque & lilia paßim
Effundunt, gaudéntque tuas attollere laudes,
Reginámque, Deámque ſalutiferámque ſalutant,
Et pace inſignem, & bello, ferróque potentem.
Fortunata nimis, magnus quam Cæſar, & omnis
Suſpicit, exorátque orbis, cui lumine tellus
Felici arridet, totus cui militat æther.
Diis quanquam viſum aſpectu tibi debita regna
Pauliſper priuare tuo, ſeu crimine ciues
Id meruere aliquo, ſeu te tua fata reſeruant
Ad maiora, viámque tuis virtutibus amplam
Expediunt, pandúntque. etenim iam tempora læta
Illa inſtant, cùm poſt lacrymas, poſt publica vota
Te tandem tua regna nouis decorata tropæis
Accipiant, & iuſta tibi ſolennia ſoluant.

Iam ludi,feſtíque dies,iam ſacra parantur,
Iam placidus ripa gaudet Meniaſcus amœna:
In templis pueri impubes,miſteq; puellæ
Sacra canent,ortúſque tuos ad ſidera tollent:
Vt naſcentem vlnis primæ excepere Camenæ,
Melléque, & Aonio tetigerunt ora liquore:
Vt Charites fouere Deæ, & decus omne dedere:
Vt parua in numerum pedibus cunabula Diuæ
Pellentes,manibus nentes fatalia penſa
Grandia concordes cecinerunt fata ſorores.
Stabunt ingentes ſublatis molibus arcus
Cælati geſtiſq; tuis,factiſque tuorum
Supra omnes humeris extans altáque corona
Frater erit,ſenóſque ferox ex hoſte triumphos
Ducet ouans.mox fortuna congreſſus iniqua,
Cum dura bellare Dea, & decernere dudum
Cogetur.longè illa Euris in bella vocatis
Obiicere aduerſos, & toto nubila cælo,
Et caſus,& monſtra modis minitantia miris
Cernetur:Rex contra animus,& fortibus auſis,
Et virtute noua tandem ſuperare cadentem,
Tendentemq; manus:tũ ferro,& compede vinctã
Protrahere,& campo captiuam ducere aperto:
Nubila diffugere,& turpi deformia monſtra
Victa fuga, vario bello conſumata,faméque
In cæcas latebras,obſcuráque Tartara condi.
O,mihi ſi tantum iuuenili in corpore vitæ,
Et tantum det Parca mihi,hæc ventura ſuperſtes
Vt videam,comitérque tuos Regina triumphos:

Mox etiam ſpectare queam & maiora parari.
En erit, en vnquam illa dies, cùm Gallica ſigna
Attolli, & Sequanos compleri milite campos
Conſpiciam, fremere arma Rhemos, fremere arma Cadurcos,
Aulercóſque, Heduóſq;, & pictis Lingonas haſtis?
In mediis Regem ſecum cataphracta trahentem
Agmina, ſublimem ſanctas procedere ad aras,
Per caput & ſacram Regum de more coronam
Iurantem, & Solymas repetentem debita ſceptris
Regna ſuis: te parte alia fortes Ituriſcos,
Andelos, Bituráſque feros in bella mouentem,
Conſiliis, tantóque operi comitémque, ducémque
Aſcitam: nec non tanto ſub Rege coactam
In ferrum ruere Italiam, & ſocia arma trahentem
Signa ſequi: mox o liceat cælóque ſecundo,
Et præſente Deo, tot ſeſe addentibus vna
Proſpicere immenſum conſterni puppibus æquor,
Carmelique procul rupes, & litora Ioppes
Læta Dei claſſem, & victricia vela vocare,
Et trepidum Euphratem, & magni tremere oſtia Nili.
Tunc ego non alium Martem, mihi Palladaposcam
Non aliam mihi: Rex Mauors, tu maxima Pallas
Sola eris. o ego tunc gemino ſub Numine tutus
Per medios hoſtes videor, denſóſque maniplos
Victor agi, videórque mea ſub cuſpide fractos
Munera magna tibi captiuos ducere reges:
Nec non & ſpolia ampla tuis addenda triumphis

Iungere, Barbaricas veſtes, regúmque tiaras,
Armáque, Mygdoniéſq; arcus, Lyciasq; pharetras:
Cernere & exanimem fuſo cum milite portas
Caucaſeas, atque Hircanos inquirere ſaltus
Maumetem, & ſeſe extremis occludere Bactris.
Hæc, precor, hæc properè eueniant felicibus aſtris,
Si qua fata dabunt, votis ſi Iupiter adſit.
Interea, ſiue hæc te cura, & gloria tangit,
Seu pacem Europæ miſeræ moliris, & arma
In Superûm ſæuos hoſtes auertere tentas,
Magnanimo aſsiſtente tuis conatibus Anna,
Anna ſpectato meritis, cui ſumma poteſtas
Tradita, quo rerum moles oneroſa recumbit,
Quidquid agis, ſi quãdo animũ conuertis ad ipſam
Italiam (neque enim teneat non hæc quoq; cura)
Tunc dicas, cælo ante alios mihi ſidus in illo eſt,
Qui niſi pro Rege inuigilans noctéſque, diesq;
Illic res Italas, & regia munera tractet,
Gallica ſuſpiret regna, & tabeſcat abeſſe.
Præterea, Dea bellipotens, quæ munera Cæſar
Fregoſus, parua illa quidem, ſed congrua mitto,
Haud ingrata tibi Latiis accedat ab oris,
Vna eadem, faciéſque tui, faciesq; Mineruæ.
Quin etiam, quoties Diuam ſpectare iuuabit,
Te toties ſpectare puta: ſed, me quoque tanti
Si facies, ſi me tali dignabere honore,
Cum memor ipſa mei fueris, tum nomine noſtro
Longæuámque diem, & felicia cuncta precata
Diua tuum ſaluere iube ſuper omnia Martem.

Ad Franciſcum Turrium Veronenſem.

TVrri,ſi aut mihi villa, & lar ſit letior, aut tu
Ferre domum tenuem poſſis,paruosq́; penates
Vrbe procul ruri ſeſe abſcendentis amici,
Quantum ego te his mecum Caphiis in montibus optem,
Montibus his,vbi ſi querulæ nemora alta cicadæ
Non rumpant,equidem vix norim æſtatis adeſſe
Tempora,tam leni miteſcit Iulius aura.
Sed quid,ſi eſt anguſta domus,dũ puluere, & omni
Munda ſitu:dum ſit nullo turbata tumultu,
Neſcia curarum,nullius conſcia culpæ:
Alta vbi per totum ſit pax, & amica Camenis
Otia, & integri permagna ſilentia ſomni?
Quid refert,alius minio laquearia rubra
Si inſpicere,ipſe velim fuligine nigra videre?
Si non deiectum cælo Iouis igne Tiphoëa
Terrigenasq́; alios,ſpirantia ſigna,videbis
Admirans opus æterni memorabile Iuli,
At bona libertas aderit,quæ rura beata
Præcipuè inſequitur,ſimplexq́; incedit & exlex.
Hic tibi,ſi paulò digitus ſit inunctior,aut ſi
Potãti inſonuit cyathus,vel ſi pede vtroque
Non ſteteris,nemo obyciet,nemóque ſedentem
Arguet,hoc illi ſi ſors ſuper incubuit crus.
Stare,ſedere,eſſe ex libito,& potare licebit.
Forſitan &,mihi quid vitæ,quid ſit ſtudiorum,

Noſſe optas, quò vel damnes, vel ſingula laudes.
Mane venit, iuuat Auroram, Solémque videre
Naſcentem, qui non alio conſurgit Eco
Fulcrior, vnde noua lætantur ſingula luce,
Et ſilua, ſcopulique, & pictus nubibus aër.
Parte alia Benacum alto de colle ſaluto,
Centum cui virides inuergunt flumina Nymphæ:
Ipſe ſinu magno genitor, magno excipit amne.
Tum iuuat aut ſpectare boues mugitibus alta
Complentes nemora, aut pulſas in paſcua capras.
Præ caper it, cui barba iuba, cui cornua pendent
Intorta, & grandes olido de corpore ſetæ.
Pone gregem reliquum compellit arundine virgo
Vpilio, multo armantur cui baltea fuſo.
Interea natos diſcentes ruſtica amare
Numina, vicini nemoris gelidam voco in vmbrã,
Qui libros, qui ſecum horæ ſolatia portent,
Hic legitur, viridique toro, ſaxóue ſedetur
Glandifera ſub fago, aut caſtanea hirſuta.
At variæ circum ſiluis, & frondibus altis
Aſſuetæ ludunt volucres, atque æthera mulcent.
Tũ denſum nemus, atque vmbræ per gramina læta
Ieiunas nos inuitant ſpatiarier horas.
At feſſi hæc inter pueri ſitiúntque, doléntque
Plus æquo retineri, & iam Muſásque, libroſq;,
Et Pana, & gelidi pinus odere Lycæi.
Ergo præcurrêre, & aquas, & vina pararunt
Lucenti in vitro, & flores ſparſere nitentes.
Aduenio. primas atro lita mora cruore,

Aut

Aut groſſi menſas ineunt, cors cetera, & hortus
Sufficit. interea crebro ſonat area pulſu,
Increpitat ſeges, & duri ſub Sole coloni
Alternis terram feriunt, & adorea flagris.
Fit clamor, reſonat tellus, rupéſque propinquæ,
Et paleæ ſurſum ſtrepitu iactantur inanes:
Læta Ceres alto ridens deſpectat Olympo.
Vmbra diem reliquum, ſomnus, librique, viæq;
Producũt, dum ſiccam æſtu Canis excoquit vrbem.
Verùm, vbi cæruleis ſerus ſeſe extulit vndis
Veſper, & in cælum ſurgentia ſidera vexit,
Vicina e ſpecula, magni admirator Olympi,
Alta rupe ſedens gnatis aſtra omnia monſtro:
Accendóque animos patriæ cæleſtis amore.
Illi admirari, & cognoſcere ſidera diſcunt
Cepheáque, Arctónque, & ſeruantem plauſtra Bootem.
Hæc ergo præferre vrbi, & contemnere magna
Si poſſis, quid te teneat, ne tu ocyus ad nos
Accurras? Etiam has ſedes, hæc limina magnus
NAVGERVS ſubijt, nec dedignatus adire eſt
BATTVS amor Muſarum, ipſum quo tempore primus
Pana, atque antiquos cecinit telluris amores.
Hic me etiam deſueta Deæ, medicúmque ſenémque
Carmina iuſſerunt canere, & ridere beato
Illudentem vrbem, & malè ſani murmura vulgi.
Verùm, hæc GIBERTVS ne viderit ipſe, caueto
Ni forſan Bubulone animum, curáſq; ue relaxans

Propter aquam viridi lætus conſederit herba,
Quà placidus leni deſcendit Tartarus amne,
Scilicet hic numeros non aſpernatur, & audit
Nos etiam, & noſtram, quãuis ſit ruſtica, Muſam.
Verùm, vbi ſe ſibi reſtituit, mentémque recepit
Illam alto intentam cælo, ſeu ſacra ſacerdos
Munera obit, totum ſeu contemplatur Olympum,
Tum ſupra & Muſas, & ruris numina ſupra eſt,
Vitam agitans Diuûm, Dîis ſe cæleſtibus æquans.

Genethliacon.

SAcrorum ſi plena Deo ſunt pectora vatum,
Si norunt triplices ſata futura Deæ:
Fortunate infans, verus tibi gloria vates,
Grandia concordes concinuere Deæ.
Ecce tuo felix naſci nouus annus ab ortu
Incipit, atque omen nomine habere tuo.
Creſce cito, magnique patris mirarier acta
Incipe, & inuicti Cæſaris arma ſequi.
Tempus erit, tibi cùm partis iam mille tropæis
Et feſſi rebus compoſitis Latÿ,
Barbaricis captis opibus, ducibusq; ſubactis
Multa tibi circum tempora laurus eat.
Tum læta ante tuum ſtabit victoria templum,
Claudet & ærata limina ahena ſera.

In obitum Aliprandi Madrutij, Ducis Tridentini.

IMpoſitum cùm te pheretro miſerande Madruti
Cerneret illacrymans Cæſar, circumq́; videret
Et ſpolia & victus erepta ex hoſtibus arma,
Et modò victrices iuxta mœrere phalanges,
Quantū, inquit, tua mors noſtris inimica triūphis
Lætitiæ, decoriſque adimit, ſpes quanta futuri
Tecum Aliprande cadit? ſed non tua viuida virtus,
Vt te hunc aſpicerem, tua non promiſerat ætas:
Sed fore, qui Solymis mecū, atque Oriente ſubacto,
Barbaricis Regum ſpoliis, & mille tropæis
Olim magna tui decorares templa Tridenti.
Inuidit mors tanta tibi. vos nobile corpus
Ferte Ducis veſtri iuuenes, & reddite matri
Exanimi: ſed & hæc miſeræ ſolatia ferte,
Se tantum peperiſſe virum, qui Cæſaris vſque
Et comes, & bene geſtarum pars maxima rerum,
Cæſaris ex animo nullo delebitur æuo.

Tumulus Montani medici.

DVm Medica Montane doces ope vincere fata,
Et Lacheſi inuita viuere poſſe diu,
Lethæo indignans preßit te Parca ſopore,
Et ſecuit vitæ grandia fila tuæ.

Sic animas & tu Aſclepi dum ſubtrahis Orco,
Te quoque ſæuorum perdidit ira Deûm.

Ad Alexand. Farneſium Cardinalem ampliſſimum.

PRiſcæ virtutis, Romani & ſanguinis heres
FARNESI, quoniam nec Dij munuſcula læta
Deſpiciunt, hominum ſpicas, ac ſerta roſarum,
Libáque, & exigui deuotum turis honorem:
Tu quoque, ſi mores imitari, ac facta Deorum
Præcipuè Heroum eſt, non dedignabere parua
FRASTORI quæ dona tui gnatúſque, paterq́;,
Perpetui affectus monumenta, ac pignora mittunt.
Hos tibi patre Lyco, Scylla genitrice gemellos
Dat gnatus ſua dona canes Scyllæ inclyta origo
A Nilo eſt: Lycus a magno deſcendit Araxe.
Qui quõdam Euganeas tranſmiſſi munus ad oras,
Præſtabant cunctis, ſiue aprum figere morſu
Eſſet opus, rapidum curſu ſeu vincere ceruum.
Horum igitur ſobolem gnatus tibi ab vbere matris
Nutrijt ablatam, & noſtris exercuit aruis
Venatu aſſiduo, & vires durante labore,
Noſtrorum famam nemorum, geminúmque ferarũ
Terrorem, nunc ille tibi quam mittit habendam,
Romanis eadem in campis ſi fortè ſequetur
Gloria, & ignota ſors in regione iuuabit.
At genitor, gnati cum munere, carmina mittit

Hæc tibi: quæ, quanquam triſti fugiente ſenecta
Lætitias cantúſque, tamen voluere Camenæ
In te vnum dominæq́; mei, nimiúmque potentes,
Vt canerem, Muſáque canes comitarer amica.
Ergo tot rerum curis, ac pondere tanto,
Quo premeris, dum rem Romanã, ac publica curas
Si quando defeſſum animum, mentémque remittes,
Liber, & ad dulces poteris te vertere Muſas,
Hæc quoque noſtra leges: ea ſi dignabere tanti,
Inter Romanas vt eant ſpectanda Camenas.
Quòd ſi etiam recreare animum, corpúſque iuuabit
Venatu, & latos ſaltus, ac denſa ferarum
Luſtra fatigare, & capreas agitare fugaces,
Tum canibus miſcere tuis, tecúmque vocare
Ne pigeat gnato miſſos. hirſutior ille
Cuncta niger, tantum pedibúſque & gutture canus,
Non inuitus herum Tiberonis voce ſequetur.
Aſt Athiſo (nanque hoc alter de flumine noſtro
Nomen habet) nec curſu impar, nec dente minaci
Segnior, anguineo ſuffuſus terga colore,
Frontem albo pictus diſcrimine, pictus & albo
Ceruicem, caudámque imam, pectúſque, pedéſque,
Addictus lateri nunquam diſcedet herili:
Tantus amor domini: niſi fortè cupidine prædæ
Conſpectæ impatiens etiam retinacula frangat.
Hic tu, vel pulcro Calaï, vel Tyndaridi alto
Polluci ſimilis, ſiluas latratibus omnes
Complebis, rupéſque hominum clamoribus altas,

Vectus equo Aemonio, & fulgenti clarus in oſtro.
Attonitæ viſu diſcent nemora inter amare
Ruſticæ Hamadriades, diſcetis amare Dianæ
Inſuetæ comites: volucri ſed concitus ille
Fertur equo, veſtroſq; alio deportat amores,
Inſequiturq; feras. ah, ne illum accenſa cupido
Venandi, excitos ſiluis impellat in vrſos:
Ne in ſæuos impellat apros: tibi cura, Dione
Aeneadum genitrix, ſit cuſtodire nepotem,
Et iuuenem ilicea defeſſum ſiſtere in vmbra.
Sat ſiluis, animoq; datum eſt: illum ſua Roma
Poſcit, & expectat lati Reſpublica mundi.
I ſpes magna vrbis, rebuſq; vocantibus adſis.
Interea, quando mihi Diuus habere ſemper,
Ipſe tibi Caphiis ſacras in montibus aras
Inſtituam, qua ſe ſummo de vertice collis
Tollit, & æquatum Benaci proſpicit æquor,
Et virides oleæ ripas, patriámque Catulli.
Hic tibi ſolennemq; diem, & renouanda quotānis
Sacra, tuo ſtatuam ſemper de nomine dicta.
Tunc roſa, tunc violæ, tunc purpurei hyacinthi
Verbenæq; ſenem deceant, tunc texere flores,
Et viridem cano capiti impoſuiſſe coronam,
Lætitiáque diem & multo producere Baccho,
Fallentem ſenium, & curas de corde fugantem.
Forſitan & Muſarū aliqua, & tibi cantor Apollo
Plectra mihi, citharamq; dabit: Deus ipſe canentē
Perq; tuos annos, perq; acta illuſtria ducet.
Infanti vt prima impellens cunabula Pallas

Accecinit cantu Graio, cantuq; Latino,
Scilicet & fari lingua aſſuefecit vtraque.
Vt puerum Aonio perfuſum labra liquore,
Per dulces Muſarum hortos, & amœna vireta
Perduxit, nunc Vranie, nunc Calliopea,
Nunc Clio mōſtrante viam, nullaq; ſororum
Non donante roſas, & ſerta virentia lauro.
Tum mores animumq; dedit, ſenſumq; ſenilem,
Atque vrbem regere, ac ſacro ſplendere galero.
Nec iam Roma capit, ſed lata in regna vocatum
Ad pacem Europæ, non te maria alta fatigant,
Non iuga, non toties ſuperatis nubibus Alpes.
Te Pœninæ arces, celerem te Norica ſaxa
Spectarunt rapido montana per ardua curſu,
Quantum Sol cæli, tantum telluris obire
Matre Dea comitante, & iter monſtrante nepoti.
Nec ſatis hæc: maiora vrgent. Germania nuper
Grata Deo, nunc ingeniis elata ſuperbis
Detrectare iugum Imperij, & ſe opponere patrum
Sanctorum placitis, & ſacris legibus audet:
Nec iam Pontificum, nec iam vllos Cæſaris audit
Infelix monitus, ſed læuo numine Diuûm
Arma parat: ſocium Cæſar te poſcit in hoſtes.
Pro ſceptro Imperij, pro relligione Deorum.
Tunc primùm ſtupidæ gentes videre Latinæ
Te, fratremq; tuum patria virtute, animiſq;
Inuictus pariter, res duri, & munera belli
Tractantes: gemini quales duxiſſe feruntur
Tindaridæ pulcri Graias in bella cohortes.

Tunc primùm Romana acies, antiquáque virtus
Viſa fuit: Ducibus tantis Mauortia pubes
Magnanimi Aeneadæ, memores virtutis auitæ
Bella cient: Italo pleni iam milite campi
Denſantur: iam procedunt longo ordine ſigna
Sublata in ventos, latéque inimica minantur.
Nec mora, iam ſummis Romanus miles, & arma
Alpibus apparent: concuſſæ motibus illæ
Fuderunt gemitus, longæ vagus audijt Oenus,
Obriguitque gelu: riguerunt flumina Rheni,
Et pauidus fluxit dèmiſſis cornibus Iſter.
Romanum ad nomen planxerunt pectora matrès,
Caráque in Hercinias traxerunt pignora ſiluas.
Sed quò me rapitis Muſæ? quid facta reuoluo
Farneſi? maiora animo iam concipe, téque
Impauidum, inuictúmque, aliis accinge triumphis.

Ad Iulium III. Pontificem Maximum.

MAxime Diuini paſtor gregis inclyte IVLI,
In terris cui ſumma vni eſt conceſſa poteſtas,
Sceptra, vicéſq; Dei gerere, & regna infera Ditis,
Cælorúmque fores aperire, & claudere poſſe:
Si tu, dum magnæ Italiæ, dum proſpicis omni
Europæ, & vaſta mundi ſub mole laboras,
Pauliſper potes a tantis ſecedere curis.
Et potes agreſtes paſtorum audire Camenas,
Nũc aures adhibe placidas mihi, nãq; ego, quæ Pã,

Pan magnus cecinit noſtros ventura ſub annos,
Nũc referam,tua,magne pater,pars maxima quorum eſt,
Cuius ab auſpiciis Parcæ noua ſæcula voluunt.
Nec te pœniteat paſtorem audire canentem,
Quando etiam Admeti tauros formoſus Apollo
Pauit ad Amphryſi ripas,tenuíque cicuta
Non puduit cantare Deum ſub tegmine acerno:
Et Veneri dilectus oues ductauit Adonis.
Scilicet & tu etiam poſt grandia nomina paſtor
Diceris,atque hoc imprimis cognomine gaudes,
Et pecudes curare ſoles,pecudúmque magiſtros.
Fortè ego,dum medio terras Sol excoquit æſtu,
Ipſe Sueſſani paſtor puer incola campi
Ducebam paſtas viridi de valle capellas
In nemorum ſecreta,vmbras,& frigora quærens,
Quà placidus curſu deſcendit in æquora Lyris,
Eſt lucus,priſci quem ſacrauere Latini
Siluano:in cuius medio denſa ilice cinctum
Eſt pratum,agreſtes vbi Dij perſæpe videri,
Audirique ſolent:hic Capripedes Satyriſcos,
Paſtorúmque manum iunctis per mutua palmis
In gyrum canere,& lætas agitare choreas
Inuenio admirans.medius Pan magnus ouantem
Ad Calamos,cantúſque regit,ducitque coronam:
Dúmque Deus canit ipſe,ſilet tum cetera pubes:
Dum ſilet ille,alij thyaſos,cantúſque,ſequentes
Inſtaurant,repetúntque Dei poſtrema canentis.
Ingeminat poſtrema nemus,reſpondet & Echo.

Tũ me reſpiciens, mihi ſanguine proximus Acmon
Acmon Aquinatis paſtor gregis, huc, puer, inquit,
Huc ades o Næore, & te his adiunge choreïs:
Aut ſpectare magis ſi te iuuat, aggere ab illo
Proſpice, dum ſaturæ ſua ducant otia capræ.
Huic ego: quin potiùs iuuet hoc de ceſpite veſtros
Spectantem luſus molli requieſcere in herba.
Et tum fortè Deus buccas ſandice rubentes
Inflans, & picea frontem præcinctus acuta,
Ad calamos circumſiliens, hæc carmina cantu
Fatidico inſanus latas fundebat ad auras.
Dicite io Satyriſci, & io geminate coloni,
Aurea felici naſcuntur ſæcula mundo.
Excipiunt iuuenes, iterat nemus, aſſonat Echo,
Aurea felici naſcuntur ſæcula mundo.
Tum ſequitur Deus. ante tamen Rex magnus Olympi
Bellúmque, horribilemq́; famem, diramq́; flagellis
Armatam Alecto e tenebris, & faucibus Orci
Immittet terris, genus vt mortale coërcens
Caſtiget, fraudesq́; hominum, faſtusq́; ſuperbos,
Et luxus, & ſpes miſeras, & gaudia vana,
Dum tandem ſeſe, atque Deos cognoſcere diſcant.
Mox tantum expectatum illud, quod carmine ſacro
Tot vates cecinere pij, felicibus aſtris
Adueniet tempus, quo Mons ille arduus, ille
Mons ingens, ſublime caput ſuper omnia tollat
Culmina, ſidereum qui vertice tangat Olympum:
Quò neque vis ventorũ adeat, non fulminu ignes.

Dicite io Satyriſci, & io geminate coloni.
Aurea felici naſcuntur ſæcula mundo.
Hoc in monte, Dei pecudes paſcentur & agni,
Graminis æterni pingues, & velleris aurei.
Exilient & aquæ viuæ, quibus vbera capræ
Grandia diſtendant, diſtendant vbera vaccæ.
Non malus hîc ſerpens, non noxia creuerit herba,
Non ſentes, ſterilisve filix, non frigida taxus,
Sed bis lecta ſeges, ſed bis grauis vua racemis:
Corticibusq́; cauæ ſudabunt balſama pinus.
Hinc magnis præſtantem animis, & fortibus auſis
Fortunata nimis paſtorem hæc ſæcula habebunt,
Qui virute regat populos, & legibus æqui:
Diuinas qui impinguet oues, & paſcua latè
Extendat, pecudesq́; ipſas, & ouilia ſeruet.
Hic primùm diram Alecto, & Cocytia monſtra
Caucaſea ærata religabit rupe catena.
Inde famem miſeram e Latio, populusq́; Deorum
Pellet in hoſtiles gentes, & barbara regna.
Tum læta vbertas, ſegetumq́; onerata maniplis
Alma Ceres Italas ſpicis venerabitur aras:
Quam circum pueri ſalient, & ruſtica pubes,
Ridentesq́; iocos, incomptaq́; carmina dicent.
At noti Muſis Damones & Alpheſibæi
Vota patri magno, laudesq́; & ſacra canentes
Aeternis illum numeris ad ſidera tollent,
Heroemq́;, Deumq́;, ſalutiferumq́; vocabunt.
Dicite io Satyriſci, & io geminate coloni.
Aurea felici naſcuntur ſæcula mundo.

Ille animum mox ad pacem, & diſcordia Regum
Pectora conuertet, ſanctiſque hortatibus iras,
Atque odia, & cæcos regnorum & laudis amores,
Horrendámque ſitim cædis, fuſiq; cruoris
Sedabit, pellétque feri mala ſemina belli.
Tum Pax alma ferens ramos felicis oliuæ,
Atque Amor, & iuncti pariter Concordia dextris,
Et Genius comitum, & generis Hymenæus amator
Inuiſent latè populos, Lætíq; per arua
Lætitiam, riſúſque ferent: tum iuſta cupido
Bellorum, piáque arma, Dei vertentur in hoſtes.
Iam video auguſtis latè plena æquora velis
Feruere, iam trepidare vagi ſeptem oſtia Nili,
Euphratémque, Tigrímque ſuo ſe condere in amne.
Iam nec Bactra ipſum capiunt, non India tota
Maumetem fugientē, ipſum non Caucaſus ingēs,
Non qui tot ſiluas, iuga tot comprendit Imauus.
Dicite io Satyriſci, & io geminate coloni,
Aurea felici naſcuntur ſæcula mundo.
Quæ nam, quæ properant tantæ per cerula puppes
Deuotæ ad Tiberim, magnæq; ad mœnia Romæ,
Ceu denſæ ad nidos latum per inane columbæ?
Agnoſco gentem innocuam, numerumq; beatum,
Felices animas, fatis ab origine prima
Dilectas, quæ cælo olim, diuiſq; fruantur.
En iam ſanctam vrbem, iam ſeptē in collibus aras
Impoſitas, ſummique pedes Paſtoris adorant.
Hos inter, video, & noſtri longa æquora ſulcant
Arcades, Italiamq; petunt, fataliaq; arua

Arcades o ſoli quondam cantare periti
Paſtores, quos iuſtitia e tellure recedens
Poſtremos liquit, nunc rurſus læta reuiſit.
O ſancti properate, vocat Deus æthere ab alto:
Vos alius iam grex, aliudq́; expectat ouile.
Quin venit illa dies, cùm nos quoq; Mænala noſtra
Arcadiámque omnem, qua immani a gente repulſi
Fugimus in Latium, longo poſt tempore tandem
Viſamus, dulcémque auram. o placidiſsime Peneu,
O Ladon, vos o gelidi pineta Lycei
Quando ego per veſtros meditabor carmina lucos,
Menalios quando recinet mea tibia verſus?
Menalus auritas, dantesq́; oracula quercus
Semper habet, ſemper doctas ille audit auenas
Concipe Menalios mea tibia, concipe verſus.
Talia cantabat memorans Pan magnus: at Acmon
Hæc referes puer, inquit, & hoc tibi munus habeto
Nunc paruum, ventura dies maiora reſeruat.
Tum mihi fiſcellam dono dedit optimus Acmon,
Dicere & occaſus aſtrorum, dicere & ortus,
Et quid quæq́; ferat tellus, quæ commoda Baccho,
Quæ Cereri, quidnam ventos, quid nũtiet imbres,
Quæ tempeſtatum, cæli quæ ſigna ſereni,
Denique quæ cunctis natura ſit indita rebus,
Virtutem in primis & honeſtum, quemq; docere,
Ac vitij ipſe expers aliena incidere promptus.
Et iam tempus erat paſtum deducere capras.

Fragmentum.

ILla colum exercens ſaxo conſedit aprico,
Læta tepore nouo, & liquefacta Sole pruina:
At iuxta nemore in magno grex paſcitur omnis.

Hiems.

FRigidus at ſiluis Aquilo ſi increuerit, aut ſi
Hiberni pluuiis deſcendent nubibus imbres,
Nos habeat domus, & multo lar luceat igne.
Vpilio ingentem aut fagum, vel ſciſſile robur
Sufficiat: tum vos, claro quando igne ſoletis
Iuniperi ſuaues circum diffundere odores,
Et vos Palladiæ flamis imponat oliuæ.
Ante focum tibi paruus erit, qui ludat, Iulus,
Blanditias ferat, & nondum conſtantia verba.
Ipſe legam magni tecum monumenta Maronis.
O fortunatos nimiùm, ſi fata quod æui
Nos manet, hoc vna dederint producere vitam.

Ver.

IAm veniet ver purpureum, iuuenisq́; reuertens
Annus aget Zephyros, & cælo deſuper alto
Deducet pleno genitalia ſemina cornu:
Vnde hominum genus, & pecudum, vitæq́; natãtũ,
Et pictæ volucres, & amantes rorida plantæ
In Venerem cæco æterni rapiuntur amore.

Gaudete o quicunque bonum ſperatis agreſtes,
Quorum amor eſt ſobolis,ſtudiumq́; nepotibus arua
Incolere,& paruas vlmis attollere vites:
Annus io,nouus annus adeſt:mutatur & ætas
Et meliora nouo naſcuntur ſæcula mundo.
Bella pater procul, & diras Saturnus Erinnes
Arcebit caro e Latio,ac ſub Tartara mittet.
Tum letum,& cæcus furor, & veſana cupido
Perpetuis extra terras religata catenis
Perſoluent pœnas ſcelerum: at pax alta per omnem
Italiam magno populos ſub Cæſare viſet.
Ille autem inſignis ſpoliis,& mille tropæis
Inſtituet feſtos alta ad Capitolia ludos.
Stabit onuſta ingens,Tarpeij ad limina templi
Quercus honore ſacra,& prænuntia temporis aurei.
Tum veſcæ glandes,tum terræ ſponte ferentes
Omnia:comparibus diſiunget colla iuuencis
Agricola,& rudibus mirabitur hordea ſulcis
Sponte adolere ſuis,& nullo frumenta colono
Vndantem lætis ſegetem flaueſcere campis.
Noctibus in ſiluas & mollia prata ſerenis
Aetherio dulcem commiſtum nectare rorem
Sudabit cælum:tenera qui lectus ab herba
Mortales ſaturat menſa,dapibusq́; Deorum.
Salue, magne Tibri, & vos natæ Tibride Nymphæ,
Tuq́; ſenex pater Eridane,& qui flumine Tuſco
Benace in noſtro placidus perlaberis agro.
Tuq́; Atheſis,cunctiq́; amnes ſaluete Latini,

Dÿq; omnes magnæ Heſperiæ, qui ſæcula ſoli
Aurea Saturni primo meminiſtis ab æuo:
Cùm ſæpes vel limes adhuc communibus agris
Non foret, aut vlli variarent iugera ſulci,
Sponte ſua ſed terra ferax daret omnia, & ipſæ
Præberent dulci victum de robore glandes.

Fragmentum.

QVarum pars brumæ impatiens, & condita terræ
Expectat ver egelidum, flatusq; Fauoni:
Pars paſſura hiemem, læta ab radice vireſcit,
Emittitque comam, ſiculumq; atque altera beta,
Atque ari virides, & odoriferæ calamithæ,
Atque olus, atq; rumex, & ſalſi gramina crithmi.
Quas inter ſuaues molléſque aſpirat odores
Nunc decus hortorum menta: at ſi vera loquuntur,
Nympharum quondam pulcerrima Graiugenarum.
Tum iuuat & frondes Apÿ, & ſiſymbria læta,
Intubáque, & toto florentes frigore ſonchos
Incolere, atque hortis Aquilonem arcere nocentem.
Nox venit, & paſtæ redeunt ad tecta capellæ.
Præ caper it cui barba iubat, cui cornua pendent
Intorta, & grandes olido de corpore ſetæ.
Pone gregem reliquum compellit arundine virgo
Vpilio, multo armantur cui baltea fuſo.
At mater longæua, igni dum braßica feruet,

Aulctra effert,grauidoq́; recens lac vbere mulget.
Ruſticus interea pinguis collector oliuæ,
nterea & validus prima de nocte bubulcus
Aduenere domum: congeſta tum focus orno
ngenti,aut fago,vel fragmine roboris,ardet.
Tolluntur lætæ flammæ,lateq́; relucent.

Aliud.

AT nemora, & liquidis manantia fontibus arua,
placidus myrteta inter,laurosq́; virentes
cinus nitido Benacus labitur amne.
t focus,& circùm pueri vernæq́; canentes,
um cœna vndanti coquitur ſilueſtris aheno,
randiáque exurunt crepitantes robora flammæ,
ſpenſæ e ſummis pendent laquearibus vuæ,
lalaq́;,caſtaneæq́;,& paſſo fiſtula ventre.
iberna de nocte,boum ſtabula alta petuntur.
na omnes mātresq́;,viriq́;,omnisq́; iuuentus
ſomnem exercent noctem:pars penſa fatigat:
ars texit teneros Amerino vimine quallos:
tque anus hic aliqua interea,dum vellera carpit,
t teretem tremulo propellit pollice fuſum,
anguentes oculos fabella fallit inani.

Aliud.

MAne domi validos pluuia vt concluſit agreſtes

Cæditur iliceo diſtenta ſagimine porca.
Læta domus. tum ſollicita in ſarcimine mater
Pingue ſuis niueum, & diſſecti fruſtra cerebri,
Et niueum lac purpureo cum ſanguine miſcet.
Tū ſemen marathri, atq; arentis gramina tymbræ
Adijcit, inſperſoq; coli ſale concaua complet.

Aliud.

BATTVS amor Dryadum defunctum paſtor IOLAM
Flebat. eum fontes, Alpinaq; Numina circum,
Sarcáque, pumiceóque ſedens Benacus ab antro
Mærentem lacrymis conſolabantur obortis.
Ille autem nulla accipiens ſolamina, tantum
Deſerta ſub rupe, in litoribus Benaci,
Talia nequidquam ſurdas iactabat ad vndas.
Immites Diui, & crudeles vos quoque Parcæ,
Crudeles nimium Parcæ. vos ibitis amnes,
Aëriæ ſtabunt rupes: nuſquam amplius ipſe
His terris, nunquam hoc cælo agnoſcetur Iolas,
Vt cecidit: ſemel in pratis vt purpureus flos,
Quem tetigit vel hiems, vel iniquo Sirius aſtro.
Currite iam fluuiorum vndæ, & producite vitam,
Et rupes durate: tamen non alter Iolas
Hos pecus in montes, non hæc ad flumina ducet.

Ad M. Antonium Flaminium, & Galeatium Florimontium.

DVM vos fatidicos vates, arcanáque ſenſa
Voluitis, atque animũ cæleſti nectare alentes,
Alloquiis, magnóque Dei conſueſcitis ori
Felices, duce Giberto, Campenſe magiſtro:
Quid dicam miſerum me agere, & quam ducere vitam
Irrequietum animi, & quærentem indagine vana
Naturam ſemper fugientem: quæ ſe vbi paulùm
Oſtendit mihi, mox facies in mille repentè,
Ceu Proteus, conuerſa ſequentem eludit, & angit
Mærentem ſeniiq; horas, caſſumq; laborem.
Nuper enim tenues ſpecies, ſimulacraq; rerum,
Quæ fluere ex ipſis dicuntur, perq; meare
Omnia, dum ſector meditans, tacitusq; requiro
Auia ſiluarum, & ſecreta ſilentia ſolus,
Cognouit tamen his ſpectris illudier ipſis:
Vt ſenſus feriant noſtros, ſemperq; laceſſant,
Perq; fores, caulasq; animæ ludántque, meentq;,
Ac remeent, ipſámque nec inter ſomnia linquant.
Ergo hoc eluſum ſtudio, feſſúmque labore
Tandem me miſerata ſuos abduxit in hortos
Muſa memor, tetricumq; animũ ſomno, atq; quiete
Curauit, numeriſque & blando carmine fouit.
Tum mihi. quo tandẽ o ſemper mortalia quærens
Hãc colere vſque voles terrã? nunquã ne relinques
Has tenebras, nunquámne in lucem lumina tolles?

An neſcis, quæcunque hic ſunt, quæ hac nocte teguntur,
Omnia res prorſus veras non eſſe, ſed vmbras,
Aut ſpecula, vnde ad nos aliena elucet imago?
Terra quidem, & maria alta, atque his circunfluus aër,
Et quæ conſiſtunt ex iis, hæc omnia tenues
Sunt vmbræ, humanos quæ tanquam ſomnia quædam
Pertingunt animos, fallaci & imagine ludunt,
Nunquam eadem, fluxu ſemper variata perenni.
Sol autem, Lunæq; globus, fulgentiáque aſtra
Cetera, ſint quamuis meliori prædita vita,
Et donata æuo immortali, hæc ipſa tamen ſunt
Aeterni ſpecula: in quæ animus, qui eſt inde profectus,
Inſpiciens, patriæ quodam quaſi tactus amore
Ardeſcit. ſedenim, quoniam hic nõ perſtat, at vltra
Neſcio quid ſectatur auens, tacitusq; requirit,
Noſſe licet non ipſius conſiſtere verum
Hic finem, verum eſſe aliud quid, cuius imago
Splendet in iis: quod per ſeipſum eſt, & principium eſſe
Omnibus æternum, ante omnẽ numerumq;, diemq;.
In quo alium Solem, atque aliam ſplẽdeſcere Lunã
Aſpicias, aliosq; orbes, alia aſtra manere,
Terramq;, fluuiosq; alios, atque aëra, & ignem,
Et nemora, atque aliis errare animalia ſiluis:
Denique cuncta alia cernas vegetantia vita.

Ergo, vmbras cùm iam ſatis, & ſpecula illa, ſupérque
Spectaris, longa iam dudum in nocte pererrans,
Fas tandem lucem, atque ipſum perquirere verum.
Quod quoniam longè ſeiūctum eſt corpore ab omni,
Nec nexus habet, aut affinem ſenſibus vllis
Naturam, ſcito eſſe animum tibi diſſociandum
Corpore, purgandumq́; omni contage recepta,
Terrena labe, & mortalis luminis hauſtu:
Quærendæq́; aliæ ſiluæ, callesq́; tenendi
Sunt alij, meliorq́;, Deum quæ ſemita monſtrat.
Hæc Muſa, o ſi te comitem dent rura beata
Bardolena mihi: o qui nos propter amœnum
Benacum viridi ſiluis in litore ſiſtat:
Atque olea, lauroq́; tegat, detq́; abdita vatum
Senſa, & vtranque Dei præceptam euoluere legem.
Rura, oro, Giberte tuo Benacea vati
Da, viridesq́; oleas, & multa protege lauro.
Ille tuas laudes primùm canet, & tua facta
Inclyta Mæoniis numeris ad ſidera tollet.
Vt puerum mirata ſacro cum Tibride Roma
Ante annos meritis titulis & honoribus auxit.
Vt res Romana, & ſacrorum tradita iuſſu
Pontificum tibi ſumma in te vno ſæpe reſedit:
Vt ſeptem fremuere nouis applauſibus arces.
Macte animis, macte ingenio, tu traijcis æquor
Barbaricum, & ferro reges in bella ruentes
Alloquiis frenas, & cœptos ore tumultus,
Armaq́;, & hoſtiles animos, & prælia ſedas:

Fœdera,amicitiáſque feris,pacémque reportas
Italiæ,populiſque Dei.nec te tamen ingens
Terra capit.toto iuuenem tot plauſibus orbe
Exceptum,tua te pietas,tua maxima virtus
In cælum vehit,& terræ dat ſpernere honores:
Dat contemnere opes, vníque incumbere Olympo,
Ac ſolis diuorum epulis, & nectare paſci.
Hæc vbi perpetuo cantauit carmine, & omnes
Reſpondent latè rupes.tunc concitus æſtro
Fatidico,plenúſque Deo Dauidica vates
Ipſe etiam pater interpres oracula ſoluit,
Dignus,qui ante omnes citharã pertractet eburnã:
Quam quondam Solymæ ſtupuere.

Deſunt reliqua.

Ad Cardinalem Farneſium.

HÆc ego florentes ſophiæ digreſſus in hortos,
Italiæ decus,o iuuenis Farneſia proles,
Condebam,lectasq; tibi de more ſacrabam
Primitias,dum tu magni inter Cæſaris arma,
Gallorúmque acies,recti paciſque ſequeſter
Res miſeræ Europæ fractas componis,& omne
Robur,& arma Dei Maumeten vertis in hoſtẽ,
Percurrisq; omnem, veluti Sol aureus,orbem.
Fortunate nimis,quẽ cũctæ applauſibus vrbes
Excipiunt,paciſque vocant patrémque, deúmque,
Inq; caput,ſacroſq; ſinus,humeroſq;,manusq;

Et nigras violas, & candida lilia iactant:
Cui magna Italia, & terrarum maxima Roma
Aſſurgit, feſtóſque dies, & ſacra nepoti,
Solennéſque agitat pompas: denſi vndique circum
Stant populi, & ſtudio ingenti, & clamore ſecũdo
Farneſum genus omne, alto de ſanguine ductum
Aeneadum longa ſerie, ſuper æthera tollunt
Patres, atque Duces, & partos mille triumphos:
Aſſenſu reſonat Tibris, & Tyrrhena reſultant
Litora ſepteni reſponſant gaudia colles.
O nimium dilecta Deo, prælatáque longè
Progenies, ſiue imperiis & Marte regendæ
Sint res Romanæ, ſeu relligionis habenis.
Atque equidem e fracto imperio, Romáque cadẽte
Seruatam hanc ſtirpem fato, ſtatuentibus & Diis
Crediderim, quò Romanum per ſæcula nomen
Staret, & Ara Dei, quæ primùm maxima magnis
Auſpiciis fundata fuit, ſit maxima ſemper.
Quò me Paulle rapis, quò tuq;, neposq; vocatis
Laudibus heroum inſuetum? tu maximus ille es
Vni cui regni triplicis capite alta tiara
Conſurgit, cui ſumma vni terna illa poteſtas
Terrarum, cæliq; data eſt, vaſtiq; profundi,
Illorúmque aperire fores, & claudere poſſe.
Qui Petri, Chriſtique ratem turbante procella
Ventorum varia, & remorum parte reuulſa,
Tẽpeſtatem omnem, atque aduerſos diſcutis Euros,
Nec ſanctam ſine honore ſinis, ſine remige certo
Fluctibus in tantis agitari turbine cymbam,

Macte animo Romano, & macte ingẽtibus auſis.
At tibi quas, iuuenis fortunatiſsime, dignas
Attribuam laudes, generis ſpes altera tanti
Inclyte Alexander, puerum quem plurima Virtus,
Canaq; conſurgens teneris Prudentia in annis,
Et ſpondens maiora aſtris felicibus æther
Ad ſummos meritum ante annos euexit honores,
Et ſacri geſtare dedit decora alta Galeri:
En quantum de te ſacri ſibi Paſtor ouilis
Spondet auus tuus ille animo quæ gaudia verſat.
Forſitan & proprio non tam gauiſus honore,
Quàm ſpe ſublatus, tanti & virtute nepotis,
Neſcio quid maius præſaga mente volutat:
Scilicet & gnarus fatorum, & præſcius æui
Venturi, illa videt felicia tempora, cùm tu
Sede ſua, ſolióque Dei, Diis proximus ipſis
Conſideas, cùm Pontifici tibi maximus orbis
Gratetur, ſupplexq; tuis ferat oſcula plantis.
O mihi poſtremæ tantum dent numina vitæ,
Ipſe etiam vt tum te tremulus, confectus & annis
Aſpiciam, ſanctosq; pedes proſtratus adorem.
O & ſi poſsim canere, & tua dicere facta,
Et ventura nouo tecum ſæcla aurea mundo.
Nam video ſub te victum, longeq; fugatum
Maumeten ſe Caucaſeis includere portis:
At Pacem viridi redimitam tempora oliua
Ire per Europam magnam, atque inuiſere terras:
Quam pia Relligio, & iunctis Concordia dextris,
Et Probitas, & amor recti comitentur euntem.

Salue magne Tibri, ſalue & tu maxima rerũ
Roma parens, ſaluete arces, colleſq́; Latini,
Aurea qui primi longo meminiſtis ab æuo,
Sæcula, cùm nulli variarent iugera ſulci,
Sponte ſua ſed terra ferax daret omnia, & ipſæ
Præberent dulci victum de robore glandes,
Et nunc venturis eadem ſperatis ab annis.

Epitaphium Molſæ.

Quod Molſæ fuerat mortale hac conditur vrna,
Exſtruxere ſuis quam Aonides manibus.
Cœtibus at ſuperum fruitur nitidiſsimus almis
Itq́; comes magno ſpiritus Hippolyto.
Quem Medica de gente ſatum pulcerrima virtus
Extulit, & cæli templa tenere dedit.
Quémque vnum ante omnes coluit, dum fata ſinebant,
Atque oculis vates prætulit ipſe ſuis.

LECTORI.

Hiſtoriam Ioſephi, quam Fracaſtorius carmine inchoauerat, conſultò omiſimus: eſt enim opus inemendatum, & inabſolutum: cuius ſuppreſſione potius quàm editione, autoris famæ conſulatur. pro eo igitur non adeo ſanè eleganti poëmate habes a nobis proximum epigramma, & Eclogam de cura canum, quæ antea deſiderabantur.

ANGELI POLI-tiani Carmina.

SIcubi a I. Cæſ. Scaligeri doctiſſimi viri iudicio diſcedere fas eſt, in eo, quod de Politiano ſcriptum reliquit, libētiſſimè ab eo diſſenſerim. Videtur enim ipſum Politianum propemodum negligere, quòd Statium ſibi potius quàm Virgilium imitandum propoſuerit, quē tamen Statium ipſe Scaliger & a criticorum noſtri temporis cēſura aſſerit, & inter optimos poëtas collocat. Nos verò ita de Politiano ſtatuimus: ſummo eum iudicio, cùm Siluas ſcripturus eſſet, Statiū, qui in eo genere excellit, fuiſſe æmulatum. Aliquis enim Elegos ſcripturus Ouidium ſibi aut Tibullum, opinor, potius quàm Virgilium, qui nihil tale ſcripſerit, ſtatuet imitandum. Has verò Politiani Siluas eo artificio elaboratas cenſemus, vt ipſum Satium in hoc genere ab hoc noſtro ſuperatum, vna cum doctiſ-

ſimis viris, quorum princeps eſt Io. Auratus,arbitremur. Nam & vbi res poſtulabat Maronianam adhibuit maieſtatem:& ſententiarum acrimonia,figurarumque nouitate longè Statio felicior euaſit.

Et hæc de Politiano.

Ex Elogiis Paulli Iouij.

POlitianus a prima ſtatim iuuenta admirabilis ingenij nomen adeptus eſt, cùm nouo illuſtriq; Poemate Iuliani Medices Equeſtres ludos celebraſſet,Luca Pulcio nobili Poëta omnium confeſſione ſuperato : qui Laurentij fratris ludicrum equeſtris pugnæ ſpectaculum iiſdem modis & numeris decantarat.In id enim e Grçcis atque Latinis delectos flores populo ſtupendos contuliſſe cenſebatur. Nec multo poſt Iuliano a Pacciis in templo immaniter interfecto , eius vindicatæ coniurationis hiſtoriam Latinè ornatiſſiméque perſcripſit.Profeſſus demum in gymnaſio Latinas pariter Græcáſque literas tantos de ſe excitauit clamores fauente iuuentute, vt Demetrius Calchondyles vir Grçcus præſtantique doctrina,vti aridus atque ieiunus,a diſcipulis deſereretur.Exinde He-

rodianũ Romanè loquentẽ publicauit, cũ-ctis haud dubiè prærepta laude, qui id generis munus ante ſuſceperint. Sed eadem præcellenti ſtudiorum omnium vbertate florentem, poſt editam miſcellaneorum Centuriam, publicatáque Latina Poemata, immatura mors oppreſſit: vix enim quadrageſimum quartum ætatis annum attigerat.

Politiani tumulum a P. Bembo conſcriptum lege Tomo ſuperiore, fol. 174. b.

IO. M. TOSCANI.

Barbariem hic Italis princeps exegit ab oris,
Cùm vox in Latio nulla Latina foret.
Idem pannoſas & olentes rura Camœnas
Iuſsit in antiquis pergere munditiis.
Italiæ & Muſis debent Ciceróque Maróque:
Huic Muſæ, & Phœbus debet, & Italia.

ANGELVS POLITIANVS ANtoniotto Gentili, TT. ſanctæ Anaſtaſiæ presbytero Cardinali Aurienſi S.

PAruum quidem tuo nomini libellum dedico,ſed (vt ſpero) nec inanem rerũ, nec inopẽ. Multa & remota lectio, multa illum formauit opera. Titulũ Nutricia diximus. Qua figura & Statius Soteria. Plenior hic enim mihi viſus, & argumẽto cohærentior,quã qui olim placuerat,Nutrix. Tu verò electus potiſſimùm,in cuius appareat nomine,non quò rẽ tantillã tantę virtuti fortunæque cõuenire arbitrer,aut hoc eſſe denique putẽ,quod tuis erga me meritis debeatur: verùm cũ prodire nollet hic in publicũ liber ſine patrocinio, tuũ præcipuè ſibi nomẽ inſcripſit,ex quo tutior foret,atque honeſtior. Quare ſuſcipe quæſo, quicquid hoc eſt mei fœtus,qua me quoq; ipſũ ſoles humanitate. Deinceps autẽ plura melioráque forſitã accipies,modò hunc primũ quaſi guſtũ non aſperneris. Nec enim vel ignoro,vel diſſimulo, quantũ tua mihi apud Innocentiũ pontificem maximum ſuffragata ſit autoritas, cui quidem & ipſi quotidie a me,ſi nõ par gratia, certè aliqua tamen pro virili parte,ſcribẽdo ſaltem, benéque & ſentiendo & eloquendo refertur. Vale.

ANGELI POLITIA-NI CARMINA.

SILVA, CVI TITVLVS Nutricia.

Argumentum de Poëtica & Poëtis.

STat vet⁹, & nullo lex interitura ſub æuo
Diuorum, atque hominum concors: incidit in auro
Scilicet hanc natura parens, dictaſſe feruntur
Fatorum conſulta Themis, ſolersq; futuri,
Nondum Caucaſea pendens de rupe Prometheus,
Quæ gratos blandæ officio nutricis alumnos
Eſſe iubet, longumq; pia mercede laborem
Penſat, & emeritis cumulat compēdia curis.
Hinc Italos Phrygio ſignauit nomine portus
Caietæ memor Aeneas: hinc vrbe Quirini
Annua cinctutos nudabant feſta Lupercos.
Hinc pater aſtrigero Dodonidas intulit axi
Bacchus Agenoreo facturus cornua tauro.
Hinc iubar Olenium ratibus pelagoq; pauendum
Exoritur, ſiquidem Cretæa fertur in Ida
Capra Iouem puerum fidis aluiſſe papillis.
Aſt ego, cui ſacrum pleno dedit vbere nectar,

Non

Non olidi coniunx hirci, non rana ſub antris
ellua, non petulans nymphe, non barbara mater,
ed dea Pieridum conſors, & conſcia magnæ
allados, humanas auguſta Poetica mentes
iderei rapiens ſecum in penetralia cæli:
Quas rogo, quas referam grates, quæ præmia tantæ
ltrici ſoluiſſe queam, nec fulminis autor,
Nec thyrſi ſceptrique potens? quónã improba ducis
Mens auidum? quò me pietas temeraria cogis
ttonitum? quinã hic animo trepidãte tumultus?
allor? an ipſa aptum dominæ præcordia munus
rturiunt vltrò, vocemq́; & verba canoro
oncipiunt ſenſim numero, inlibataq́; ſundunt
armina nunquam vllis Parcarũ obnoxia penſis?
c eat. En agedum quà ſe furor incitat ardens,
uà mens, quà pietas, quà ducunt vota ſequamur.
tulerat terris nuper, mundóque recenti
ura dei ſanctũ hoc animal, quod in æthera ferret
blimes oculos, quod mentis acumine totum
aturæ luſtraret opus, cauſſasq́; latentes
iceret rerum, & ſummum deprenderet aui
rtificem, nutu terras, maria, aſtra regentem,
uod fretum ratione animi ſubſterneret vni
uncta ſibi, ac vindex pecudum, domitorq́; ferarũ
ſſet ab ignauo ſenium defendere mundo.
eu lento ſquallere ſitu ſua regna, neque ægram
gnitie pateretur iners langueſcere vitam
d longum tamen obſcuris immerſa tenebris
ẽs rudis, atque inculta virûm, ſine more ſine vlla

Lege, propagabant æuum, paſſimque ferino
Degebant homines ritu, viſque inſita cordi
Mole obſeſſa graui, nondum vllos prompſerat vſus.
Nil animo, duris agitabant cuncta lacertis.
Nondum relligio miſeris (ſi credere fas eſt)
Non pietas, non officium, nec fœdera diſcors
Norat amicitiæ vulgus, diſcernere nulli
Promptũ erat ambiguo ſuſceptã ſemine prolem.
Non torus inſterni genio, non crimina plecti
Iudicio, nulla in medium conſulta referri.
Non quæri commune bonũ, ſua commoda quiſque
Metiri, ſibi quique valere, & viuere ſueti.
Et nunc ceu prorſus morientem veſpere ſero
Ignari fleuere diem, nunc luce renata
Gaudebant ceu ſole alio, variôſque recurſus
Aſtrorum, variam Phœben, ſubluſtris in vmbra
Noctis, & alternas in ſe redeuntibus annis
Attoniti ſtupuere vices, inſignia longum
Spectabant cæli, pulcrôque a lumine mundi
Pendebant cauſſarum inopes, rationis egentes:
Donec ab æthereo genitor pertæſus Olympo
Socordes animos, longo marcentia ſomno
Pectora, te noſtræ diuina Poëtica menti
Aurigam, dominámque dedit. tu flectere habenis
Colla reluctantum, tu lentis addere calcar,
Tu formare rudes, tu prima extundere duro
Abſtruſam cordi ſcintillam, prima fouere
Auſa Prometheæ cæleſtia ſemina flammæ.
Nam ſimul ac pulcro moderatrix vnica rerum

Suffulta eloquio dulcem ſapientia cantum
Protulit, & refugas tantum ſonus attigit aures,
Concurrére ferum vulgus numeróſque, modóſque
Vocis & arcanas mirati in carmine leges
Denſi humeris, arrecti animis immota tenebant
Ora cateruatim, donec didicere, quid vſus
Diſcrepet a recto, qui fons, aut limes honeſti
Quiue fide cultus, quid ius æquabile, quid mos,
Quid poſcat decor, & ratio, quæ cōmoda vitæ
Concilient inter ſe homines, quæ fœdera rebus,
Quantum inconſultas vltra ſolertia vires
Emineat, quæ dein pietas præſtanda parenti,
Aut patriæ, quantum iuncti ſibi ſanguinis ordo
Vindicet, alternum quæ copula ſeruet amorem.
Quod gerat imperium fractura Cupidinis arcus,
Atque iras domitura truces, vis prouida veri,
Vis animæ, celſa quæ ſic ſpeculatur ab arce,
Vt vel in aſtrigeri ſemet præcordia mundi
Inſinuet, magnique irrumpat clauſtra tonantis.
Agnorant ſe quiſque feri, pudibundáque longum
Ora, oculos, taciti inter ſe, immotique tenebant.
Mox cunctos pariter morum, vitæq́ prioris
Pertæſum: ritúſque auſi damnare ferarum,
Protinus exeruere hominem. tũ barbara primùm
Lingua nouos ſubijt cultus, arcanáque ſenſa
Mandauere notis, multáque tuenda virum vi
Mœnia ſuccinctus populis deſcripſit arator.
Tum licitum, vetitúmque inter diſcrimina ferre,
Et pretium laudi, & noxæ meditantia pœnam

Vindicibus cœptum tabulis incidere iura.
Mox & dictus Hymen, & deſultoria certis
Legibus eſt adſtricta Venus, ſic pignora quiſque,
Affectúſque habuere ſuos, bellique togæq;
Innumeras commenti artes, etiam æthera curis
Subſtrauere auidis, etiam famulantibus altum
Inſeruere apicem ſtellis, animóque rotatos
Percurrêre globos mundi, & ſacra templa per orbem
Plurima luſtrato poſuerunt denique cælo.
Sic ſpecies terris, vitæ ſua forma, ſuúſque
Dis honor, ipſa ſibi tandem ſic reddita mens eſt.
An verò ille ferox, ille implacatus, & audax
Viribus, ille graui proſternens cuncta lacerto,
Trux vitæ, præceps animæ, ſubmitteret æquo
Colla iugo, aut duris pareret ſponte lupatis,
Ni prius indocilem ſenſum facundia victrix
Vimq; reluctantem irarum, flatúſque rebelles
Carmine molliſſet blando, praniſque ſequentem
Auribus, ad pulcri ſpeciem duxiſſet honeſti?
Quippe etiam ſtantes dulci leo carmine captus
Submittit ceruice iubas, roſeámque dracones
Erecti tendunt criſtam, & ſua ſibila ponunt.
Ille quoque vmbrarum cuſtos, ille horror Auerni
Cerberus, audita Getici teſtudine vatis
Latratum poſuit triplicem, tria ſuſtulit hiſcens
Ora, nouo ſtupidus cantu, qui flexerat atram
Tiſiphonen, ſæuo lacrymas conciuerat Orco.
Ipſum fama Iouem, cùm iam Cyclopea magna

Tela manu quatit inſurgens, tonitruq́; coruſcat
Horriſono, & cæca miſcet caua nubila flammis:
Vt tamen increpuit neruis, & pectine pulcer
Delius, alternúmque piæ cecinere ſorores,
Placari, totúmque ſua diffundere mundum
Lætitia, & ſubito cælum inſtaurare ſereno.
Nunc agè, qui tanto ſacer hic furor incitet œſtro
Corda virùm, quàm multiplices ferat enthea partus
Mens alto cognata polo, qui præmia doctæ
Frontis Appollineas auſi tibi nectere lauros,
Inclyta perpetuis mandarunt nomina ſæclis,
Expediam, faueat pulcro nunc muſa labori.
Muſa quies hominum, diuúmq́; æterna voluptas.
Iuppiter (vt perhibent) liquit per & ignea mūdi
Templa, per & ſtellis radiantibus æthera fixum,
Aurarumque animas, ſola terræ, & cærula ponti
Diſsitus, errantes citharæ vice temperat orbes,
Ac rapidum imparibus curſum rotat interuallis:
Quem rata pars tamen, & certum confine diremit.
Hinc noſtro maior captus ſonus exit, acutas
Compenſans grauibus ſeptem in diſcrimina voces,
Stellantéſque globos ſua quæque innoxia Siren
Poſsidet, ambroſio mulcens pia numina cantu.
Nec tamen in nullis hominum ſimulacra refulgent
Mentibus, arcanam cæli teſtantia muſam,
Permixtúmque Iouem. nam ceu tralucet imago
Sideris in ſpeculum, ceu puro condita vitro
Solis inardeſcit radio vis limpida fontis,

Sic nitidos vatum defæcatóſque ſonori
Informant, flammantq; animos modulamina cæli.
Is rapit ouantem feruor, fluctúque furoris
Mens prior it peſſum, tum clauſus inæſtuat alto
Corde deus, toto lymphatos pectore ſenſus
Exſtimulans, ſociũq; hominẽ indignatus, ad imas
Cunctantem abſterret latebras, vacua ipſe potitus
Sede, per obſeſſos ſemet tandem egerit artus,
Inq; ſuos humana ciet præcordia cantus.
Non illos cygnæa Mele, non Dædala chordis
Apta fides, non quæ duplici geniale reſultant
Naula citata manu, non vincat dulcior ille
Flatus inæquales digitis pulſantibus implens
Compreſſo de folle tubas, pius æmula contra
Iubila cui referunt chorus, alterníſque laceſſunt.
Agnoſcas properè numen, ſuſpirat anhelo
Gaudior ore ſonus, quantusq; impleuerit antrum
Phœbados, aut rupem Euboicam, nec Martius illũ
Terrificum clangens rauci canor æris obumbret,
Nec tonitrus Iouis, aut petulantibus incita flabris
Oſſæo pineta iugo, Nilíve ruentis
Exſurdens vicina fragor, mirantur & ipſi
Sæpe (quis hoc credat?) quæ nuper cumq; recepto
Numine, legitimi cecinere oracula vates,
Caligátque animus viſis, nec vindice lingua
Defendunt ſua dicta ſibi, poſtquam ille quieuit
Spiritus, & preſſi tacuit ſacer impetus oris.
Ipſáque Niliacis longùm mandata papyris
Carmina Phœbæos videas afflare furores,

Et cæli ſpirare fidem, quin ſancta legentem
Concutiunt parili turbam contagia motu,
Déque aliis alios, idem proſeminat ardor
Pectoris: inſtinctus vates, ceu ferreus olim
Anulus arcana quem vi Magneſia cautes
Suſtulerit, longam nexu pendente catenam
Implicat, & cæcis inter ſe conſerit hamis.
Inde ſacros Muſarum amnes, Heliconia Tempe
Multiſoni celebrant numeroſo gutture cycni,
Prima tamen dubias fuderunt carmina ſortes.
Quippe etiam ante Iouem ſagis inſtincta reſoluit
Ora ſonis Nereus, Nereus quem priſca marinum
Dictat fama ſenem, túque o conſulte Prometheu,
Qui tenuem liquidis ignem furatus ab aſtris
Mirantem fruſtra Satyrum, captúmque decoro
Lumine, ne flammæ daret oſcula blanda, monebas:
Mox quoque Phocaico verum mugiuit ab antro
Alma Themis, qua rupe pares vtrinque volatus
Armigeræ poſuere Iouis, tum Iuppiter ipſe
Fatidico monuit cantu Dodonida quercum,
Præſciáque in Libycis concuſſit cornua lucis,
Móxque Lycaonias Pan carmine terruit vmbras.
Carmen Apollinei tripodes, laurúſque locutæ,
Quæq; coronatum ſonuere Phileſia Branchum,
Paſtorem Branchum, tribuit cui gratus amorum
Sortilegas voces admiſſus ad oſcula Pæan.
Et ſua per carmen ducibus reſponſa Latinis
Noctiuagus cecinit calcato vellere Faunus.
Vos quoque per carmen triplices oracula Parcæ

Veſtra datis, quin & veteres prompſere Sibyllæ
Carmen, Amalthea, & fati Marpeſia diues,
Herophiléque Idæa genus, prædoctáque Sabbe,
Demóque, Phygóque, & veri gnata Phaennis,
Et Carmenta parens, & Manto, & Pythia lõgos
Phemonoe commenta pedes, & Philia Glauci
Deiphobe, nimium viuax, & Marcia fratrum
Nomina, lymphatiſque Bacis, ſubtérque Triones
Natus Hyperboreos Ollen, inq; Atthide terra
Clarus honore Licas, Dodoniadéſque columbæ.
Nam quid ego innumeras variantem Prothea formas,
Sed dubio riſus vultu, lacrymáſque peroſum,
Quídve loquar te Glauce ſenex? plenúmque parente
Idmona, fulminei proſtratum dentibus apri?
Ampycidémque pium, Libycis quem fudit arenis
Vipera ſatifero fauces accenſa veneno.
Quid te, cui volucrum linguæ patuere Melampu?
Quid, cui poſt viſos nudatæ Pallados artus
Cernere nil licitum? quid quem impia prodidit vxor,
Hoſticáque hauſit humus? quíque alto in melle necatum
Reſtituit luci, quo nuper vixerat anguis
Gramine Minoum Dictæo carcere Glaucum,
Aut qui mille rates peritura ad Pergama duxit
Theſtoriden, aut qui magica fera murmura linguæ
Ingeminans, liquido deduxit ab æthere fulmen

In caput ipſe ſuum, propugnarique bidental
Iuſsit, Achæmeniam ſeruantia buſta tiaram?
An memorem Solymos præluſtria nomina vates?
Pſallentémque deo regem, qui turbine funda
Icta Philiſtæo ſecuit puer ora giganti.
Téque Palæſtini laqueantem culmina templi
Mentis, opúmque potens Solomon, nec odora tacentem
Oſcula ſolicito languentis amore puellæ?
Pars hymnos fudere deo ſic maximus ille
Nondum clara ſacris radiatus tempora Moſes
Ignibus, vt rubras ſicco pede tranſiit vndas,
Demerſo inſignem cecinit Pharaone triumphum.
Túque puer modo dicte mihi Ieſſæe viciſsim:
Dulcia terribili mutans pſalteria bello,
Voce Deum placas, vt quos Babylone rebelli
Lambit in horriſonis non noxia flamma caminis:
Quóſque alios veteris gens ſeruantiſsima ritus,
Retrorſum Iudæa legit: ſed enim æthera magnum,
Cuſtodéſque aliis genios (ita iuſſerat error
Publicus) innumerosq́; lares, functosq́; ſepulcris
Mille deos, variiſque animatum partibus orbem,
Heu fruſtra coluere pij, veniamq́; rogantes,
Qualiacunque ſuo placabant numina cantu.
Mox chaos & teneri prima incunabula mundi,
Et diuûm genus, atque hominum, & Titania ſæcla
Non humili dixere tuba, quóque edita partu
Gramina, frōdiferumq́; nemus, gentéſque ferarum,
Quídve parens natura agitet, quóſque aurea ducās

Aſtra choros, vt ſe fraternis Delia flammis
Induat, & radiis eadem mox depleat hauſtis.
Quæ cælo portenta volent, quémve ille tumultum
Miſceat, aut quantis varietur ab ignibus aër,
Quo ſaliat quaſſante ſolum, qui torqueat error
Oceani refluas vndas, molémque natantem.
Inde ſacroſanctas modulati carmine leges,
Multiſonum fecere Nomon, nec vulnera tantum
Sæua, ſed & cæcos vincebant carmine morbos
Sacrifici quondam nec diis ignara poetæ
Nomina. Quin magicas arcano murmure linguas
In varios duxere modos: nec fabula mendax
Parrhaſios lapides mouiſſe Amphiona plectro,
Orpheos atq; lyram curua de valle ſecutas
In caput iſſe retrò liquido pede fluminis vndas,
Cumq; ſuis ſpelæa feris, cum rupibus ipſis
Dulcia Pierias properaſſe ad carmina fagos.
Quæq; auis applauſo libraret in aëre pinnas,
Penè intercepto vix ſe tenuiſſe volatu.
Illius argutis etiam patuere querelis
Tartara, terrificis illum villoſa colubris
Tergemini ſtupuere canis latrantia monſtra.
Tum primùm & lacrymas inuita per ora cadētes
Eumenidum, Stygij coniux mirata tyranni
Indulſit vati Eurydicen, ſed muneris vſum
Perdidit heu duræ nimia inclementia legis.
At iuuenem poſtquā Threſſarum iniuria matrum
Fruſtra ſuaue melos, fruſtra pia verba mouentem,
Diſperſit totis lacerum furialiter agris,
Cùm lyra diuulſum caput a ceruice cruenta

eu medium veheret reſonans lugubre per Hebrū,
lliquias animæ iam deficientis amatam
ouit in Eurydicen, tamen illam frigidus vnam
iritus, illā vnā moriens quoque lingua vocabat.
s boum ſtupuit vulgus, cùm flere natantes
onte fides, atque os domini vectare cruentum
dit, & heu laßis velut aſpirare querelis.
probus hanc ſtultè chelyn affectare Neanthus
uſus, Apollinea pendentem ſubſtulit æde.
uem tamen indocto ferientem pollice chordas
idice diſcerpſit rictu nocturna canum vis:
a recepta polo, ceu quondam ſaxa nemúſque
: nunc ſtelliferis agit aurea cornibus aſtra.
uin & Pellæi quondam præſaga triumphi
elicuit ſudore ſacro Libethris imago.
antus honor Getico fuit & poſt funera vati.
t tu, qui merito dulcem cratera magiſtro
btuleras, volucri penetrans in ſæcula fama,
antando trahis Elyſios Muſæe minores.
ontrà autem indocilē nimis execratur alumnum
nmemorémque Linus vocat ingratúmque laborū
mphitryoniaden, qui quondam triſte peroſus
octoris magni imperium, veneranda rebelli
ontudit ora lyra, & clamantem plurima fruſtra,
endentémque manus, obteſtantemq́; peremit,
eu non iſta piæ meritum ſibi præmia linguæ.
am Methymnæum vatem delphine reuectum,
am Tamyram cantu doctas anteire ſorores
retum, mox citharæ damnatum, & luminis orbū

Quis neſcit? princeps idem (ni vana vetuſtas)
Ad faciles venerem inlictam conuertit ephebos,
Inſignémque ſacro tulerat certamine palmam
Tertius: hoc etenim Cirrhæus honore Philammon
Claruit ante pater: ſed Cres præuenerat ambos
Chryſothemis: nam Demodoci viuacior æuo
Fama Melæteis gaudet iuueneſcere chartis,
Et tu Neritias inuito pectine menſas
Qui celebras. etenim vt ſtellas fugere vndique cælo,
Aurea cùm radios Hyperionis exeruit fax,
Cernimus, & tenuem velut euaneſcere lunam:
Sic veterum illuſtres flagranti obſcurat honores
Lampade Mæonides: vnum quem dia canentem
Facta virûm, & ſæuas æquantem pectine pugnas,
Obſtupuit, prorſuſque parem confeſſus Apollo eſt.
Proximus huic autem, vel (ni veneranda ſenectus
Obſtiterit) fortaſſe prior, canit arma virumq;
Vergilius, cui rure ſacro, cui gramine paſtor
Aſcræus, Siculúſque ſimul ceſſere volentes:
Quem non tabifico mordax attingere liuor
Dente queat, liuor tandem & ſandalion auſus
Carpere, cùm dominam aſſeruit ſua forma Dionē.
Excipiunt gemini procul hos, longéque ſequuntur
Qui ſeptem Cadmæa vocent ad mœnia reges.
Hunc Phœbea Claros, Cumæa Neapolis illum
Protulit, hic elegis etiam tua funera Lyde
Flet pius, herois ille audax verſibus effert
Magnanimum quoque Peliden, hic denique magni
Inſtar habet populi pēdentem ad verba Platonem.

etiam ſiluis partum ſibi prædicat aurum.
e alij primo tentatum remige pontum,
ladiámque ratem, tabuláſque dedere loquaces.
orum Threicio perſonam primus ab Orpheo
cepit genitus Miſcelli gente ſalubri:
ter Alexandri Nilotidas abnegat arces
oſus natale ſolum, tumidámque Coloſſo
is, & irriguam pluuio Rhodon expetit auro.
ius in Auſonio veſtigia puluere Varro
è legit linguæ haud opulens, vt barbara Narbo
quem paruus Atax Latiæ tranſcripſerat vrbi.
que idem imparibus proprios exponit amores,
ucadiamq; ſuam numeris, ſuccedere magno
runcæ quondam fruſtra conatus alumno.
am te Flacce ſinu ſulcantem cærula pleno
eu iuuenem curſu excuſſit mors ſæua, priuſquàm
eſonides Pagaſas, patriámque reuectus Iolcon.
t tibi Dædaleos monitus Heliconie vates
ui ſequeris, neque ventoſis in nubibus alas
xpandis, neque ſerpis humi, ſed præpete lapſu
eu medium confine teris, quo carmine dignas
ddiderim tandem, quóve ore aut pectore laudes?
cilicet huic patriis pecudes in vallibus olim
eruanti, cunctæ ſeſe indulſere videndas
Ionides, laurúmque viro, vocémque dedere,
Qua ſuperum caneret ſtirpem, præceptáque morū,
Deſcriptoſq; dies operum, clypeumq; tremendi
Herculis, & veteres diuum genus Heroinas.

Ergo & Chalcidico vatum certamine quondam
Rettulit auratum tripoda, & (ſi vera minores
Audimus) cantu magnū quoque vicit Homerum,
Mōxque dolo extinctū, merſumq; ad littora triſtis
Delphinum vexere chorus, nec defuit index
Turba canū, medióque darent qui corpora ſontum
Merſa mari, & meritā placarēt mortibus vmbrā.
Oſſáque fatali tellus Minyæa ſepulcro
Nunc habet, annoſæ conſpectu inuenta volucris.
Nec quæ magnanimum nodoſæ robore clauæ
Inſtruit Alciden, nullum noménque decúſque
Conciliat ſterili Piſandria muſa Camiro.
Nec qui biſſenos iterum memorare labores
Audet, & a primo vatum figmenta priorum
Vſque chao repetit, non ſaltem laudibus æquet
Aſcræū, Clariúmque ſenes, neque Chalcis alūnum
Euphoriona tacet, vario qui perſonat ore
Mopſopiam, neque Tyrtæi Lacedæmona cantu
Victricem ſe ferre pudet, licet impare greſſu
Tenderet: adde nouis mutantem corpora formis
Parthenium, pictíque notantem lumina mundi
(Namq; hoc præcipuè ſe carmine iactat) Aratum,
Cui cor ab intonſi fax ore accerſa Philini
Vrebat miſerum, quem terra Ciliſſa recepit,
Et portentoſo celebrem dedit eſſe ſepulcro.
Nec te quem Colophon tulerit Nicandre, tacebo
Pæonis celebrem ſtudiis, qui nigra venena
Prodis, & emiſſas ſerpentum fauce ſaliuas,
Tum medicam ſubiungis opem, prædicere finem

rborum,& tacitas gnarus deprendere cauſſas:
que idem pia rura ſonas,dulciſſima miſcens
ſtero figmenta operi.ſed luſtra ferarum
utatur,captat volucres,prolémque natantum,
ox dat habere pio gratiſſimus Antonino
pianus,docti pradiues honore laboris.
ngit & exiguis totum Dionyſius orbem
rrarum in tabulis:ſed non & prælia Bacchi
nnus in exigua potuit contexere tela.
ttiades Hecalem ſonat,& Maratonia geſta
lſior aſſueto,cauſſáſque ætate latentes
odit,& vndeno molles pede cantat amores:
nunc ingratum tenebroſus deuouet Ibin:
nc ſuperos celebrat, nunc triſtibus ardet iambis,
nc humili premitur ſocco,nunc ille cothurno
tior aſſurgit,centúmque poemata pangens.
ſſipat in varios Heliconia flumina riuos.
l Tiberim dominum rerum,mundique potentem
mbigitur,riguine tener Sulmonis alumnus
obilitet magis, an verò tibi Roma pudori
: potius,Getica ſic ſemiſepultus arena,
roh dolor,exul, inops, nimium quia forſan amico
mine Cæſareæ ſpectauerit ora puellæ.
e nouas primo facies tranformat ab æuo:
le Cupidineas verſu canit impare flammas:
uoluitque nouum dubiis ambagibus Ibin:
el dat amatricum dictatas ore tabellas:
el miſer exilium cycnæo gutture deflet:
Temporáque & cauſſas Romani digerit anni,

Vel memorat piſces, & adhuc ignara Latinis
Nomina, vel cælo libentia computat aſtra,
Et replet aſtrictas diuerſo epigrammate chartas:
Conſutum quoque Syrma trahit, ſuſpendit & vnca
Nare malos (quorum nunc omnia plena) poetas,
Indulgens tamen vſque ſibi: nam præditus acri
Nimirum ingenio, faciem putat eſſe decoram
Carminis, inſperſus maculet quam denique neuus.
Iam ſenior triplici vates qui corde ſuperbit
Mæonides Italus (ni fallunt viſa) ſecundus
Bella horrenda tonat, Romanorúmque triumphos,
Inq; vicem nexos per carmina digerit annos,
Arte rudis, ſed mente potens, parciſſimus oris,
Pauper opum, fidens animi, morúmque probatus,
Contentúſque ſuo, nec bello ignarus, & armis,
Quem Rudiis ortum rigidi quæſtura Catonis
Ad ſeptemgeminas iuuenem deduxerat arces.
Mox comes armorum Fului, qui ſanguine partas
Scilicet haud dubitat Latiis ſacrare camœnis
Exuuias, dedit Aetolis hoſtilia campis
Corpora multa neci, longè gratiſſimus idem
Scipio magne tibi, & Calabris vicinus in hortis
Virtute emeritis, cuius gentile ſepulcrum
Mox tenuit, nullo patiens ſua funera fletu
Produci, lætúſque virûm volitare per ora.
Præterea tragico boat ampulloſus hiatu:
Comica laſciuo proſcenia laxat iambo:
Exponit Satyros, Latióque Euhemeron infert.

Et

t modo reprenſi deflorans carmina Neui,
armina, quæ quondam Fauni, vatéſque canebāt.
Iox gemet ipſe ſuo natas in littore conchas
ræcultum purgare fimo, & ſibi ſerre Maronem.
d quanquam in primis docto Verona Catullo
audet, vulnificos elegis qui miſcet iambos,
t ſub adoptiuum redigit te Clodia nomen:
rturit & fortem forti quoque carmine Achil-
lem,
tque vrbis proceres multo ſale defricat audax,
eſareæq; notas, & inurit ſtigmata fronti:
nnihil Aemilium tamen hæc quoque iactat
alumnum
xentem tenui Macrum ſubtegmina filo:
um volucres numeris, dum gramina pingit &
angues.
ec qui philtra bibit, nimióque inſanus amore,
ox ferro incubuit, ſic mentem amiſerat omnem,
non ſublimi caneret Lucretius ore
rcanas mundi cauſſas, elementáque rerum
octus, & Arpino tamen exploratus ab vngui.
licet & veteres naturam pandere Graij
rmine tentarunt celebri, ceu maximus ille
eriſonas pedibus qui quondā inductus Amyclas
ſiluit Siculi rapidum cratera camini:
cui de vocum tenebris cognomina flenti
ddita, quóſque alios ſtudio ſapientia dulci
plicuit, cecinitque diu memoranda vetuſtas.
nicat Heſperio trifidum ceu fulmen ab orbe,

Qui vix puber adhuc, rudibusq; tenerrimus annis
Hæmonios iterat currus, auróque repenſum
Hectora, Tartareasq; domos, dirumq; Neronem,
Orpheáque & meritæ peragit præconia Pollæ.
Laſciuitque iocis, ac torrens voce ſoluta
Dulichias æquare niues, & fulmina tendit,
Quanta Pericleo lepor intorquebat ab ore:
Mox tonat ardenti Pharſalica prælia cantu,
Aegyptique nefas, primo vix flore genarum
Conſpicuus, toruo quem protinus ore ſecundum
Reſpexit, captæ vix auſus fidere palmæ
Vergilius, ſed iniqua bonis Rhamnuſia tantis
Heu decus hoc orbi inuidit, ne vindice ferro
Aſſereret miſeras inceſto a principe terras,
Tu felix tamen, o iuuenis (nam conſcia pœnam
Corda leuant) felix inquam, licet ille cruentum
Rugiat, & truncas deſiccet ſanguine venas
Fronte minax, diræq; inſtinctus verbere matris,
Macte animo, non te o vates Parnaſſide lauru
Nequicquã deus, & cithara dignatus honora eſt.
Poſt hunc Sidoniæ damnat periuria gentis
Emeritóſque foro, muſis tandem adſerit annos
Sillius, Auſonio qui quondam fulgidus oſtro
Expulit, horribilem, vitáque auláque tyrannum.
Ipſe obiit plenuſque æui, natóque ſuperſtes
Aſpera congenito fixus veſtigia clauo.
An taceam Baſſum grauido tua dona ferentem
Veſpaſiane ſinu? & ſantem Sicula arma Seuerũ?
Aut te Sidonias repetentem Pontice Thebas?

ut Peluſiaci miſſum de plebe Canopi
lcra ſuum quem nunc Florentia iactat alumnū,
udentem Stygio dominam iunxiſſe marito,
agnanimíque vagos ducis oſtentare labores?
ut te Niliaca relegentem ſidera cura
s vates Manli, & Babylonia ſigna ſequentem?
uóſque ſibi æquæuos puro vocalior ore,
e qua laboranti incumbant obliuia famæ,
aſo refert, queruli tangens confinia Ponti:
qui Smyrnæis poterat contendere plectris
lgius, vt terſi memorat pia muſa Tibulli.
uſa ſibi primos quæ iure adſciſcat honores
paribus numeris, ni blanda Propertius ora
luat, & ambiguam faciat certamine palmam.
ania materiam teneri dat, & Hoſtia cantus
omine ſuppoſito, ceu Galli mima Citheris
rſonam falſæ laſciua Lycoridos adfert
ſcenam, & docto clauſam ſe iactat amanti,
um miſer ipſe ſuo fodiat præcordia ferro.
t non exigui tenuis quoque pagina Calui
iſsimulat pulcram. ſed acerbo funere raptam
uintiliam, nec Cous ad hæc non ſacra Philetes,
uanquam eſt æger, adeſt: quanquam veſtigia lēto
ulta grauant plumbo, nec qui ſine amore, iocisq;
ucundum nil eſſe putat, quid ruſtica dicam
ibila paſtorum ſiluis meditata ſub altis?
t patrias Moſchus non inficietur auenas:
xternáſque Bion, vt opaca Tityron vmbra
rouocet Auſonio Calpurni fiſtula cantu?

Aerios procul in tractus, & nubila ſupra
Pindarus it Dircæus olor, cui nectare blandæ
Os tenerum libaſtis apes, dum feſſa leuaret
Membra quiete puer mollem ſpirantia ſomnum.
Sed Tanagræa ſuo mox iure poetria riſit,
Irrita qui toto ſereret figmenta caniſtro.
Tum certare auſo palmam intercepit opimam
Aeolis prælata modis, atque illice forma.
Ille Agatoclea ſubniſus voce coronas
Dixit Olympiacas, & qua victoribus Iſthmos
Fronde comam, Delphique tegant, Nemeæáque Teſqua
Lunigeram mentita feram, tum numina diuûm
Virtutesq;, virosq; vndanti pectore torrens
Prouexit, ſparſitq; pios ad funera queſtus.
Frugibus hunc, libiſque virum Cirrhæus ab ara
Phœbus, & accubitu menſæ dignatus honoro eſt:
Panáque paſtores ſolis videre ſub antris
Pindarico tacitas mulcentem carmine ſiluas.
Inde ſenem pueri gremio ceruice repoſta
Infuſum, & dulci laxantem corda ſopore,
Protinus ad manes, & odoro germine pictum
Elyſium tacita rapuit Proſerpina dextra.
Quinetiam hoſtiles longo pòſt tempore flammæ,
Quæ ſeptemgeminas populabant vndique Thebas,
Expauere domum tanti tamen vrere vatis,
Et ſua poſteritas medios quoque tuta per enſes
Senſit inexhauſta cinerem iuueneſcere fama.
Non ego te longo præſignis Anacreon æuo

Tranſierim bicolore caput redimite racemo:
Cui cithara cordi, cui nigri pocula Bacchi
Semper, & ancipiti ſtimulans Amathuſia cura.
Nam modò Threicij crinem miraris ephebi,
Nunc Samium celebras (iubet Adraſtea) Bathyllum.
Nunc teneram Eurypylen, tenerúmque Megiſthea laudas:
Tandem acino paſſæ cadis interceptus ab vuæ.
Ipſe Lyci nigros oculos, nigrúmque capillum
Quamq; vides digito natiuam inoleſcere gemmã,
Exactóſque canis pugnax Alcæe tyrannos,
Aeolium docto pertentans barbyton auro,
Arma ſed Attææ tua fles ſuſpenſa Mineruæ.
Suſtinet heroi valida teſtudine pondus
Carminis, & damnans Helenen, laudánſque viciſsim
Amittit, recipítque oculos tuus Imera ciuis
Steſichorus, quem trux Phalaris veneratus & hoſtem eſt.
Cuius & in labris ſedit puerilibus olim
Daulias, & veſtrum muſæ cantauit alumnum.
Sed vocat ad lacrymas Ceì pia Nænia vatis,
Vnum Mnemoſyne quondam, præq; omnibus vnũ
Quem coluit, ſæuæ quem ſubtraxere ruinæ
Ledæi iuuenes, vacuam cui triſtis ad arcam
Gratia flet laniata comas, nudata lacertos:
Quíque ſui vindex fuit & poſt fata ſepulcri.
Ipſi etiam patria preſsi breuitate Lacones

Aſcitum largo tamen ore Alcmana recenſent:
Quem tulit auriferos oſtentans Lydia fontes:
Nunc gemit heu tineis artus, & tabe pereſum.
At te cui numeros dictat dea Suada canoros
Ibyce, quiq; marem tantum meditaris amorem,
Nec ſuperi, nec auis pygmea reliquit inultum,
Et nunc Rheginis tua ſedibus oſſa quieſcunt.
Nec vulgare canit dulcis ab Iulide Siren
Bacchylides: ſed enim lyricis iam nona poetis
Aeolis accedit Sappho, quæ flumina propter
Pierias legit vngue roſas, vnde implicet audax
Serta Cupido ſibi, niueam quæ pectine blando
Cyrinnem, Megarámque ſimul, cúmque Attide pulcram
Cantat Anactorien, & crinigeram Teleſippen.
Et te conſpicuum recidiuo flore iuuentæ
Miratur reuocatq; Phaon, ſeu munera vectæ
Puppe tua Veneris, ſeu ſic facit herba potentem:
Sed tandem Ambracias temeraria ſaltat in vndas.
Quæ toties Gorgo, toties inceſſerat atrox
Famoſam Andromedem, patriaq; libidine turpem.
Non illi Praxilla ſuos, prædoctaq; Noſſis
Contulerint, Myrtisq; modos, non dulcis Agacles
Non Anyte, non quæ verſus Erinna trecentos
Caſtalio ceu melle rigat, non candida Myro,
Nec Theleſilla ferox, non quæ canit Aegida ſæuæ
Pallados effuſum crinem vittata Corinna.
Illam etiam decimo cunctæ accepere ſedili
Pierides, ſertúmque nouem de floribus auro

Contextum nitidis latæ impoſuere capillis.
Hinc Venuſina fauos dulci iucunda ſuſurro
Carpſit apis, ſed acu ferit irritata cruento.
Hæc eadem rigidis Aurunca in vepribus errans,
Quas Perſi manus, & bilem ſuccenſus Aquinas
Mox legêre ſibi: neque enim his metuendus iambo
Certet Echidnæo, licet acrem effuſus in iram
Ore Lycambiadas rabioſo occiderit ambas
Archilochus, medio licet illũ in Marte peremptum
Vindicet, & nigro ſit Pythia dura Calondæ.
Nec ferus Hipponax, atro qui felle cruentus
Bupalon & ſtratum morſu laniauit Athenin.
Nec Batius, ſpiniſque Bibaculus aſper acutis.
Multi Bacche tuo proculcauere cothurno
Fortunas regum ambiguas, & ſceptra tyrannis
Extorſere feris, totúmque tremore, metúque
Horribiles, totum luctu oppleuere theatrum.
Pluráque Palladiæ quondam impendiſtis Athenæ,
Dum ſcena Oedipodem, pauidúmque agitatis Oreſtem,
Atreáque, & medica percuſſum Thelephon haſta,
Oenidæq; facem, furiiſque Alcmæona pulſum,
Quóſque alios olidum cantor produxit ob hircum,
Quàm cùm barbarico Marathonia ſanguine tellus
Incaluit, multóque obſtructæ funere Xerxen
Thermopylæ tarda refugum videre carina,
Autorem perhibent Theſpin, quem iuſta Solonis
Cura cothurnatis iuſſit deſcendere plauſtris.
Tres porrò inſignem ſibi defendere coronam,

Aeſchylus aeriæ caſu teſtudinis ictus,
Quemq́; ſenem meritæ rapuerunt gaudia palmæ,
Quemq́; tegit rabidis lacerum pia Pella moloſsis.
Inuaſere locum plias ſeptena ſecundum.
Quippe alios, quos nec centum ſit dicere linguis,
Fortunæ nunc quemque ſuæ famæq́; relinquam,
Ni Latium Varius tamen obiectare Thyeſten
Ambiat, atque ſuum iactet mihi Corduba vatem.
Cuius ad Herculeum tremefacta orcheſtra furorem eſt.
Ecce & grandiloquo ſemet quoque ſuggerit ore
Accius, & magna conturbat voce canentem
Pacuuius, nitidumq́; oſtentat muſa Secundum.
Adde & mordaci quatientes pulpita riſu
Eupolin, in medium quem mendax fabula pontum
Cliniadæ manibus puppi deturbat ab alta.
Quique leues nebulas Attææ effuderat vrbi
Salſius Ariſtophanes, compotoremq́; Cratinum.
Adde nouos etiam ſoccos, exempláque morum,
Et variæ ſpecimen vitæ. iam grata Menandro
Poſteritas, ipſóque volente Philemone palmam
Reſtituit, longe ſequitur quem plurima turba
Haud noſtro referenda ſono, ſed pagina docti
Reddit Athenæi tamen, inſinuatq́; futuris.
Claudicat hic Latiũ, vixq; ipſã attingim⁹ vmbrã
Cecropiæ laudis. grauitas Romana repugnat
Scilicet: & quamuis veterum ſit multus in ore
Cæcilius, quamuis iucundi ſcripta Terenti
Scipio diſsimulet, quamuis Plautina camœnis

Lingua opicis placeat, ſcenam tamen ipſa ſuorum
Aeneadum fugit alma Venus, tantumq; togatu
Interdum Afrani grato ſe indulget honore.
Hos tamen, atque alios Volcatius ordine ſiſtit
Sedigitus. mimos ſed enim ſcripſere proteruos,
Implicitúſque Sophron, riſúque Philiſtio tandem
Perditus, hinc Laberi laſciuia, multáque Publi
Claruit Auſonio ſententia dicta theatro.
Pars quoque Sotadicos ceu proſtituêre cinædos:
Pars tenues ſparſere ſales epigrammate multo,
Sed Latio celebres, quem miſit Iberia Marcum,
Romuleúmque ſuis exornans faſcibus annum
Auſonius. mitto Hortenſi, doctíque Catonis,
Qui ſolus legit quondam, fecítque poetas.
Mitto & Cornifici luſus, Ticidæque Perillam,
Et Cinnam obſcurum, téque ore proteruior Anſer:
Pammetron hic cecinit, Sillos dedit ille licentes.
Ille Menippeæ ioca miſcellanea peræ
Inferſit, Satyros alius nudauit agreſtes:
Et patuêre nouæ per mille poemata curæ.
Quas ego, ſi Pyliæ duplicentur tempora vitæ
Iam mihi, ſi cunctas noſtra in præcordia voces
Fama ferat, rigidóque ſonent hæc pectora ferro,
Non amplecti auſim numero, non ore profari
Eualeam, tantæue ſitum indagare ſenectæ.
Nec tamen aligerũ fraudarim hoc munere Dantẽ
Per Styga, per ſtellas, medijq; per ardua montis
Pulcra Beatricis ſub virginis ora volantem.
Quiq; Cupidineum repetit Petrarcha triumphum:

Et qui bis quinis centum argumenta diebus
Pingit, & obſcuri qui ſemina monſtrat amoris:
Vnde tibi immenſæ ueniunt præconia laudis
Ingeniis, opibusq; potens Florentia mater.
Tu uerò æternam per aui ueſtigia Coſmi,
Pérque patris (quis enim pietate inſignior illo?)
Ad famam eluctans, cuius ſecurus ad umbram
Fulmina bellorum ridens procul aſpicit Arnus,
Mæoniæ caput, o Laurens, quem plena ſenatu
Curia, quémque graui populus ſtupet ore loquentē,
Si fas eſt, tua nunc humili patere otia cantu,
Seceſſúſque ſacros auidas me ferre ſub auras.
Namq; importunas mulcentem pectine curas
Vmbroſæ recolo te quondam uallis in antrum
Monticolam traxiſſe deam, uidi ipſe corollas
Nexantem, numeróſque tuos prona aure bibentem:
Viderunt ſocij pariter, ſeu grata Dianæ
Nympha fuit, quanquam nullæ ſonuere pharetræ:
Seu ſoror Aonidum, & noſtræ tunc hoſpita ſyluæ.
Illa tibi, laurúque tua, ſemperq; recenti
Flore comam cingens, pulcrum inſpirauit amorem.
Mox & Apollineis audentem opponere neruis
Pana leues calamos nemoris ſub rupe Pherei,
Carmine dum celebras, eadem tibi uirgo uocanti
Aſtitit, & ſanctos nec opina afflauit honores.
Ergo & nocticanum per te Galatea Corinthum
Iam non dura uidet: nam quis flagrantia neſcit
Vota, Cupidineóque ardentes igne querelas?
Seu tibi Phœbeis audax concurrere flammis

Claro ſtella die,ſeu lutea flore ſequaci
Infelix Clytie,ſeu mentem ſemper oberrans
Forma ſubit dominæ,ſeu pulcræ gaudia mortis,
Atque pium tacto iurantem pectore amorem,
Atque oculos canis,atque manus,niueisq; capillos
Infuſos humeris. & verba,& lene ſonantis
Murmur aquæ, violæq; comas, blandúmque ſoporem,
Lætáque quam dulcis ſuſpiria fundat amator.
Quantum addat formæ pietas,quàm ſæpe decenter
Palleat,vtq; tuum foueat cor pectore nymphe.
Non vacat argutóſque ſales,Satyráque bibaces
Deſcriptos memorare ſenes,non carmina feſtis
Excipienda choris,querulaſve animantia chordas.
Idem etiam tacitæ referens paſtoria vitæ
Otia,& vrbanos thyrſo extimulante labores,
Mox fugis in cælum, non ceu per lubrica niſus
Extremámque boni gaudes contingere metam.
Quodq; alij ſtudiumq; vocant, durúmque laborem,
Hic tibi ludus erit,feſſus ciuilibus actis
Huc is emeritas acuens ad carmina vires.
Felix ingenio,felix cui pectore tantas
Inſtaurare vices,cui fas tam magna capaci
Alternare animo,& varias ita nectere curas.
Quòd ni blanda meum lactant præſagia ſenſum,
Ni pietas,ni longus amor,ni vana magiſtros
Aura ſuo nimios iubet indulgere fauores
Quemque operi,ni me tacita experentia fallit,
Ibit in exemplum natus,mea maxima cura,

Ibit in acta patris, ſeſe tanta indole dignum
Præſtabit: luſtris nondum tribus ecce peractis
Iam tamen in Latium Graiæ monimenta ſenectæ
Euocat, & dulci detornat carmina plectro,
Méque per Aoniæ ſequitur compendia ſiluæ,
Ereptans auidè montem, iámque inſtat anhelo.
It iam penè prior: ſic, o ſic pergat, & ipſum
Me ſuperet maiore gradu, longéque relinquat
Protinus, & dulci potius plaudatur alumno,
Biſque mei victore illo celebrentur honores.

Abſoluta eſt in Feſulano VIII. Idus Octobris, M. CCCCLXXXVI.

ANGELVS POLITIANVS
Iacobo Saluiato ſuo S. D.

EN Ruſticum tibi.id illi ſcilicet ab argumento inditum nomen.tuo coactu prodit in vulgus: tibi eſt vni quicquid acciderit imputaturus. Iámne ſentis, quàm tibi tuendus ſit, vel tuo ipſius nomine,vel meo?Tua enim fides in eo,meus honos agitur:cuius quidem, etſi ſemper cura apud te iam inde a pueritia excubuit, tamē eum tueri nunc, vel ob id ipſum impenſius debes,quòd es nuper Laurentio Medici principi viro,cuius ego cliens alumnúſq; ſum, vnus ex omni Florentina iuuentute gener aſcitus.Profer igitur in tali patrocinio autoritatem omnem atque gratiam, quam videlicet tibi & viri excellentis affinitas,& tua egregia indoles, morúmque ſuauitas conciliant. Vale,méque,vt facis,ama.

RVSTICVS.

In poëtæ Heſiodi, Vergiliíque Georgicôn enarratione pronunciata.

Rvris opes ſaturi, gnauóque agitanda colono
Munera, & omniferæ ſacrum telluris honorẽ
Ludere ſeptena geſtit mea fiſtula canna.
Fiſtula Mantoæ quam nuper margine ripæ
Ipſe renidenti dum dat mihi Tityrus ore,
Hac puer Aſcræum repete, inquit, arundine carmẽ.
Pan ades, & curui mecum ſub fornice ſaxi
Verſibus indulge, medio dum Phœbus in axe eſt,
Dum gemit erepta viduatus compare turtur,
Dum ſua torquati recinunt dictata palumbes.
Hic reſonat blando tibi pinus amata ſuſurro:
Hic vaga coniferis inſibilat aura cupreſſis:
Hic ſcatebris ſalit, & bullantibus incita venis
Pura coloratos interſtrepit vnda lapillos:
Hic tua vicinis ludit laſciua ſub vmbris
Iamdudum noſtri captatrix carminis Echo.
Felix ille animi, diuisque ſimillimus ipſis,
Quẽm non mendaci reſplendens gloria fuco
Sollicitat, non faſtoſi mala gaudia luxus:
Sed tacitos ſinit ire dies, & paupere cultu
Exigit innocuæ tranquilla ſilentia vitæ,
Vrbe procul, voti exiguus, ſortémque benignus
Ipſe ſuam fouet, ac modico contentus aceruo,
Non ſpes corde auidas, non curam paſcit inanem,

Securus quò ſceptra cadant, cui dira minentur
Aſtra, & ſanguinei iubar exitiale cometæ.
Non illum fragilis fauor, indocilíſque potenti
Plebs ſeruare fidem, euectum popularibus auris
Caſuro imponit ſolio, nec ducit hiantem
Huc illuc vanos oſtentans purpura faſces.
Non mentem pauet ipſe ſuam, nec conſcius omnes
Exhorret ſtrepitus, nec edaci pectora culpa
Carpitur occultè: non opportunus iniqui
Iudicio vulgi, aut celſa conſpectus in arce
Degeneri pater inuidiæ: non ipſe viciſſim
Obliquo liuore macet, fœtuſq; veneno
Aeſtuat, atque aliena oculis bona limat acutis.
Rure agit in vacuo, ſpatiiſque indulget aperti
Aetheris, aut operi inſudans, aut ille ſupinos
Euadens curſu in montes. hinc ſcilicet omnes
Gratæ epulæ, nudis Acheloum in pocula palmis
Aduocat, excuſſæque cibos dant brachia ſiluæ,
Et feſſa in duro renouantur membra cubili.
Maior quippe venit comitata labore voluptas,
Nec ſatias dominam, aut faſtidia lenta ſequuntur.
Ergo neque imbrifero pallens Autumnus hiatu,
Nec malus hunc afflat rabioſo Sirius aſtro,
Sæuáve Riphææ labefactant frigora brumæ.
Quippe hyemem excipere, & ventos, cælíque ruinã
Suetum, atque octipedem nec opaco vertice cancrũ,
Et Ioue ſub gelido nocturnos carpere ſomnos,
Et pede concretas nudo calcare pruinas.
Et perferre ſitim, & ieiunia ſoluere glande,

Digitized by Google

Et laſſare feras curſu, & ſuperare natatu
Torrentem, & volucri foſſam tranſmittere ſaltu:
Et quercum annoſam ferro obturbare bipenni.
Tum prædam extorquere lupo, faſcique maligno
Subieciſſe humeros, & iniqui pondera raſtri
Prædura tractare manu, & domitore lacerto
Sub iuga cornigeri colla obluctantia tauri
Ducere, & iratis concurrere cõminus vrſis.
Hinc agilis ſubit ora vigor, robuſtáque magno
Pectore vis habitat, fortésque animoſa tuentur
Membra tori & crudo tendunt ſe robore nerui.
Hinc facies procera, hinc fronti Martius horror.
Quòd ſi bella vocent, quis ad aſpera prõptior arma?
Aut quis equum ſternacem arctis fregiſſe lupatis
Acrior? aut ſortem mucrone haurire cruorem?
Aut torquere ſudem? aut neruo exturbare ſagittã?
Aut prapilatis aciem perrumpere contis?
Quis certet duro agricolæ? ſeu ducere vallum,
Seu ſit opus celſo præcingier aggere caſtra,
Seu fronte aduerſa tormentum figere ahenum,
Quod tonitru horrifico magnas ſternentia turres
Ardua fulmineo iaculetur ſaxa rotatu:
Seu vigil inſomnem peragat cuſtodia noctem:
Seu tacitum rapiatur iter, ſeu parcere parto
Conueniat, ſi fors lenta obſidione premantur.
Scilicet his Babylon dextris, Nabatheaq; regna
Creuerunt: hic Mopſopio delectus ab aruo
Miles, Achæmeniũ Marathonis in æquore Perſen
Contudit. his adiuta viris, ſe Romula tellus
Impo-

Impoſuit mundo, & rerum tractauit habenas.
Nunc age, quæ ſtudia agricolis induſtria ſolers
Extudit, atque operum quanta experientia, dicam.
Protinus extremo cùm iam Boreas autumno
Incubuit terris, primo cùm frigore tactæ
Labuntur frondes, maternáque brachia linquunt,
Nec cariem cæſæ formidant robora ſiluæ:
Ecce ſagax tacitam venientis ruſticus anni
Curam corde coquit, qua bubus ab arbore plauſtrũ
Dedolet, vnde iuga & curuum fabricetur aratrũ.
Nec mora, quin veteris truncata cacumina fagi,
Chaoniæq; cadant quercus, nudataq; ramos
Vlmus & audaci laurus ſonet icta ſecuri.
Quarum quæq; nouam primo explorata calenti
Vertitur in faciem, diuerſáque munia tractant.
Continuo auditus gruis inter nubila clangor
Agricolam citat, & criſta ſpectabilis alta
Auroram gallus vocat applaudentibus alis.
Excitat ille operum ſocios, ſimul horrida cautus
Terga rudi centone fouet, capitiq; galerum
Induitur, crudusq; operit veſtigia pero:
Hinc ſaturos iungens loris ad aratra iuuencos
Increpitat ſtimulo, & cantu minuente laborem
Prælongus ferrata terit dentalia ſulcis,
Ac latè elicibus collectos exprimit imbres:
Ieiunámque fimo tellurem, & rudere paſcit.
Tum plenum farris læua ſeruante caniſtrum
Semina diſpenſat parca cerealia dextra:
Quæ ne iacta auidæ populentur grana volucres,

Et prædam ſublime ferant, it ponè minutus
Sarcula parua tenens puer, & frugem obruit aruo.
At cùm ſe Eois iam veſpertinus ab vndis
Extulit Arcturus, cùm verſicoloribus ardet
Terra comis. rutiloſq; interuiret herba colores,
Daulias & Getiti tandem ſecura mariti
Ales adeſt, plauſúque larem, cantúque ſalutat.
Rurſum inuadit opus, ſtinæq; innixus, adunco
Ponè nigreſcentes proſcindit dente nouales:
Quas rapidi ſoles vrant, gelidæq; pruinæ.
Mox vbi iam ſapiens cœpit frondeſcere morus,
Antè quidem ſapiens, nunc, ambitioſa, nec vllum
Quæ pariat pomum, ſed ſerica penſa miniſtret:
Ille aliam atque aliam culturam dulcis agelli
Pertentans, truncos plantariaq; infodit aruo,
Nec pictas lugubre fabas, nec pabula parcit
Veruacto mandare putri, glebasq; bicorni
Perſequitur ferro, & ſecat inſuperabile gramen.
Et montem cædit ſcrobibus, fortíque bidente
Terga ſoli frangit, Bacchæaq; ſemina rectum
Explicat in quincuncem, & diſſerit ordine longo.
Atque iterũ, atq; iterũ terra capita ima frequẽtat,
Et ramos tondet falce, atque impunè fluentem
Compeſcit vitem fingens, & robore fulcit
Deciduam, caræq; hærentem in pectore matris
Acclinat ſobolem ſulco, iuxtaq; propagat.
Aut ipſo durus genitricis ab vbere flentis
Abſciſſam rapit, atque aliò traducit alendam.
Quid dicam? externis cùm ſe vernacula ſuccis

Robora nobilitant, peregrináque ſegmina duri
Accipiunt trunci, aut diſcreto germina libro.
Namque oculis oculos, non blandi tempora veris
Iungere, ſed medius gaudet feruoribus æſtas,
Aeſtas congeſtos Cereris tritura maniplos,
Aeſtas abſconſum ſiliqua excuſſura legumen,
Aeſtas, qua grandes expectant horrea meſſes,
Dum coaceruatas euentilet area fruges.
Tum ſola pulueres pingueſcunt arida campi,
Soluunturq; putres glebæ, ac peritura lupini
Germina parturiunt, tum cliuo rauca ſonantes
Eliciuntur aquæ, præcepsq; recumbit agro fons.
Poſt vbi iam medio veſtigia librat in axe
Enſifer Orion, croceóque inſignis amictu
Aſpicit Arcturum, pulſa Pallantias vmbra
Sentibus horrentes aperit iam vinea ſepes,
Aureolámque metit lentis de vitibus vuam
Vinitor, & fœtos rubicundo nectare fructus.
Quos coniux, quos virgo comes, par vertice matri
Aut ciſta exportant, aut raſilibus calathiſcis.
Nec ſentitur onus ſtudio, leuat ipſa laborem
Sedulitas, quin frugiferos curuantia ramos
Poma ſinu, baccasq; ferunt, ficúmque, nucémque.
Nec nihil addit hyems, nigros tum laurea fœtus
Exuitur, tum myrta legunt, glandémque caducam,
Glaucáque Palladiæ diſtringunt brachia ſiluæ.
Nocte autem ad lychnos aut iunco texit acuto
Fiſcellam, aut crates virgis, aut vimine qualos
Ruſticus, infinditq; faces, & robora valli,

Dolia quaſſa nouat, ferramentúq; repellit
Scabriciem, tritáque docet ſplendeſcere cote.
Nam quid delicias memorem? quamq; alta labori
Otia ſuccedant? iam primùm obſeſſa pruinis
Cùm iuga floriferi regelauerit aura Fauoni,
Suaue ſerenato rident vaga ſidera cælo.
Suaue ciet tardos per ſudum luna iuuencos,
Ipſa quoque ætherij melius nitet orbita fratris,
Terq; quaterq; manu madidantes nectare crines
Exprimit, & glebas fæcundis roribus implet,
Vecta Meduſæo Titonia præpete coniux.
Alma nouum tellus vultu nitidiſſima germen
Fundit, & omnigenis ornat ſua tempora gemmis.
Idalio pudibunda ſinus roſa ſanguine tingit,
Nigraq; non vno viola eſt contenta colore,
Albet enim, rubet, & pallorem ducit amantum.
Vt ſunt orta, cadunt, niue candidiora liguſtra.
Nec longùm durant calathos imitata parentis
Lilia, ſed longùm ſtant purpurei Amaranthi.
Hic Salaminiaci ſcribunt ſua nomina flores,
Hic gratum Cereri plenúmque ſopore papauer
Oſcitat, hic inhiat ſibimet Narciſſus, at illic
Corycios alit aura crocos, notúmque theatris
Aëra per tenerum flatu diſpergit odorem.
Nec iam flammeolæ conniuent lumina calthæ,
Nec melilotos abeſt. Tyrium ſeges illa ruborem
Induit, hic viuo ceſpes ſe iactat in auro,
Hæ niueos, hæ cyaneos ſuperare lapillos
Contendunt herbæ, vernantq; micantia latè

Gramina, per tumulos, perq́; umbriferas conualles,
Perq́; amnis taciti ripas, atque omnia rident,
Omnia luxuriant, & amica luce coruſcant.
Parturiunt ſtipulæ frugem & genitalibus auris
Peruia, turgeſcunt lactentibus hordea culmis.
Palmes agit rupto lacrymantes cortice gemmas,
Seq́; rudes primus monſtrant in vitibus uuæ.
Dulce virent teneræ modò nata cacumina ſiluæ,
Succreſcuntq́; piæ pullorum examina matri.
Ipſa ſibi ignotas miratur adultera frondes
Arbor, & aſcitus natiuas inſerit umbras.
Auricomæ iubare exorto de nubibus adſunt
Horæ, quæ cæli portas atque atria ſeruant.
Quas Ioue plena Themis, nitido pulcerrima partu
Edidit, Ireneq́;, Diceq́;, & mixta parenti
Eunomie, carpuntq́; recentes pollice fœtus.
Quas inter Stygio remeans Proſerpina regno,
Comptior ad matrem properat, comes alma ſorori
It Venus, & Venerem parui comitantur amores,
Floraq́; laſciuo parat oſcula grata marito.
In medijs reſoluta comas, nudata papillas
Ludit, & alterno terram pede Gratia pulſat.
Vda choros agitat Nais, decurrit Oreas
Monte ſuo, linquunt faciles iuga celſa Napææ.
Nec latitat ſub fronde Dryas, non iubila Fauni
Fundere, non iunctis Satyri dare ſibila cannis,
Nec querulæ ceſſant tenerum tinnire volucres.
Fluctibus Alcyone, denſa philomela ſub umbra,
Cantus olor ripis, tecto vaga plorat hirundo.

Lene ſuſurrat apis, plenóque ſaporibus alueo
Candida multiforæ ſolidat fundamina ceræ.
Colludunt per prata greges, atque omne beato
Flagrat amore nemus, iuuenem laſciua maritum
Fert equa, fert tergo ſalientem bucula taurum,
Setigeræq; ſubant matres, decertat amator
Fronte aries, auidos olidum pecus accipit hircos.
Spectant immiſi baculis, gaudentq; magiſtri.
Inde vbi prægnantes partu Lucina recenti
Soluit, vt exæquet numero fœtura parentes,
Ipſe rudem, nec adhuc veſtigia certa prementem,
Fert ſobolem gremio, ſed ouem, gracilémve capellã
Eniſas humero ſubit, atque in ſtramine molli
Componit ſenſim paſtor ſtabulóque recondit.
Mox vt conualuere, rubos hæc rupibus altis,
Illa recens campo gramen decerpit aprico,
Aut dulces gelido delibant amne liquores,
Vt ſua concluſis ne deſint pocula natis.
Vtq; fluat plenus diues mulſura papillis,
Subrumi expectant hædique, agnique petulci:
Cornigeráſque vocant tremulo clamore parentes.
Bruta gregem plenum denſis alit vberibus ſus
Exporrecta ſolo, & grunnitu allectat amico
Fellantes, turpíque luto ſe immunda volutat:
Radices eadem calloſo auidiſſima roſtro
Eruit, & bulbum, aut madida ſe pulte ſaginat.
Flet vitulum mœſta abſentem mugitibus altis
Mater & immenſam raucis miſeranda querelis
Siluã implet, boat omne nemus, valléſque, lacúſq;.

Illa nigros latè lucos, ſaltúsque peragrat
Crebra gemens, crebra ad montē, ſtabulumq́; reuiſit
Tabeſcens deſiderio, non vlla dolorem
Pabula, nec ſalicum frondes, nec gramina rore
Sparſa leuant, non quæ viridi vaga flumina ripa
Perſpicuam tenui deducunt murmure lympham.
Prata tener perſultat equus, libatq́; volucri
Aequora ſumma fuga, aut alti ſubit aſpera montis
In iuga, ſaxoſúmque amnem pede plaudit inermi,
Cui pulcro micat acre caput, ludúntque decoræ
Fronte comæ, vibrant aures, atque orbe nigranti
Prægrandes extant oculi, tum ſpiritus amplis
Naribus it feruens, ſtat ceruix ardua, qualem
Præfert Marmaricis metuenda leonibus ales,
Ales, quæ vigili lucem vocat ore morantem.
Creſcunt ſpiſſa toris, lateq́; animoſa pateſcunt
Pectora, cōſurguntq́; humeri, & iā ſeſſile tergū eſt:
Spinaq́; depreſſos gemino ſubit ordine lumbos.
Et caſtigatum cohibent craſſa ilia ventrem,
Fundunt ſe lætæ clunes, ſubcriſpáque denſis
Cauda riget ſetis, & luxuriantia crebræ
Velant colla iubæ, ac dextra ceruice vagantur.
Tum tereti ſubſtricta genu, molliſſima flectit
Crura ferox, celſum ingrediens, fremitúq; ſuperbit.
Grande ſonat tornata cauo breuis vngula cornu,
Ingenti referens Corybantia cymbala pulſu.
O dulces paſtoris opes, o quanta beatum
Quàm tenet hunc tranquilla quies? vt pectore toto
Lætitiam, totáque fouet bona gaudia mente?

Nempe odij,fraudúmque expers,exemptus inani
Ambitione, vacánsque metu,ſpe liber,& inſons
Natiuo cultu,& gaza prædiues agreſti,
Ipſe ſibi viuit nullo ſub teſte,ſuóque
Pendet ab arbitrio,ſuus ipſe eſt cenſor,& alto
Calcat opes animo,ac regum deridet honores.
Si non Tænareis illi ſtant fulta columnis
Robora,cælatumq́; altè laquearia ſubter
Ridet ebur,poſtémve ſilex Aſſiroticus ornat,
Nec Mauruſiacos pulcræ teſtudinis orbes
Delphica ſuſtentat,nec docto trita Myroni
Pocula multiplici florent radiantia gemma.
Aut bis in Herculea Mileſia vellera concha
Verſantur,tenuique ſatur lanugine bombyx
Luteolos folles, pretioſáque fila relinquit,
Textile nec tenero ſubtegmine fulgurat aurum,
Spirantes referens vultus,quæ Pergamos olim
Artifici deſcripſit acu,quæ ſtamina Memphis,
Quæ Tyros,& Babylon radio pinxere ſonanti.
At iacet in molli proiectus ceſpite membra,
Quà cauus exeſum pumex teſtudinat antrum:
Quáve ſuſurranti crinem dat aquatica vento
Arbor,vel aut calamos,aut fixa haſtilia iungit
Cortice,ſtatq́; leui caſa frondea nixa tigillo,
Quam metuant intrare pauor,curæq́; ſequaces,
Sub qua iucundos tranquillo pectore ſenſus
Nutrit inabruptoq́; fouet ſua corpora ſomno,
Siluarum , & pecoris dominus.ſtant ſedula circùm
Turba canes,audaxq́; lacon,acérq́; moloſſus.

Dat ignem extritum ſilices, dant flumina nectar
Hauſta manu, dat ager Cererē: non caſeus, aut lac,
Lucorúmve dapes abſunt, ſtat rupibus ilex
Mella ferens trunco, plenóque cacumine glandem.
Illi ſunt animo rupes, frondoſaq; teſqua
Et ſpecus, & gelidi fontes, & roſida Tempe,
Valléſque, Zephyriq;, & carmina denſa volucrū,
Et Nymphæ, & Fauni, & capripedes Satyriſci,
Panq; rubens, & fronte cupreſſifera Syluanus,
Sileníque ſenes, ſubdiualesq; Ithyphalli,
Et montana Pales, & quo paſtore Pheræi
Gaudebant campi, & crinem reſoluta Mimallon.
Et qui cornigera bicolores fronte corymbos,
Pampineamq; manu tenera quatit Euius haſtam.
Semper amor, ſemper cantus & fiſtula cordi eſt,
Semper odorati, Venerisq; ſtipendia flores,
Vitarumq; altrix vrbi malè nota voluptas.
Talibus in ſtudiis paſtor molle exigit æuum.
Poſt vbi raucisonæ pinna vibrante cicadæ
Increpuere, ardensq; metentibus ingruit æſtus,
Pauliſper tum ceſſat opus, ſaxique ſub vmbra
Proſtrati indulgent genio: non mollia pleno
Deſunt vina cado, non lacti mixta polenta,
Aut pinguis tergum vitulæ, placidusq; ſonoræ
Lapſus aquæ, crinémque auræ, frōtémque laceſſunt.
Inde opus integrant, donec ſub nocte coruſcent
Flammigero paruæ ſtellantes clune volucres.
Ecce autem dulces labris pater ingerit vuas
Autumnus, crebræq; eliſus verbere plantæ,
It per præla latex, pueríque examine denſo

Exultant laſciua cohors, circúmque, ſupráque.
Ille manu panda pronus bibit, alter ab ipſo
Sugit muſta lacu crepitantibus hauſta labellis.
Hic ſua ſuſpenſum reſupinus in ora racemum
Exprimit, hic ſocij patulos irrorat hiatus,
Irriguúmque mero ſordet mentúmque, ſinúſque:
Ebriáque incertis titubant veſtigia plantis.
Poſtquã acris ſucceßit hyems, & pendula tectis
Diriguit glacies, larga ſtrue tollitur altè,
Collucetq; focus, coeunt vicinia ſimplex
Vnà omnes, iuuenésque probi, matérque ſeuera
Coniuge cum duro, & pueris, & virgine grandi,
Conuigilántque hilares, & primæ tempora noctis
Decerpunt, molli curas abigente Lyæo.
Mutuáque inter ſe ludunt, tum tibia ſolle
Laſciuum ſonat inflato, tum carmina cantant,
Carmina certatim cantant, tum tenta recuſſo
Tympana ſupplodũt baculo, et caua cymbala pulſãt
Et læti ſaltant, & tundunt æribus æra,
Et graue conſpirat cornu tuba flexilis vnco,
Cõclamántque altũ vnanimes, tollũtq; cachinnos.
Porrò autem, quanta eſt differtæ copia villæ,
Quámq; penu diues? neq; enim vel frugibus hornis
Horrea ſufficiunt, vel odoro dolia muſto.
Teſtáque Palladiis iam non vacat vlla trapetis.
Terga ſuis pendent fumoſo ſordida tigno,
Pertica penſilibus oneratur longa racemis,
Non vuæ arentes, non pruna, & carica deſunt.
Sorbáque cum ceraſis, duróque putamine clauſa

Perſica nux, regúmque altas imitata coronas
Meſpila, cumq; pyris miſerorum munus amantum
Iam laxum in rugas malum, decoctáque ahenis
Defruta, & omphacin⁹ liquor, et lacrymoſa ſinapis,
Et meditata nouos Sicyonia bacca ſapores.
Tum ſapa, melq; recens, edulcatique lupini,
Et pruna increpitans balanus, contextáque cānis
Fiſcina lacte madens, & durati ſale fungi.
Annonam facilem vicinus ſuggerit hortus,
Murmur apricantes niuea dant turre columbi,
Expandunt alas, & amicam blanda rogantes
Oſcula, circumeunt inſertántque oribus ora:
Iam vicibus nido incubitant, genitrixque, paterq;,
Iámque oua excludūt, natíſque implumibus eſcam
Commanſam alternant, roſtelláque hiantia cōplēt.
Adde gregem cortis, criſtatarúmque volucrum
Induperatores, laterum qui ſidera pulſu
Explaudunt, vigilique citant Titana canore:
Et regnum ſibi Marte parant, quippe obuia roſtris
Roſtra ferunt, crebríſque acuunt aſſultibus iras.
Igneſcunt animis, & calcem calce repulſant
Infeſto, aduerſúmque affligunt pectore pectus.
Victor ouans cantu palmam teſtatur, & hoſti
Inſultans victo, pauidum pede calcat iniquo.
Ille ſilet, latebraſq; petit, dominúmque ſuperbum
Ferre gemit. comes it merito plebs cætera regi:
Formoſo regi, cui vertice purpurat alto
Faſtigatus apex, dulcique errore coruſcæ
Splendeſcunt ceruice iubæ, pérque aurea colla,

Perq́; humeros it pulcer honos. palea ampla decẽter
Albicat ex rutilo, atque toroſa in pectora pendet
Barbaricum in morẽ: ſtat adunca cuſpide roſtrum,
Exiguum ſpacij roſtrum, flagrantq́; tremendum
Raui oculi, niueaſq́; caput latè explicat aures.
Crura pilis hirſuta rigent, iuncturaq́; nodo
Vix diſtante ſedet, durus veſtigia mucro
Armat, in immenſum pinnæq́; hirtique lacerti
Protenti excurrunt, duplicique horrentia vallo
Falcatæ ad cælum tolluntur acumina caudæ.
Ipſe ſalax totam fœcundo ſemine gentem
Implet, & oblongo nunc terram ſcalpurit vngui,
Rimaturq́; cibos, nunc edita nubila viſu
Explorat cauto, non illum ſquamea tutò
Aggreditur ſerpens. non raptor ab æthere miluus.
Vocibus interea crebrum ſingultat acutis
Parturiens coniux. quæ ſcilicet oua ſubinde
Tollit anus, ſignátque dies; vigilémque lucernam
Conſulit, & lunæ creſcentis tempora ſeruans,
Vt primùm gallina glocit numero impare ſubdit:
Verſatiſque diu, ſolers auſcultat, an intus
Pipiat inuolucer pullus, teneruḿq; putamen
Pertuderit molli roſtro, atque erumpere tentet.
Parte alia bifero plumoſam corpore meſſem
Nutrit, & in craſſa ſatur vrinare lacuna
Anſer auet, ſtagnúmque ſuper pede remigat vdo
Depictæ ceruicis anas, prolémque natatum
Inuitans, nunc extat aquis, nunc mergitur altè.
Erigit explicitæ gemmata volumina caudæ

Imbitioſus amans: at ficu,& p lline gliſcit
ellaci cantu deceptus ab aucupe turdus.
nſidit mutilo turtur,ſeſéque ſaginans
Rauca gemit,dulcesq; miſer ſuſpirat amores.
let viduus perdix, queritur peregrina coturnix
ncluſi caueis.hic cæca cuniculus antra
Excauat,hic ſepto prægnans lepus errat in amplo,
Capreoliq; hinuliq;,& aduncis dentibus apri.
Hic ſtertunt glires,hic fœmina fœtat echinus.
Dædala ſomniferos peragunt examina bombos,
lenáque captiuos ſeruant viuaria piſces.
cilicet his opibus placidè ſua corpora curant,
Dulciáque inter ſe læti tellure magiſtra
Officia exercent,vt quæ neque ferre recuſet
mperium,neque non grandi mercede rependat,
i qua laborifero debentur farra colono.
lle autem [illegible] volucri petit ardua ſidera mente,
crutatúrque ſagax,quæ ſit ſententia diuûm.
Quid quæque emergens ,latitánsve,oriéns ve, ca-
dénsve
tella paret,quid quadruplici celer afferat annus
Cardine,quæ ſulcis,quæ ſint ſtata tempora meßi,
Quidque pecus vehat Olenium,qua grãdine colles
Trux nepa dilapidet,quo turbine ſurgat Orion,
Quos glomerẽt imbres, aut preſſus Arione delphin,
Aut Pleas,Arcturusq́ ſenex,Hyadesq; puellæ:
Vnde bibant herbæ diuini pocula lactis:
Cur rubigo ſatis,vredóque vitibus obſit:
Quid nebulas abigat,tempeſtatesq; repellat:

Quod vento ingenium, quæ nubes cauſſa ſerenet:
Quidque ſilẽs moueat, quidq; intermẽſtrua Phœbe,
Vel cùm plena meat, vel cùm decreſcere rurſum
Incipit. ille etiam numeros, legéſque dierum
Prouidus obſeruat: ſcit enim quid ſeptima portet
In qua naſcentem excepit bona Delia fratrem.
Scit quoq; poſt decimã quid prima, quid altera luces
Iniungant operum, quocirca aut vellera lanæ
Demetit. aut grauido maturas mergite ariſtas:
Aut telam locat vxoris: nam pendula in ortu
Poſteriore ſuos etiam net aranea caſſes.
Quæ ſequitur bona virgultis, inimica ſerendis
Frugib⁹. ergo cauet, ꝙ obeſt, quodq; expedit vrget:
Nouit enim quota cõnubiis, quota partubus obſtet,
Aſpirétve dies, quota pinguem emaſculet hædum,
Septáque circundet pecori, quota iungat amantes
Et clandeſtinos iubeat miſcere ſuſurros:
Qua ponat canit hirritum, maleſuadáque pectus
Cura nimis laceret, qua triſtis oberret Erinnys
Nocte magis. ſecat ille ſuo ſibi tempore lignum,
Dolia deguſtat, ſubigit iuga ferre iuuencum.
De flabris quoque, de pluuia dulcique ſereno,
Aut lunæ occaſus, aut idem conſulit ortus.
Tractat opus, ſi pura micet: ſin atra recedat,
Aut quinto directa die, aut medio orbe retuſa,
Nec gracili cornu, aut triplici ſit culta corona,
Tecta ſubit metuens hyemes, ſi rubra coruſcet.
Tum verò expectat ventos, nec fallit eundem
Quo Boream cornu, quo Cynthia prouocet Auſtrũ,

Conſulit & Phœbi flammas, an grandinis augur
Palleat, an radiis monſtret diſcordibus imbrem.
An præ ſe exoriens nubes agat, an niger orbem
Circulus extremum claudens, quà rumpitur, acres
Carceris Aeolij moneat conſurgere flatus.
Adnotat & cæli faciem, num ſtella ſereno
Aethere lapſa cadat, rapidi prænuntia Cauri.
Conſcia num ſubita ſemet caligine obrumbrent
Aſtra, trahantq; hyemẽ, gemino Thaumãtias arcu
Quid ferat, aut curto cùm vix ſecat aera gyro,
Et penè vnicolor taurina fronte minatur.
Nunc præſepe oculis, nunc Bacchi ſpectat aſellos,
Quíq; Noton cernit, quiq; eſt obuerſus ad Arcton,
Fulgores, tonitrus, inſperſáque vellera cælo,
Brumaléinque diem, & totum ſemel aſpicit annũ.
Necnon & nautis ruiturum in carbaſa nimbum
Augurat, vndiſonum ſi fors mare ſurrigit Aegon,
Canáque conſpergit ſale ſaxa & littora frangit.
Tunc & triſtifico reboant montana fragore,
Et repetunt ſiccum mergi, atque ex æquore clamãt,
Ipſa volans ſublimè auras, æthrámque laceſſit
Ardea, colludunt fulicæ, plaudúntque gregatæ.
At laſciua lacus alis perſtringit hirundo,
Et ſummas propè radit aquas, ranæq; coaxant.
Fuſca gradu cornix lento metitur arenas,
Aut fluuium capite, & madida ceruice receptat,
Crocitúque graui pluuiã increpat vſque morantẽ.
Plangunt Naupliadæ volucres, & peruia pinnis
Nubila conſcribunt, incertus in æquore delphin

Difflat aquas, latrant corui, vocémque reſorbent.
Progerit oua cauis patiens formica laborum.
Blanda canis terram pedibus ſcabit: ore lapillos
Tardigradus prendit cancer, ſeſeq; ſaburrat,
Atque hæret ripæ: lenſum occinit improbulus mus,
Stramináque exculcat. quin centipedes ſcolopendræ
Parietibus reptant, aures pigra motat aſella.
Dependent bullæ lychno, ſitiensq; cruoris
Muſca redit, ſummósq; proboſcide mordicat artus.
Nec longè a tectis apis ingenioſa recedit.
Prunáque, concretúſque ima cinis hæret in olla:
Carbóque pellucet: neque non prænuntiat Euros
Pluma natans, foliúmve errans, pappique volãtes:
Flammáque cùm flectit, cùm ſeſe elidit, & ipſis
Vix ſedet in ſtuppis, ſcintillámque excutit vdam.
Vos quoque paſtores ventos horretis, & imbres,
Cum temerè excurſans pecus ampla in paſcua fertur,
Cumq; alacres ludunt agni, calcéſque proteruos
Subſultim incutiunt inter ſe, & cornibus hærent:
Aut cùm ſe e paſtu vi vix, ægræq; reuellunt:
Cumq; boues liquidi ſuſpectant lumina cæli,
Olfactantq; auras, & ſuccos naribus vdos
Crebra trahunt, dextrumq; latus conſternere gaudent,
Aut lingunt aduerſa pilos, aut veſpere ſero
Mugitu ingenti redeunt, caulásque fatigant.
Cùm ſil.i non factos ſus diſſipat ore maniplos,
Cumq; antro lupus exululat, cúmque improbus idẽ

Nec

Nec metuens hominum propius conſiſtit, & offert
e mendicanti ſimilem, ac loca culta pererrat.
rgo in conſilium maria aduocat, æthera, terras,
aturámque omnem, viuítque autoribus aſtris
ura deûm agricola, atq; animo præſcita recenſet,
t rerum euentus ſenſu præſagit acuto.
anc o cælicolæ magni concedite vitam.
c mihi delicias, ſic blandimenta laborum,
faciles date ſemper opes. hac improba ſunto
ta tenus, nunquam certè, nunquã illa precabor,
lendeat vt rutilo frons inuidioſa galero,
rgeminaque grauis ſurgat mihi mitra corona.
lia Feſuleo lentus meditabar in antro
re ſuburbano Medicûm, quà mons ſacer vrbem
eoniam longique volumina deſpicit Arni.
à bonus hoſpitium felix, placidamq; quietem
lulget Laurens, Laurens haud vltima Phœbi
ria, iactatis Laurens fida anchora muſis:
i ſi certa magis permiſerit otia nobis,
ſlabor maiore deo, nec iam ardua tantum
ua meas voces, montanáque ſaxa loquentur,
l tu (ſi qua fides) tu noſtrum forſitan olim
nea blanda altrix non aſpernabere carmen,
amuis magnorum genitrix Florentia vatum,
ctáque me triplici recinet facundia lingua.

ANGELVS POLITIANVS

Laurentio Medici, Petri Franciſci
F. S. D.

COgis tu quidem me Laurenti carmen edere inconditum, inemendatum, & quod in publico ſemel pronuntiatũ, nimis fuiſſe impudens viſum ſit. Satis profectò fuerat, vixiſſe vnum diem, quod tam foret imperfectum animal, ac poſſe etiam inter inſecta illa, quæ vocentur ephemera, connumerari. Namque ego id ad præſentem duntaxat celebritatẽ, quaſi Adonidos hortum, concinnaueram. Prorogare tu noſtræ Mantus (ita enim inſcribimus) non tam vitam cupis, quàm dedecus: ferreus ſim, ſi tibi quid denegem, tam nobili adoleſcenti, tam probo, tam mei amãti, tanto denique eam rem ſtudio efflagitanti. Quare habe tibi quicquid hoc libelli, ac tu quoque deſiderio noſtro aliquando ſubueni, & quæ tibi muſæ amatoria carmina vernaculè ſuggerent, ne patere, quæſo, à nobis expectari diutius. Vale. Florentiæ 4. Nonas Nouemb. M.CCCCLXXXII.

PRÆFATIO, IN SEquentem Siluam.

STabat adhuc rudibus Pagaſeo in littore remis
Quæ ratis vndoſum prima cucurrit iter:
Dum tamen extremis hærent ſuccincta ceruchis
Lintea, dum nautas flamina nulla vocant,
Conueniunt Minyæ gemini Chironis ad antrum,
Quà fugit obliquo garrula lympha pede,
Quaq; ingẽs platanus genialibus excubat vmbris,
Explicat hic faciles ruſtica menſa dapes.
Creſcit fronde torus, vernant in flore capilli,
Sed viret Herculeis populus alba comis.
Dat puer Aeacides niuea carcheſia dextra,
Sed ſuus Alcidæ pocula miſcet Hylas.
Finis erat dapibus, citharam pius excitat Orpheus,
Et mouet ad doctas verba canora manus.
Conticuere viri, tenuere ſilentia venti,
Vosq; retrò curſum mox tenuiſtis aquæ.
...am volucres feſſis pendêre ſub æthera pinnis,
Iamq; truces videas ora tenere feras.
...ecurrunt ſcopulis auritæ ad carmina quercus,
Nudáque Peliacus culmina motat apex.
... iam materno permulſerat omnia cantu,

Cùm tacuit, querulam depoſuitque fidem.
Occupat hanc audax, digitosq; affringit Achilles,
Indoctúmque rudi perſonat ore puer.
Materiam quæris? laudabat carmina blandi
Hoſpitis, & tantæ murmura magna lyræ.
Riſerunt Minyæ: ſed enim tibi dicitur Orpheu,
Hæc pueri pietas grata fuiſſe nimis.
Me quoque nunc magni nomen celebrare Maronis
(Si qua fides vero eſt) gaudet & ipſe Maro.

MANTO.

In Bucolicon Vergilij pronuntiata.

EST dea quæ vacuo ſublimis in aëre pendens
It nimbo ſuccincta latus, ſed candida pallam,
Sed radiata comam, ac ſtridentibus inſonat alis.
Hæc ſpes immodicas premit, hæc infeſta ſuperbis
Imminet, huic celſas hominum contundere mentes,
Succeſſusq; datum, & nimios turbare paratus.
Quam veteres Nemeſin genitam de Nocte ſilenti
Oceano dixere patri. ſtant ſidera fronti,
Frena manu paterámque gerit, ſemperq; verēdum
Ridet, & inſanis obſtat contraria cœptis,
Improba vota domans, ac ſummis ima reuoluens

ſcet, & alterna noſtros vice temperat actus,
que huc atque illuc ventorum turbine fertur.
lerat hæc domitis tumidam te Græcia Perſis
na quoque Eoum victricia ferre ſub orbem.
lerat & cantu Aonio, eloquiiſq; ſuperbam
altum, magnumq; loqui, cæloq; ſupinum
ertare caput, nec diis te ferre minorem.
x faſtus exoſa graues, ceruice coegit
re iugum, & Latiis ſuperatam ſubdidit armis.
fandi permanſit honos: tu namque potenti
tinus ore tonans, ardentis fulmine linguæ
ncta quatis Cicero, Pyliæ non mella ſenectæ,
c iam Dulichias audet conferre procellas,
nte tibi virides tranſcribens Græcia palmas.
amen Aoniæ ſolatur fronde coronæ.
erat adhuc Latio vatũ decus, horrida quanquã
la, tubaſq; rudi cantauerat Ennius arte.
tus ecce Maro, quo non felicior alter,
ſiluas, ſeu rura canit, ſiue arma, virumq;.
mque Syracoſiis cùm vix aſſurgat auenis,
ſiodum premit, & magno cõtendit Homero.
ro age quis centũ mihi nũc in carmina linguas,
menſumq; loqui, vocemq; effundere ahenam,
is mihi det Siculas Latio clangore ſorores
t Geticam ſuperare chelyn? dũ te optime vatum
bellis pietas audaci promere cantu
det, Atlanteaſq; humeris fulcire columnas.
de ego tantarum repetam primordia laudum?
t qua fine ſequar? facit ingens copia rerum

Incertum. ſic frondifera lignator in Ida
Stat dubius, vaſtæ quæ primùm robora ſiluæ
Vulneret: hic patulam procero ſtipite phagum,
Hic videt annoſam ſua pandere brachia quercum,
Illic ſuccinctas caput exertare cupreſſos,
Metiturq; oculis Phrygiæ nemora alta parentis.
Te naſcente Maro Parnaſsi e culmine ſummo
Affuit Aonias inter feſtina ſorores
Calliope, blandusq; exceptum ſuſtulit vlnis,
Permulſitq; manu quatiens, terq; oſcula iunxit.
Omina ter cecinit, ter lauro tempora cinxit.
Mox aliæ dant quæq; tuis munuſcula cunis:
Certatim dant plectra, lyram, pellémq;, pedumq;,
Dant & multiforã modulanda ad carmina lotõ,
Et decreſcenti compactas ordine auenas.
Dant Pandionias volucres: ter murmure placant
Liuentes oculos, ter frontem baccare tangunt.
Venit & Elyſio venturi præſcia Manto,
Manto quæ iuuenem fluuio conceperat Ocnum,
Ocnum, qui matris dederat tibi Mantua nomen,
Venit & horrentes quatiens vittamq;, comáſque,
Sanguineamq; rotans aciem, ſic ora reſoluit
Plena deo, & veras excuſsit pectore voces,
Dicebam memini, memini tibi Mantua quondam,
Surge bonis auibus fundata, & fulmine læuo:
Surge, paremq; aſtris contende educere molem,
Pyramidum ſupra ſumptus. prò quanta manet te
Gloria, quàm longum ſenibus celebrabere ſæclis.
Naſcetur, video, ſupera tibi miſſus ab arce

ercus vates, alti cui numinis hauſtum
ns cælo cognata ferat, quem grande ſonantem
Linus Inachides tantũ, atq; Oeagri⁹ Orpheus,
t mea qui Tyrio conſtruxit mœnia plectro,
vos o Muſæ, ſed tu mireris Apollo.
nunc ecce puer tranquillæ ad lumina lucis
diu promiſſus adeſt, vitámque ſalutans
s teneris iam nunc mulcet vagitibus auras.
ge beate puer ſanguis meus, horreat ortus
ecia tota tuos, laurumq; habitura ſecundam,
cra, Arethuſa ſuis metuant & Smyrna coronis.
ipe adhuc gracili connectere carmina filo.
ipe magne puer, nec vota intexere Diris
pia, nec Culici gemitum præſtare merenti,
c te Lampſacium pudeat luſiſſe Ithyphallum,
andáque laſciuis epigrammata pingere chartis:
:monidas refer, & Brontem, Volcaniaque antra,
niuomosq; apices montis, raucoq; trementem
urmure Trinacriã, quoties per nubila flammas
uctat, tentátque latus verſare Typhoeus.
ic Scyllam ſubitis miſeram quæ ſe induit alis,
yllam quæ nimio flagrans Minois amore,
h potuit rigido genitorem inuadere ferro
rudelis, potuit cano ſpoliare capillo
rudelis, ſed quis duro contendat amori?
rudelis, ſed culpa tua eſt, tua culpa Cupido.
Atque hæc prima noui fuerint elementa poëtæ.
Hæc fuerint timidæ præludia prima iuuentæ.
am vatem, iam Roma vocas, iam ſæua receſſit

Paupertas,præſtatq́; piis grata otia Muſis
Tuſcus eques.noſco hunc, atauis qui regibus ortus,
Diſcinctum iuuenẽ, cerno & te maxime princeps,
Purpureos inter proceres,ſanctúmque Senatum
Pendentem ſtare ad numeros atque ora tenentem.
Tu tamen o miſeræ nimium vicina Cremonæ
Quid fles amiſſum,quid fles mea Mantua cãpum,
Paſcentem niueos herboſo flumine cycnos?
Nónne vides ingrata tuis quæ præmia damnis
Accumulent ſuperi,& ſolatia quanta rependant?
Ipſa en Roma tuo ſeſe quoque iactat alumno,
Iamq́; Phalantei reſonant pineta Galeſi
Tityre te vacuo meditantem murmur in antro,
Iámque tuam dociles recinunt Amaryllida ſiluæ.
Nigráque dum raucum tremulis euibrat ab alis
Carmen & epoto canit ebria rore cicada,
Montibus ab ſolis formoſum iactat Alexin
Vocalis Corydon,& Alexin reddit imago.
Ecce autem imparibus dum ſibila flectit auenis
Impubis paſtor,faciles dum ludit amores,
Aureolo petit hunc malo,laſciuáque currit
Ad ſalices Nymphe furtiuo prodita riſu.
Sed maiora vocant,nunc,o nunc omnis abeſto
Impius,& caſti,linguisq́;,animisq́; fauento.
Stelligero deus ille,deus ſe fundit ab axe,
Aeterni mens certa patris,quique omnia nutu
Torquet,Idumææ ſe virginis inſerit aluo
Aurea ſparſurus rediuiuo ſæcula mundo.
Tu tamen ante alios felix mea vera propago,

Cui licitum in ſiluis, inter coryleta iacenti
Rimari quid fata parent, quid pulcra minentur
Sidera, quique mihi diuini pectoris heres,
Enthea Cumæis incingas tempora vittis.
Verùm agè iã gelidósque tegant vmbracula fontes,
Et foliis cumuletur humus, denſiq; maniplis
Inſpirent flores, vacuoq; inciſa ſepulcro
Candida formoſum teſtetur littera Daphnin,
Daphnin ad aſtra vocet tenero caua fiſtula cantu.
Ebrius interea noſtri nutritor Iacchi
Silenus molli dormit reſupinus in antro,
Ebrius, & nimio venas tumefactus alumno.
...rum pueri audaces, atque improba Nais
...uadunt furtim, deq; ipſis vincla coronis,
Quæ ſenis e mutilo modò vertice defluxerunt,
...iiciunt alacres, promiſſáque carmina poſcunt:
...armina cum ſiluis totos mulcentia montes.
...mq; tuis Minci glauca ſub arundine ripis
...incitur alterno Corydonis carmine Thyrſis.
...m repetit querulam Damonis tibia Muſam:
...amonis Muſam ſcopuli, pinusq; loquuntur.
...ed quid io tam dulce tibi eſt Galatea ſub vndis,
...uã formoſa vocet nequicquã ad littora Cyclops?
...felix Cyclops, ſed enim infelicior illo
...allus amat, queritúrque ſuam procul eſſe Lycorin:
...allus quem rigidæ fleuere in montibus orni,
...uius amorem omnes nequeunt mutare labores:
...allus, quem fruſtra verbis ſolatus Apollo eſt.
...ec ſat erit ſimas inter ceciniſſe capellas

Paſtorem, tu victricem fer Mantua palmam.
Ecce lacertoſi quærunt noua turba coloni
Quo ſegetes veniant campo, quo ſidere tellus
Vertatur, quod ſit falcis, quod tempus aratri.
Egredere o ſiluis iuuenis, currúque leuatus
Triptolemi Latios fœcunda meſſibus agros.
Nec cœlebs iam palmes agat, ſed reptet ad vlmum
Ebrius, at dulci rubeat noua nupta marito,
Et pater autumnus medio conſurgat ab aruo
Pomiferum viridi caput altè vmbratus amictu,
Atque Acheloe tuum teneat graue dextera cornu,
Stetq; catenatas ſuadens nudare palæſtras.
Palladis ampla arbos bicoloribus horrida baccis,
Frondibus & verſis longũ diſcriminet annum,
Iam lætos inter ſaltus, frondoſaq; teſqua.
Hinc vitulus primo cui frons protuberet æuo,
Mugitu tenero matrem vocet, inde per herbas
Candida laſciuo diſcurrat bucula ſaltu.
At quibus aſſurgunt pleno iam cornua gyro,
Inter ſe aduerſo decertent pectore amantes,
Dum rudis exultim florentis in æquore campi
Ludit equus, volucrésque fuga præuertere ventos,
Aut tranare amnes, aut curſu euincere montem
Geſtit, Olympiacæ rapturus dona coronæ.
Lanigerúmque pecus primo propellat Eoo
De ſtabulis paſtor, dum pratis roſida lucent
Gramina, dum teretes per flexa cacumina guttæ
Colludunt, ipſæ hærentes vix rupibus altis
Aſpera Cinyphiæ carpant dumeta capellæ.

Tum glomerata cauo fundant ſe examina ſaxo,
Halantemq́; roſam, & tenerorũ germina florum
Taurigenæ populentur apes, plenoq́; recurrant
Poplite: iam lentum teneat fundamina gluten.
Iam portas, arcémque & propugnacula condant,
Ceraq́; nectareas ducat ſexangula cellas:
Aut natos, aut mella legant, fucosq́; repellant
Turpe pecus, iamq́; accinctæ ciuilibus armis
Expediántque manus roſtris, & ſpicula vibrent,
Nocturnóque ſonent muſſantia caſtra ſuſurro.
At tu quæ tellus, æſtúque gelúque laboras,
Cui ſacer hybernos Helicon intercipit ortus,
Ne ceſſa acceptam noſtræ ſubmittere laurum,
Nec iam ſupremi certent de ſanguine vatis
Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamis, Chios, Argos,
Athenæ.
Quippe Bianoream manet hæc victoria gentem.
Namque meus timido qui rura & paſcua verſu
Hactenus excoluit, ſtimulis tandẽ acribus actus,
Dediſcetq́; metum, validasq́; in pectora vires
Contrahet, attonitóque canet fera pectine bella.
Qualis adhuc breuibus quæ vix bene fidere pinnis
Cœpit auis, matrem primò, nidóſque loquaces
Circumit, & crebrũ patula ſuper arbore ſidit:
Colligit inde animos ſenſim, & vicina volatu
Stagna legit, terrasq́; capit, captasq́; relinquit,
Laſciuítque fuga: tandem & ſublimia tranat
Nubila, & iratis audens ſe credere ventis,
In ſpacia excurrit, iuſtiſque eremigat alis.

Ac primùm Siculis magnum producet ab oris
Laomedontiaden, vndiq; & turbine ſæuo
Auferet in Libyen, quem Dido ignara futuri
(Sic placitum ſuperis) animóque domóque receptet.
Reginæq; hoſpes diri commenta Sinonis,
Mendaces Graios, vanæ periuria gentis,
Et populata malis Neptunia Pergama flammis,
Se quoque iactatum referet terraq; mariq;.
Illa auidis bibet ignem oculis, noctémque, diémque
Nutriet infelix veſanum pectore amorem.
Venatu tandem in medio Saturnia nimbum
Pronuba diffundet, ſoloq; Hymenæus in antro
Affuerit, nullasq; faces mæſtum afferet omen.
Fulgoresq; dabit nymphis vlulantibus æther.
Ipſe Iouis monitu Aeneas rurſum ire per vndas
Cogetur vento, rurſum Itala quærere regna,
Surgentem Auſoniæ ſolio impoſiturus Iulum.
At Phœniſſa rogum ſæuo ſuriata dolore
Incendet moritura, trucéſque in vota vocabit
Eumenidas, mox & Phrygium, proh triſtia dona,
Ah niueum per pectus aget miſerabilis enſem.
Diſcolor interea taurino combibet ore
Iris aquas, iterúmque antris effundet apertis
Hippotades hyemem, & rapidis ruet æquora vẽtis.
Zanclæas iterum feſſi eÿcientur ad oras
Troes, & hoſpitio fidi accipientur Aceſtæ.
Hic patris ad tumulum ſolennes ordine pompas
Dux feret, ac meritos celebrabit littore ludos.
Tum pelagus relegens amiſſo præſide puppis

x tandem Euboica lacrymans potietur arena.
tque vbi fata deûm viuacis ab ore Sibyllæ
auſerit, infernas etiam deſcendet ad vmbras,
) pietas) maneſq; petet per Auerna paternos,
omanoſq; ſuos Lethæi ad fluminis vndam
onferet, & magnos gaudens cognoſcet Iulos,
aciferúmque ducem, fuluo cui pulcra metallo
cla fluent, cui preſſa graui pede bella iacebunt.
is lætus porta ad ſocios euadet eburna
ux Anchiaſides, Tuſcumq; enabit ad amnem.
ecdum parta quies, reſtant bella aſpera, reſtant,
craſſus multo ſtagnabit funere Tybris.
t tibi Caſtaliis renouentur pectora lymphis
are nepos, nunc nunc ingenti eſt ore ſonandum
rande opus a tergo. quis enim alto euincere cãtu,
lamoreſq; virûm, atque hinnitus ſperet equorum.
u tamen euinces, licitum tibi maxime vatum
rma, acies, furias, Martem ipſum æquare canẽdo.
mq; volans ſuperas Alecto impunè per auras
artareum canit, & reſides ſtridentibus hydris
ſtimulat, dux ipſa manu Saturnia ſæua
lauſtra quatit belli, poſtéſque irata refringit.
m Latiæ coiere manus, domat aſpera duris
ra lupis ſonipes, faciléſque in puluere gyros
lectit eques, ipſæ alpino de vertice ſiluæ
ræcipitant, auidæ Phrygios haurire cruores.
am raſtri pondus rigidum diffingit in enſem
ædis amor, verſiq; abeunt in pila ligones,
ttritúſque caua mutatur caſſide vomis.

Iámque aurem horriſono rũpunt fera claſſica bõbo,
Armorumq; minax perſtringit lumina fulgor.
Dumq; alacres ſecũ in Martẽ Cythereius heros
Arcadas, & miſſum auſpicio Pallanta ſiniſtro
Audacem puerum, melioráque fata ſequutos
Tyrrhenos rapit, & tantis accingitur auſis.
Ecce furens Rutulus, ſæuoq; inſtinctus amore
Nequicquã in Phrygiã iaculatus lãpada claſſem
Miratur ſubitas pelago conſurgere nymphas.
Nec minus irrumpit caſtris, altámque cruentus
Dat ſtragem, fluuióque euadit lætus amico.
Vltor adeſt, ſocióſque exponens littore tuto
Auſpicium belli, maternis fulgurat armis
Dardanides, totáſque in pugnam exſuſcitat iras.
O qui ſudor equis, qui ſe alto in puluere reges
Turpabunt, quanto exſurget rubra ſanguine tellus.
Nec tuus haſta deus, nec te tua dextera forti
Mezenti leto eripiet, visq; effera mentis,
Sed conſors nato accedes tumulique, necíſque.
At tu quò nimio ſpoliorum, & laudis amore
Inconſulta ruis? quin ſæuas bellica virgo
Inſidias prius, & venientem reſpicis haſtam?
Túque miſer pone o rapti mala gaudia baltei,
Et caſi exuuias pueri, inuidiámque deorum
Turne caue. dabis heu pœnas, dabis improbe, & iſtã
Euandro debes animam, atque vltricibus vmbris.
Sic tandem Iliacas properans penſare ruinas
Ad Teucros feßis reuolat victoria pinnis.
Grande tamen vobis leti ſolamen honeſti,

agnanimi heroes nati felicibus aſtris,
fferet Aonius iuuenis, cui dia canenti
cta virum totis pariter præconia linguis
luet fama loquax, cui dulci ſemper ab ore
ſida mella fluent, cuiúſque Acheloia Siren
ſtiet innocuo diuina poemata cantu
ctere, cui blandis inſidet Suada labellis,
i decus omne ſuum cedet ſtupefacta vetuſtas.
a illi quem vix ducibus largiris honorem
onte feres, totóque aſſurges Roma theatro.
c vbi veridico fudit de pectore Manto,
mpoſuit vultu, teneróque arriſit alumno,
culáque ore legens ſacrum inſpirauit amorem,
flauitq; animam, tenuéſque receſſit in auras.
uſerunt hilares ad tanta oracula muſæ.
uſerunt nymphæ, quíque alto e vertice montis
fuerat, capripes concuſſit cornua Faunus.
triplices carmen ſcripſere adamante ſorores.
s agè nunc alacres certatim Ethruſca iuuentus
oniis operata ſacris accurrite mecum
ædala perpetui viſum monumenta poetæ,
ualia nec caſtæ peplis intexta Mineruæ
lenni veteres luſtro explicuiſtis Athenæ:
cta rubro quoties animantur prælia cocco.
ec vetus immenſum fuerint quæ ſparſa per orbem
loria, ſeptena celebrat ſpectacula fama.
am neque belligeris Babylon pulſata quadrigis
xenia, nec liquido pomaria pendula cælo
onferat, aut dextris conſtructa altaria Delos

Cornibus, aut vaſti molem Rhodos aurea Phœbi.
Non Cares Mauſole, tui cælamina buſti,
Phidiacum non Elis ebur, non ipſa ſuperbas
Pyramidas iactet laſciui lingua Canobi.
Namque hæc aut valido Neptuni quaſſa tridenti:
Aut telo Sumane tuo traxere ruinam:
Aut trucibus nimbis, aut iræ obnoxia Cauri:
Aut tacitis lenti perierunt dentibus æui.
At manet æternum, & ſeros excurrit in annos
Vatis opus, dumq; in tacito vaga ſidera mundo
Fulgebunt, dum ſol nigris orietur ab Indis,
Præuia luciferis aderit dum curribus Eos,
Dum ver triſtis hyems, autumnum proteret æſtas,
Dumq; fluet ſpirans, refluetq; reciproca Tethys,
Dum mixta alternas capient elementa figuras,
Semper erit magni decus immortale Maronis,
Semper inexhauſtis ibunt hæc flumina venis,
Semper ab his docti ducentur fontibus hauſtus,
Semper odoratos fundent hæc gramina flores,
Vnde piæ libetis apes, vnde inclyta nectat
Serta comis triplici iuuenalis gratia dextra.
Et quis io iuuenes tanti miracula luſtrans
Eloquij, non ſe immenſos terræq;, mariſq;
Proſpectare putet tractus. hic vbere largo
Luxuriant ſegetes, hic mollia gramina tondet
Armentum, hic lentis amicitur vitibus vlmus,
Illinc muſcoſo tollunt ſe robora trunco,
Hinc maria ampla patēt, bibulis hoc ſquallet arenis
Littus, ab his gelidi decurrunt montibus amnes,

Huc

uc vaſtæ incumbunt rupes, hinc ſcrupea pandunt
ntra ſinus, illinc valles cubuere reductæ.
· diſcors pulcrum facies vt temperat orbem,
c varios ſeſe in vultus facundia diues
duit, & vaſto nunc torrens impete fertur
uminis in morem, ſicco nunc aret in alueo,
unc ſeſe laxat, nunc exſpatiata coërcet,
unc inculta decet, nunc blandis plena renidet
oribus, interdum pulcrè ſimul omnia miſcet.
vatum precioſa quies, o gaudia ſolis
ta piis, dulcis furor, incorrupta voluptas,
nbroſiæq; deûm menſæ. quis talia cernens
gibus inuideat? mollem ſibi prorſus habeto
ſtem, aurum, gemmas, tantum hinc procul eſto
malignum
lgus, ad hæc nulli perrumpant ſacra profani.

M

ANGELVS POLITIANVS.
Laurentio Tornabono ſuo S. D.

DEbetur hæc ſilua tibi, vel argumento, vel titulo: nam & Homeri ſtudioſus es, quaſique noſter cõſectaneus, & propinquus Laurentij Medicis ſummi, prçcellentíſque viri: qui ſcilicet Ambram ipſam Caianam, prædium (vt ita dixerim) omniferũ, quaſi pro laxamento ſibi delegit ciuilium laborum. Tibi ergo poëmation hoc, qualecunque eſt, nuncupamus, vt ſit amoris noſtri monimentum, ſit incitamentum tibi ad ſtudia literarum, præſertímque Græcarum. in quibus tamen in tantum proceſſiſti, vt videare ad ſummum breui, ſi modò perrexeris, euaſurus. Vale. Florentiæ, pridie Nonas Nouembres. M. CCCCLXXXV.

AMBRA.

In poëtæ Homeri enarratione pronuntiata.

Picea ſi Cereris templo ſuſpenſa corona
Donum erat agricolæ quondam, ſi vinitor vuã
poſuit Bromio, quoties prædiuite cornu
pia ſe fudit, placidam ſi lacte recenti
ſtores ſparſere Palem, ſpumantia poſtquam
mplerant olidam ſupra caput vbera mulctram,
imitias & quiſque ſui fert muneris autor,
ur ego non vocem hanc, aut ſi quid ſpiritus olim
oncipit egregium, ſi quid mens ardua conſcit
arum inſigne ſibi, ſi quo ſe murmure iactat
ngua potens, cur non totum in præconia ſoluam
Iæonidæ magni, cuius de gurgite viuo
ombibit arcanos vatum omnis turba furores?
tq; laboriferi ferrum lapis Herculis altè
rigit, & longos chalybum procul implicat orbes,
imq; ſuam aſpirat cunctis, ita prorſus ab vno
npetus ille ſacer vatum dependet Homero.
le Iouis menſæ accumbens, dat pocula nobis
iaca porrecta manu, quæ triſte repellant
Innorum ſenium, vitámque in ſæcla propagent.
le deûm vultus, ille ardua ſemina laudum
ſtentat populis, ac mentis præpete niſu

Peruolitat chaos immenſum, cælũ, æquora terras,
Vimq; omnem exſinuat rerum, vocesq; refundit,
Quas fera, quas volucris, quas venti, atq; ætheris ignes,
Quas maria, atque amnes, quas diįq; hominesq; loquũtur.
Quin nudã virtutẽ ipſã cõplex⁹ honores
Faſtidit vanos, & ineptæ præmia famæ
Deſpicit exemptus vulgo, ac iam monte potitus,
Ridet anhelantem dura ad faſtigia turbam.
Vos agè nunc tanti precor incunabula vatis
Diuinosq; ortus Clio dictate canenti.
Muneris hoc veſtri, lõgis ſiquidem obſita ſæclis
Fama tacet, centumq; deæ premit ora vetuſtas.
Iuerat Aethiopum ſolitas inuiſere menſas
Oceanumq; ſenem, & fœcundæ Tethyos antra
Iuppiter, Aetnæoq; manum exarmauerat igni
Contentus ſceptris. frontẽ tranquilla ſerenat
Maieſtas, ſanctoq; nitet pax aurea vultu,
Nimbi, hyemes, tonitrusq; procul, regẽ omne deorũ
Concilium facie, cultuq; inſigne ſequuntur.
Biſtonis Mars inſtat equis, tu iungis olores
Phœbe Therapnæos, Getica Mars fulgurat haſta,
Contendis tu Phœbe fides, arcusq; retendis,
Lyncas agit Bromius, pauos Saturnia pictos,
Tardos luna boues, annoſas Delia ceruas,
Grypas Hyperboreos Nemeſis, Cytherea columbas,
Fert pedibus pinnas puer Arcas, crine galerum,
Et chelyn incuruam, atque incuruã ſuſtinet harpẽ,
Paciferaq; duos virga diſcriminat angues:

ryton puer Idalius calamóſque facémque,
ides clauam, & Nemeæi vellera monſtri,
taream Pallas galeam, & Phorcynida geſtat,
tcordes gemino radiantur Caſtores aſtro.
uiger in ſemet redeuntem computat annum
dextra deus. at Saturnum lanea compes
lcibero iubet ire parem, nec dextra Prometheus
tua Caucaſeæ meminit ferrata catenæ.
na deos ſua quemque decent. nec ſegnius alti
mina conueniunt pelagi, rex ipſe biformes
duus vrget equos, ſæuoq; tridente minatur
óque, Boreæq;, & vultu temperat Auſtros,
us equo Zephyrus tremulis perſultat in vndis.
ſinu facilem molli fouet Amphitriten.
dunt Nereidum ſimplex chorus. illa ſororem
uocat, & blando certat ſuperare natatu,
c iunctum Delphina regit, premit illa leonem,
ux vehit hanc aries, olido ſedet illa iuuenco,
ultant aliæ monſtris, quæ plurima vaſtus
luit Oceanus, ſcopulis horrentia Cete
lænam, Piſtrimq;, & Phyſetera marinos
qua fides vero eſt) efflantem ad ſidera fluctus.
aſdam & ſemiferi dorſo Tritones amico
cipiunt, bifidæq; ligant curuamine caudæ,
nunc tortilibus permulcent æquora conchis,
lcia nunc flexis ceruicibus oſcula captant.
Phorcus pater, it glaucus, longamq; per vndas
nitiem trahit, & nymphis luctantibus inſtat.
ousq; puer, glauca cum matre, repulſas

Nunc ſubter laſciuit aquas, nunc improbus extat
Pube tenus, conchaſque, & rubra corallia vellit.
Tu quoque non dubio frontem laxare ſeueram
Tandem auſus riſu Proteu. verùm una peremptum
Plora adhuc natum Thetis, & crudelia diuûm
Numina, crudeles Parcas miſeranda laceſſit,
Ac precibus mixtas obliquans ſæua querelas,
Exitiij; reum citat, & conuitia fundit.
Tum vix paſſa toro primos accumbere diuûm
Procurrit turbata comas, & pectore nudo,
(Sic dolor ille monet) læuáque amplexa verendi
Genua Iouis, dextráque attentans ſupplice barbã
Talibus affata eſt: O qui ſtellantia nutu
Regna quatis, viden' vt magna de gente dearum
Sola ego perpetuo (quid enim mea vulnera cælem?)
Tabeſcam luctu, veſtráſque infeſta profanem
Has epulas? quónam ob meritum pater optime? certè
Non ego vincla tibi, ſcis, o ſcis ipſe parabam
Magne ſator, non Corycio tua tela ſub antro
Seruabat Thetis anguipedi iurata Typhœo.
Nec nunc mortales thalamos, humilémque maritũ
Conquerimur: fuerint Parcarum vellera iuſtis
Inuida connubiis, liceat timuiſſe tonanti.
Quanquam o (ſed taceo) cur autem ſumme deorũ,
Cur meus Aeacides Latoia tela cruentat
Te minor? anne etiam ſobolem damnauimus ipſa,
Aut faciem Titani tuam? ſed vertite quæſo,
Me quoque iamdudũ in ſilicẽ, nec marmora ſolùm

-iſtibus æternùm lacrymis Sipyleia manent.
os certè ingrato cineri, mutiſque ſepulcris,
uando aliud quid ſit, genitrix perſoluat honores:
neque perpetuæ ſaltem illum munere laudis
ignaris pater, & Lethen parua accolet vmbra.
alia verba refert, genibúſque affixa tonantis
aret inexhauſtum lacrymans, ſparſisq; capillis.
ímque deos omnes dictis, & imagine mæſta
lexerat, inuidiam ſenſit, vultuſque retorſit
d Venerem Phœbus. tum diuam pauca moratus
ubleuat omnipotens, verbisq; ita mulcet amicis:
e crede æterno inciſas ad imante reuelli
oſſe deûm leges, ſtant omne immota per æuum
uæ triplices neuere colus, nec funera nati
let Thetis vna ſui. communes deſine caſus
Adnumerare tibi, ac totam hanc circũſpice turbã:
cilicet inuenies conſortes vndique luctus,
Me quoque in his: ſiquidem tranſegit Opũtia cuſpis
Ductorem Lyciæ, & moribundũ in puluere merſit
Nec tu digna tamen, fateor (ni fata repugnent)
Quæ tam ſæua gemas, quæ mortales Hymenæos
Nerei pertuleris, nec ſolus Apollinis arcus
Pignora diuarum Phrygiis tamen obruit aruis.
Eſt etiam cui Memnoniam Pallantias vrnam
Imputet. atque adeò triſtes vt pectore curas
Excutias, animúmque leues, reddetur Achilli
Ingens tantorum pretium (mihi crede) laborum:
Nam neque Cerbereos rictus, nec Erinnyas atris
Anguibus implicitas, inamœnáque Tartara paſſus

Elyſium tenet. hic magna venerabilis vmbra
Mutatis pulcram auſpiciis ſibi Colchida iunget
Solis & Oceani voluenti progener æuo.
Vtq; Rhodos Solē, Venerē Paphos, atque Cythera,
Iunonemq; Samos, Cereremq; Typhoias Aetne,
Me mea Creta colit, ſic nate candida Leuce,
Leuce, quæ Scythicis procul inſula perſonat vndis,
Templa tuo ponet. nautis hîc ille ſub alto
Fata canet luco venturæ nuntia ſortis.
Adde, quòd & pulcro tradetur pulcra marito
Tyndaris Aeacidæ ſtellis fulgentibus ardens:
Méque dabit ſocerum, thalamis en ſternuit iſtis
Pulcer Hymen, gratáſque vices ſortita voluptas
Iam nunc diuiduos iuueni deſpondet amores.
Vtq; tuos artus nunc dulci Gratia nodo,
Nunc Paphie roſeis nectit Vulcane lacertis:
Sic illum formoſa Helene, formoſa Cytæis
Auferet alternum, & lentus feſta otia ducet.
Famáque (nec dubita) centeno gutture veſtros
Indefeſſa canet, cælóque æquabit honores.
Audiet hos, & quem torrenti flammeus aſtro
Carcinus æſtiferis latè diſpeſcit arenis:
Et quos Herculeæ ſummorunt orbe columnæ,
Atque hominum primi Blemyæ, quosq; altior axis
Cogit Hyperboreos ſubter durare Triones.
Nulla virum gens, nulla dies, nuſquā vlla tacebit
Poſteritas, nulla teget inuida nube vetuſtas.
Quippe deûm ſancta naſcetur origine vates,
Qui lucem æternam factis immanibus addat,

Qui regum fera bella tonet, grandiq́; tremendas
Obruat ore tubas, cuius vocalia Siren
Pectora, & Aonidum miretur prima ſororum.
Ille tuum Theti Peliden venientibus annis
Dedet honoratum, ſeríſque nepotibus vnum
Theſſalus exemplum virtutis habebitur heros.
Quondam etiam noſtro iuuenis de ſanguine cretus
Dux bello inuictus, Gangen domiturus, & Indos,
Atque Semiramias fracturus cuſpide turres,
Felicem tanto præcone vocabit Achillem:
Et dubitabis adhuc obductæ nubila frontis,
Atque importunas Euris mandare querelas?
Quin audes laxare animum, vultusq́; priores
Induis, & lætis hilarem te cœtibus inſers?
Dixerat, illa oculis iamdudum abſterſerat imbrem
Læta omnem, ætherio grates agit inde Tonanti,
Inſtaurátque comas, cultúſque, habitusq́; decoros
Accipit. hic diuam glaucarum tota ſororum
Circunfuſa cohors ſtudio excolit, ipſa ſibi obſtat
Sedulitas. pars multifidi diſcrimine dentis
Cæſariem comit, molli pars colligit auro
Effuſam, pars fingit acu, crinémque lapillis
Spargit Hydaſpæis, hæ bacchas auribus addunt,
Reſtituuntq́; ſinus, illa aurea cingula donat,
Donat Erythræis hæc plena monilia conchis.
Lætantur Nereusq́; pater, grandæuaq́; Doris.
Continuò redit ille decor, ſuffuſáque pulcris
Fax radiat tranquilla genis. procul exulat omnis
Triſtitia, inſuetam tentant noua gaudia mentem

Haud aliter verno cùm pulſa roſaria nimbo
Frondentis rutilum virgæ ſpoliantur honorem,
Defluit exſpirans dominæ cruor, ictáque lapſis
Commoritur foliis halantum gratia florum.
Aſt vbi mox clarum iubar aureus exeruit ſol,
Augeſcunt recidiua nouis tum germina truncis,
Lætáque natiuas oſtentat purpura gemmas.
Iámque implere fidem diuini cœperat oris
Aeacides thalamo, et templis, et honoribus auctus:
Cùm partum ingentem memor extulit Ilithyia.
Hermæo prætenta ſinu fuit inclyta quondam
Vrbs toti prælata Aſiæ, Bœbeius illam
Coniugis extinctæ monimentum nobile Theſeus
Eſſe dedit Smyrnes, arcémque in monte locauit
Proſpectãtem vndas ſemel, & ſua tecta tuentem,
Quo flet mæſta ſilex Niobe, Niobéſque ſepulcrum.
Hic placido fluit amne Meles, auditque ſub altis
Ipſe tacens antris meditantes carmina cycnos.
Hæc vatem eximium tellus (ita ſancta vetuſtas
Credidit) hæc illum dias in luminis oras
Prima tulit. pater Aonij deus incola luci
Ductare aſſuetus thiaſos, ſacríſque ſororum
Reſponſare choris, & par contendere Phœbo
Furtiuo pulcrum implerat Critheida fœtu:
Inde capax nato ingenium, larguſq; verendæ
Scilicet hauſtus aquæ, primo (ſi credimus) ille
Vagitu horriſoni ſternebat murmura ponti,
Pacabat ventos, mollibat corda ferarum.
Ipſa etiam lacrymas Sipyleia fundere cautes

Deſtitit audito.reptabat maximus infans
Fluminis in ripa,reptantem mollibus vlnis
Nais areniuagum rapiebat ſæpe ſub amnem
Oſtenſura patri,& rurſum exponebat in vlna
Flore breues cinctum,aut apio rorante capillos.
Vóſque Etheoclea (ni mendax fama) ſorores
Miſiſtis lectas Horarum a fonte corollas,
Flauáque virgineam puero immulſiſſe papillam
Dicitur Actæo ceu quondam Pallas Erechtheo.
Ipſe vt iam certo veſtigia ponere niſu,
Itq; datum varia voces effingere lingua,
Gaudebat calamos Hybleis iungere ceris,
Dilectos Bromio calamos, gaudebat & vncam
Ore inflare pio,ac digitis percurrere loton.
Grande tamẽ calami reboant, grãde vnca remugit
Tibia,ſæpe illum vicina Faunus in vmbra
Demirans, aures tacitus tendebat acutas,
Et ſubitò puerum Satyri cinxere theatro,
Cùm Satyrisq; feræ,ſed quæ nil triſte minentur,
Cumq; feris ſiluæ,ſed quæ alta cacumina motent,
Multifidæq; ſacris adnutent legibus auræ.
Ipſi quinetiam riguo Pactolus, & Hermus
Certatim affluxere auro,iuſſóſque tacere
Ripa ab vtraque ſuos Mæander miſit olores:
Mæander ſibimet refluis ſæpe obuius vndis:
Mæander ſub humum pudibundo flumine labens:
Quòd puerũ ignarus Carpon, dum ludit in vnda,
Delicias nati,mox natum merſerat alueo
Infelix genitor:ſed venti id crimen amantis.

Verùm vbi primææ dubio ſe flore iuuentæ
Induit, ac plenis adoleuit fortior annis,
Carmē amat, carmen, prò maxima numina vatū,
Carmen Apollineo tantum modulabile plectro,
Carmen Caucaſeas ſilices, cautémque Sicanam
Quod trahat, & rigidi leges infringat Auerni,
Exarmétque Iouis minitantem fulmine dextram.
Iámque inſana ſacrum vis, incertúſque medullis
Exſtimulat vatem Aeacides, iam parturit altum
Mens opus, & magnis animoſa accingitur aulis.
Ille tamen quænam ora ſui, qui vultus Achilli,
Quive oculi, quantis maternis fulguret armis,
Scire auet ah nimius voti, violentáque fundens
Murmura, terribilē tumulo ciet improbus vmbrā.
Continuò Sigæus apex concuſſus in æquor
Procumbit, raucúmque gemit Rheteia contra
Littora, & effuſis tremit ardua fontibus Ide,
Semiuſtúmque cauo Xāthus crinem abdidit antro.
Ecce tuens toruum, nec vati impunè videndus
Phthius honoratis heros adſtabat in armis:
Qualis Peliaca Teucros obtriuerat haſta
Priamiden verſa a Danais dum quæreret ira
Vltor, & heu fluuiis miſeros, campiſque fugaret:
Flammeus igneſcit thorax, auróque minatur
Terrifico radiatus apex, in nubila ſurgit
Fraxinus, & longa rurſum Hectora vulnerat vmbra:
Ipſe ardens clypeo oſtentat terrámque fretúmque
Atque indefeſſum Solem, Soliſque ſororem

m plenam & tacito voluentia ſidera mundo.
rgo his defixus vates, dum ſingula viſu
xplorat miſer incauto, dum lumina figit,
umina nox pepulit, tum verò exterritus hæſit
óxque repreſſa metu, & gelidos tremor impulit
artus.
t iuuenem ſacer Aonium miſeratus Achilles,
uandoquidem Saturne tuas inflectere leges,
aud licitum cuiquam, clypeo excipit, oráq; iungẽs
ſpuit augurium, baculum dat deinde potentem
ireſiæ magni, cui quondam Pallada nudam
idit, & hoc raptam penſauit munere lucem,
uetus inoffenſos baculo ducè tendere greſſus.
ec deeſt ipſe ſibi, quin ſacro inſtincta furore
ra mouet, tantique parat ſolatia damni.
eaciden tamen, Aeaciden cælo æquat, & aſtris,
eaciden famæ leuat arduus alite curru,
num Dardanidis, vnum componit Achiuis
eaciden, vnum antè omnes miratur, amátque.
c primùm irarum cauſſas, trepidúque tumultus
xpedit, vtq; luem neglecta induxerit ægris
elligio populis, vt regem irritet amantem
heſtorides, vt acerba fremens, vix temperet ipſo
nſe puer Thetidis, vix magni ſanguine Atridæ
bſtineat, diuæ admonitu, quæ iurgia contrà
ux ferat incenſus dictis, quo vulnera Neſtor
elle riget, quantum amiſſo dux frendeat alter
unere, quos nato genitrix exoret honores,
uid doleat Iuno, cælo quid portet ab alto

Inſidioſa quies, quæ rex obliquet inertis
Tentamenta fugæ, faciat Laertius heros
Quantum operæprecium, cũ dulcibus aſpera miſcet.
Cùm vaga clamoſæ reprimit conuitia linguæ,
Cùm ſuadet durent caſtris, præſagáque monſtrat
Fata deûm, memorat platanũ, infanteſq; volucres
Cũ matre abſumptas, verſumque in ſaxa draconẽ.
Quo Pylius fremat ore ſenex, vt pacta, fidémque
Deploret, dextraſq; datas, vt fulmina narret
Miſſa polo, ac pretium oſtentet victoribus vrbem.
Quæ facies Danaûm, cùm ſeſe in munia Martis
Accingunt, quantum dux ore, & pectore, & armis
Emineat. tum Pieridas ſua numina rurſum
Conſulit, Hectoreaſq; Agamẽnoniaſq; phalanges
Enumerans, ipſos icto mox fœdere amantis
Cõmittit, victúmque rapit Phryga nubibus atris,
Victorem Atriden nec-opino vulnerat arcu.
Tum pugnam inſtaurans toto dat funera campo
Haud dubitans alta Tydiden ſtrage cruentum
Dardanio, Lyciòque duci, totidémque repentè
Obiectare deis, Glauci poſt munere pulcro
Inſignem auratis oſtentaturus in armis.
Quid nunc Sidonio tentatam Pallada peplo,
Quid memorem lacrymas Thebææ coniugis, & te
Parue puer criſtas, & caſsidis æra timentem?
Teq; heros longè gradientem, & torua tuentem,
Quaſſantemq; procul metuendam cuſpidis vmbrã,
Atque auſum corde impauido, ſolum Hectora cõtra
Stare diu? quid te populorum fata duorum

Lancibus æquantem imparibus,rex magne, duorũ,
Aut miſeros tonitru Danaos,& lampade ſæua
Terrentem?quid te vallo,caſtriſq; minantem
Priamida armipotens?his rurſum adiũgitur ardens
Heu precibus nihil,& donis inflexus Achilles,
Exceptuſq; Dolon,& ſomno proditus heros
Othryſius,tacitáque auerſi nocte iugales,
Qui ſuperent candore niues,qui curſibus æquent
Flamina.mox ipſi ferro,teliſque repulſi
Ductores Danaûm,clypeóque interritus Aiax
Tutari ſociam claſſem,Iliacúmque paratus
Ductorẽ,& ferrum,& flammam exceptare,Iouẽq;.
Quem cæſto tamen Idalio, coniunxq;,ſorórque
Implicat,& ſomni facies mentita volucrem,
Dum pater æquoreus feſſis aſpirat Achiuis.
Nec mora, Peliacis cùm longè horrendus in armis
Emicat,& nubem belli defenſat Achiuis
Actorides,ac ſanguineo Sarpedona campo
Obruit,heu magni prolem Iouis.inde ſecundis
Elatus rerum, Balium,Xantúmque iugales.
Quos Zephyro peperit geminos Harpyia Podarge:
Et te captiuo funalem Pedaſe collo
Igneus extimulat, Scæaq; in limine portæ
Concidit,ah tanti nimium ſecurus amici,
Nam quid Panthoiden fœdantem ſanguine crines
Illos,prò dolor,argentóque auróque micantes:
Quid primos querar heroum pro corpore functo
Certatim obniſos inter ſe haud cedere certos,
Atque animam exanimũ funus ſuper exhalantes?

Ecce ſuum tandem cantor Smyrnæus Achillem
Suſcitat, ardentem clypeo, atque Hyperionis orbem
Orbe laceſſentem pulcro, & cæleſtibus armis,
Ingentique manu Centaurica tela tenentem,
Atque immortales adigentem in prælia bigas.
Hic verò obuerſis victoria remigat alis,
Dum rapit inferias, dum curribus ille, viriſque
Atque armis, & equis minitãtem infeſtior implet
Xanthon, & arſuras anguſtat cædibus vndas.
Vix ego nunc ſi mille ſonent mei pectora linguis,
Vóxque adamante rigens, atque indefeſſus anhelet
Spiritus infuſum totos Pæana per artus,
Bella deûm narrem, terrã ipſam immane gementẽ,
Clangentémque polum, Martemq́; in iugera ſeptẽ,
Porrectum multóque comas in puluere merſum,
Aegidáque horrificã, protectámque Aegide pectus
Pallada nil magni metuentem fulmina patris,
Imbellémque deam Venerem. & te Phœbe tridẽti
Summittentem arcus, & te Latonia virgo
Iam pauidam, ac vacua linquentẽ caſtra pharetra.
Nec ſi Caſtalios ipſis a fontibus amnes;
Hauriat os auidum, nec ſi Pirenida lympham,
Pimplæosq́; bibat latices, æquare canendo
Hectora ſanguineum, violentumq́; auſit Achillem.
Hectora pro patria clariſque penatibus vnum
Stantem animis contrà. qualis draco paſtus amaros
Per brumam ſuccos, venientem expectat iniquus
Paſtorem, & tumido furiatus felle cruentum
Spectat, hians immane, cauóque aduoluitur ingẽs.

Aeaciden

eaciden autem cædem, & crudele ferentem
xitium: qualis vaſti canis Orionis
r noctem exercet radios, ſæuumq́; minatur.
mq́; illum ante oculos, amborũ ante ora parentũ
ptatum Hæmonio circum ſua mænia curru,
m funus Patrocle tuum, Priamúmque ſuperbos
rrectum ante pedes, atque auro ſupplice victum
ixerat inuictum iuuenem, lamentáque ſæua
adum, mœſtosq́; rogos, cineremq́; ſepultum:
ùm ſubitò in ſomnis Ithaci experientis imago
ſa viro, ſic ampla humeros, ſic pectora fundens,
d letale gerens vulnus: namque inſcia nati
extera quæſitum per cærula vaſta parentem
rotinus æquoreæ viroſo trigonos ictu
rculerat, ſiue ira deûm, ſeu fata iubebant.
tque ait: o magnæ qui princeps debita laudi
æmia perſoluis, qui lenta obliuia ſæclis
ccutis, & ſeros famam producis in annos,
nne tot exhauſtos nobis terráque maríque,
thæo merſos fluuio patiere labores?
ec ſua reddetur virtuti gloria merces?
amque licet virtus ſemet contenta quieſcat,
la tamen iuſtos virtus adſciſcit honores,
láque ſe merito laudum fulgore coronat.
uinetiam ignaris præferre nepotibus optat
rima facẽ, ac monſtrare viam, quæ tendat in altũ
ulmen, & e celſo ſcandenti porgere dextram.
uem neq; poſteritas, neque tangit fama ſuperſtes:
empe aliis exempla, ſibi vitam inuidet amens.

Ergo ſub Iliacis tractantem prælia muris
Graius Achilleis populus donauerit armis:
Tu verò emenſo quæ geſſi plurima ponto,
Quæq; tuli, nullo vates dignabere cantu,
Quem ſolum vocat iſte labor, cui pectore pleno
Deſluit illa meæ felix opulentia linguæ.
Incipe, nãque adero, & præſens tua cœpta iuuabo.
Hæc ait, & pariter ſomnúſque Ithacúſque receſſit.
Ille nouo rurſus muſarum percitus æſtro
Concinit abiegnæ Danaos compagibus alui
Occultos, & equi molem, fraudémque Sinonis,
Indiciique metu præcluſum pollice fauces
Anticlon Ortygiden, populatáq; Pergama flãmis,
Diſiectáſque rates, patriúmque a Pallade miſſum
Fulmen, Oilidenq; ignes, & ſulfura fixo
Pectore proflantem, téque importune Caphareu,
Nec faciles Ciconas, fortunatóſque ciborum
Lotophagos, vinóque grauem Cyclopa per antrum
Exporrectum ingens, humanaq; fruſta vomentem
Mixta mero, inq; bouis conſtrictos tergore ventos,
Et Lamiũ Antiphatẽ, & virgã, & pocula Circes,
Cimmerióque domos, Euerridénque locutum
Vera ſenem, fuſóque allectos ſanguine manes,
Et maris illecebras, vocemq; impunè canoræ
Virginis auditã, Scyllãq;, auidamque Charybdin,
Lampetienq; patri violata armenta querentem,
Immerſóſque vndis ſocios, ipſúmque natantem
Litus ad Ogygies, & Atlãtidos antra Calypſus,
Neptunumq; iterum ventóſque vndaſq; cientem,

ucotheámque piam, Cercyræosq́; receſſus
oſpitio faciles, ſubitúmque in gurgite montem,
ſſertumq́; larem tandem, vltricéſque ſagittas.
rgo tegunt geminæ victricia tempora laurus
atis Apollinei, geminis ergo arduus alis
ugit humo, celſúmque altis caput intulit aſtris,
ar ſuperis, ipſiq́; Ioui, quò nulla rebellis
icula liuor agat, quò nulla aſpiret iniquæ
empeſtas fœda inuidiæ. ſic eminet extrà
iber, & innocuus, toto ſic ille ſereno
erfruitur gaudens, magni ceu purus Olympi
upra imbres vertex, & rauca tonitrua ſurgit,
eſpectátque procul ventorum prælia tutus.
uo nunc diuitias animoſi carminis ore
xequar? haud illi plena ſe conferat vrna
ermus, & aurata radians Pactolus arena,
t Tagus, & Durius, latebris quodq́; eruit audax
almata, quodq́; procul Beſſus rimatur, & Aſtur,
uſile Callaica quódque in fornace liqueſcit,
ecolor in toto quódque inuenit Indus Hydaſpe,
uemq́; Rhodos fuluus hauſit de nubibus imbrem,
uódque manu dea cæca tenet prædiuite cornu.
tq́; parens rerum fontes, & flumina magnæ
uggerit Oceanus terræ, ſic omnis ab iſtis
octa per ora virûm decurrit gratia chartis.
Hinc fuſa innumeris felix opulentia ſæclis
Ditauit mentes, tacitóque infloruit æuo:
Omnia ab his, & in his ſunt omnia ſiue beati
Te decor eloquij, ſeu rerum pondera tangunt.

Nam quæ tam varium Memphitis ſtamen arundo
Separat, aut quæ ſic Babylonos texta potentis
Solicita pinguntur acu, quæ tanta colorum
Gloria, cùm pinnis Zephyri rorantibus adſunt:
Quantus honos vocum, quàm multis diues abũdat
Floribus, & claris augeſcit lingua figuris?
Siue libet tenui verſum deducere filo,
Seu medium confine tenet, ſeu robore toto
Fortior aſſurgit: ſeu vena paupere fertur
Aridius, celeri ſeu ſe breuis incitat alueo,
Gurgite ſeu pleno, denſisq́; opulentior vndat
Vorticibus, ſiue humentes læto vbere ripas
Dædala germinibus variat, maiore nec vnquam
Sermo potens meminit ſe maieſtate loquentem.
Quòd ſi facta virûm victuris condere chartis,
Flectere ſi mauis orando, & fingere mentes,
Hunc optato ducem: non cauſſas doctius alter,
Perſonáſq́;, locúmque, modóſque, & tẽpus, & arma,
Rémque ipſam expediat, dum nũc iactantior exit,
Nunc contorta ruit, nunc ſe facundia profert
Simplicior, varia nunc floret imagine rerum.
Dulcius eloquium nulli, nec apertior vnquam
Vis fandi fuit, aut quæ mentibus acrior inſtet.
Indole quemque ſua pingit, ſua cuique decenter
Attribuit verba, & mores, vnúmque tenorem
Semper amat, meminítque ſui, ſcit & vnde moueri,
Et quò ſit prodire tenus, fuſúmque gubernat
Arte opus, & mediis prima ac poſtrema reuincit.
Nunc teneras vocat ad lacrymas, nunc igneus iram

Suſcitat, interdum retrahit, probat, arguit, vrget.
Nunc noua ſuſpendunt auidas miracula mentes,
Fata bonis, ipſum vtiliter celantia verum.
Quicquid honorato ſapiens canit ore vetuſtas,
Doctáque multiiugæ poſt hunc diuortia ſectæ,
Hinc hauſtum ſiue infantis cunabula ſæcli,
Seu conſpirantes pugnaci fœdere cauſſas,
Diſcordémque fidem, & genitalia ſemina rerum,
Seu potius mundi fines, diuumq; rotatas
Contemplere domos, atque obluctantia cælo
Sidera. quæ magnum vis tanta Hyperionis orbem
Torqueat, exhauſtam reparet quo fonte ſororem
Auſam fraternis mediam ſe opponere flammis,
Et ſubitis violare diem, lucémque tenebris.
Conſcia fatorum cùm mens animauerit aſtra,
Vnde tremat tellus, trifida ne impulſa laboret
Cuſpide Neptuni, cæcis an terga cauernis
Subdat atrox Boreas, noſtrum erupturus in orbem.
Ventorum nunc ille vices, nunc fulminis ortus
Monſtrat, & eliſis crepitantes nubibus auras:
Cúrque ruunt imbres, ſubitus cur lumina fulgor
Sic ferit, vt medium credas diſcindere cælum.
Eſſe deum, mentem immenſam, rerúmque potētem,
Cunctáque complexum, ſtabili qui lege gubernet
Naturam, mundíque vices, qui fata ſolutis
Subiuget arbitriis, qui temperet omnia ſolus.
Eſſe animos leti exortes, ſed corpore claudi
Ceu tumulo, quos in varias tamen ire figuras,
Hoc dictante docet tacitæ dux ille cohortis,

Antè ortus memor vſque ſui, ſibiq; ipſe ſuperſtes.
Quin & præcelſa rationem ſiſtit in arce
Ceu dominam, triſtes in pectore concitat iras,
Viſcera degeneri damnata cupidine paſſus.
Nec tacet, vnde æger cruciat dolor, vnde rebellem
It furor in rabiem, cur pallent ora timentum,
Genua tremunt, ſtant corda gelu, ſtāt vertice crines.
Quæ ſummi ſit meta boni, quæve orbita rectum
Signet iter, quò ſe confundat deuius error,
Quot virtus fluat in riuos, quo cardine honeſtum
Vertatur, rebus quantum Fortuna caducis
Præſit, vt humanos toleret mens cruda tumultus.
Quæ ciues menſura premat, quo robore leges
Firmentur, plus conſilio res creſcat, an armis
Publica. quas belli tentet dux callidus artes:
Quàm vocū ſit amica fides, quàm magna gregādis
Relligio numeris, quantis præſagia ſignis
Conſultes: quantum ſuccos rimata ſalubres
Ardua Pæoniæ valeat ſolertia dextræ.
Hinc & magniloquis voces creuere cothurnis.
Hinc laſciua datos riſerunt compita ſuccos:
Hinc hauſiſſe iocos teneri creduntur amores,
Quiq; aſtricta breui claudunt epigrammata nodo.
Quin & Apellæos digitis animare colores
Monſtrat, Olympiaco quin is dedit ora tonanti.
Nec faber ille negat, dum nigris mota laborant
Cuncta ſuperciliis, immortaléſque ſequuntur
Aſtra iubas, ſancta dum maieſtate tremendum
Excipiunt, magnóque aſſurgunt numina patri.

roumq; idem facies, & celſa potentum
-a deûm, variisq; horrenda animalia formis,
iuerſáſque vrbes, poſitusq;, habitúſque locorum
innumeros ſenſúſque animorum, carmine pulcro
Naturámque omnem illa ipſa mirante figurat.
Huic aras, huic templa dedit veneranda vetuſtas.
Hunc ære, hunc ſaxo, fuluóque colebat in auro:
Hunc vnum autorem teneris præfecerat annis,
Rectorémque vagæ, moderatorémque iuuentæ:
Hunc etiam leges vitæ agnouere magiſtrum:
Omnis ab hoc doctas ſapientia fonte papyros
Irrigat: hunc proprias olim Gangetica tellus
Tranſtulit in voces: huius natalia ſeptem
Quæq; ſibi rapiunt ſtudiis pugnacibus vrbes:
Hunc & Sithonij patientem iura flagelli
Aſſeruit patrio vindex Ptolemæus ab amne:
Hunc quoque captiuo gemmatum clauſit in auro
Rex Macedûm, mediis hunc conſultabat in armis:
Hoc inuitabat ſomnos, hinc craſtina bella
Concipere, huic partos ſuetus iactare triumphos.
Et nos ergo illi grata pietate dicamus
Hanc de Pierio contextam flore coronam,
Quam mihi Caianas inter pulcerrima nymphas
Ambra dedit patriæ lectam de gramine ripæ:
Ambra mei Laurētis amor, quam corniger Vmbro
Vmbro ſenex genuit domino gratiſsimus Arno:
Vmbro ſuo tandem non erupturus ab alueo.
Quem ſuper æternùm ſtaturæ culmina villæ
Erigis, haudquaquam muris ceſſura Cyclopum,

Macte opibus, macte ingenio, mea gloria Laurens
Gloria muſarum Laurens, monteſq; propinquos
Perfodis, & longo ſuſpenſos excipis arcu,
Prægelidas ducturus aquas, quà prata ſupinum
Lata videt Podium riguis vberrima lymphis,
Aggere tuta nouo, piſcoſiſq; vndique ſepta
Limitibus, per quæ multo ſeruante moloſſo
Plena Tarentinis ſuccreſcunt vbera vaccis.
Atque aliud nigris miſſum (quis credat?) ab Indis
Ruminat ignotas armentum diſcolor herbas.
At vituli tepidis clauſi fœnilibus intus
Expectant tota ſugendas nocte parentes.
Interea magnis lac denſum bullit ahenis:
Brachiáque exertus ſenior, tunicatáque pubes
Comprimit: & longa ſiccandum ponit in vmbra.
Vtq; piæ paſcuntur oues, ita vaſtus obeſo
Corpore ſus Calaber cauea ſtat clauſus olenti.
Anque aliam ex alia poſcit grunnitibus eſcam.
Celtiber ecce ſibi latebroſa cuniculus antra
Perforat, innumerus net ſerica vellera bombyx.
Ad vaga floriferos errant diſperſa per hortos,
Multiforúmque replent operoſa examina ſuber.
Et genus omne auium captiuis inſtrepit alis.
Dúmque Antenorei volucris criſtata Timaui
Parturit, & cuſtos Capitoli gramina tondet,
Multa lacu ſe merſat anas, ſubitáque volantes
Nube diem fuſcant Veneris tutela columbæ.

Ad Laurent. Medicem.

Cùm referã attonito Medices tibi carmina plectro,
Ingeniúmque tibi ſeruiat omne meum,
Quòd tegor attrita ridet plebecula veſte,
Tegmina quòd pedibus ſint recutita meis,
Quòd digitos caligæ diſrupto carcere nudos,
Permittunt cælo liberiore frui,
Intima bombicum vacua eſt quòd ſtamine veſtis,
Sectáque de cæſa vincula fallit oue,
Ridet, & ignauum ſic me putat eſſe poetam,
Nec placuiſſe animo carmina noſtra tuo.
Tu contra effuſas toto ſic pectore laudes
Ingeris, vt libris ſit data palma meis,
Hoc tibi ſi credi cupis, & cohibere popellum,
Laurenti veſtes iam mihi mitte tuas.

Ad eundem, gratiarum actio.

Dum cupio ingentes numeris tibi ſoluere grates
Laurenti, ætatis gloria prima tuæ,
Excita iamdudum longo mihi murmure tandem
Aſtitit arguta Calliopeæa lyra:
Aſtitit, inq; meo pretioſas corpore veſtes
Vt vidit, pauidum rettulit inde pedem:
Nec potuit culti faciem de noſſe poetæ,
Corporáque in Tyrio conſpicienda ſinu.
Si minus ergo tibi meritas ago carmine grates,

Fruſtrata eſt calamum diua vocata meum.
Mox tibi ſublato modulabor pectine verſus,
Cultibus aſſuerit cùm mea muſa nouis.

In aridam populum, quæ repente ante domum Laurentij reuiruit.

Quòd rediuiua nouas diffundit vertice frondes
Quæ Medicam ſurgit populus ante domum,
Cui quondam Ogygio fierent cùm ſacra Lyæo,
Admouit rapidas ebria turba faces.
Quid mirum? Herculeis nam cùm Laurẽtius armis
Aemulus, Auſonios temperet arte lares,
Ipſe ſuas iuueni Tyrinthius explicat vmbras,
Implicet vt meritum lecta corona caput.
Sic quoniam dextro modulatur Apolline carmen,
Antè ſuas Lauri circumiere comas.
Nunc igitur duplici crines lambente corona,
Se bello oſtentet, ſeq; valere toga.

De Cane Hebro ad Laurentium Medicem.

Quod canis Heſperio Medices tibi miſſus ab Hebro
Terribiles vaſto ſtrangulat ore feras:
Aſt hominem pauido metuit contingere rictu,
Nil mirum, domino conuenit ille ſuo:
Sic tua nam ſontes Laurenti pœna coercet,
Sic referunt abs te præmia digna pij.

Ad Ponticum.

Pontice vis noſtro cumulum ſuperaddere amori,
Inq; dies fieri ſemper amabilior?
Vis mihi vel tenera iucundior eſſe puella,
Vis mihi vel geminis carior eſſe oculis?
Mitte leues numeros, calamo nec parce iocoſo,
Mttte tuæ teſtes carmina nequitiæ.
Sic facies, caro fies mihi carior auro,
Et nitido Phœbi ſidere fulgidior.
At ſi non facies, vili mihi vilior alga,
Atque aſini fies ſtercore ſordidior

In Paulum.

Quæ tu condideras damnaui carmina nuper,
Nec tua damnaui carmina Paule tamen.
Autor eras, fateor: ſed cùm ſunt edita, Paule,
Autoris non ſunt carmina, ſed populi.

Ad Xiſtum Card.

Tenderet Hetruſcam nuper cùm Xyſtus in vrbem,
Aurea quæ magni ſigna leonis habet,
Viderat aſsiduis pallentes ſolibus herbas,
Et caua limoſo flumina ſicca ſinu.
Viderat & querulis poſcentem vocibus imbres,
Effuſas populum congeminare preces.

Ergo ſalutiferos ſuſpendit in æthere nimbos,
Dum pergit Lydas Xyſtus adire domos.
Inde vbi iam lætus mediæ ſeſe intulit vrbi,
Obtulit & Tuſcis ora ſerena piis:
Ardua laxato diſcuſsit nubilo cælo
Et liquido arentem nectare pauit humum.
An quiſquam neget eſſe deum te Xyſte, tenentem
Imperium terris, imperiúmque polo?

Ad eundem.

Verba dedi Xyſto, decet hæc dare dona poetam,
Æra decet Xyſtum reddere, verba refert.
Verùm habet ille alios, qui dēt ſibi verba, fatemur,
Æra tamen qui nunc det mihi, nullus adeſt.

Ad eundem propter aliquos poëtas detractores.

Credebam demens Xyſtum mihi verba dediſſe,
Fallebar, vates nam mihi verba dabant.
Nil queror, inſanis mos eſt dare verba poetis:
Dÿ faciant ne ſis Xyſte poeta mihi.

In Picturam puellæ quę in delitiis Laurentio Med. eſt.

Ne dubita, picta eſt quam cernis virgo, ſed acres
Hiſce oculis flammas eiaculatur amor.

Hiſce oculis vocem dedit ars, linguæq; negauit,
Heu fuge: ſed nulla eſt iam fuga, vulnus habes.

In Pamphilum.

Mittis vina mihi, mihi Pamphile vina ſuperſunt:
Vis mage quod placeat mittere? mitte ſitim.

In Corydonem.

Sum puer exclamas Corydon, ſubigisq; fateri:
In te reclamat ſed tua barba, vir es.

In Mabilium.

Innumeræ tibi ſunt Mabili in carmine mendæ,
Atque vbi ſint quæris, per mare quæris aquã.

De Antonio Tuſco extemporali, poë-
ta, ad Fabianum.

Tuſcus ab Othryſio Fabiane Antonius Orpheo
Hoc differt, homines hic trahit, ille feras.

In Laurentium Medicem.

Antè erat informis Laurens tua patria truncus,
Nunc habet ecce ſuum te tribuente caput.
Namque tuis nimia eſt frænata licentia nuper

Legibus,hoc patriæ quis neget eſſe caput?
Cæca fuit quondam tua dicta Fluentia.ſed nunc
Cuncta,oculos illi te tribuente,videt.
Otia namque pius ſtatuiſti dulcia muſis,
Quas patriæ veros dixeris eſſe oculos.
Conſilium dic eſſe aures, quo conſulis illi:
Quod fugit inſidias te duce,nare valet.
Cùm dederit largas illi tua dextera fruges,
Os habet,hoc totum patria corpus alit.
Impenſis ductúque tuo Volaterra repulſas
Accepit leges,hæc ſua dextra fuit.
Penè puer læuámque manum,clypeúmque dediſti,
Cùm tuta a miſera ſeditione fuit.
Præmia certa manent iuſtos,rata pœna nocentes:
Hiſce vrbem pedibus comprobat ire Solon.
Præterea auratos poſito ſqualore capillos
Compſit, & aurata candida veſte nitet.
Hoc decus educti templorum ad ſidera ſumptus,
Hoc Medicæ præſtant ardua tecta domus.
Sic patriam gignis Laurens,educis,& ornas:
Patria ſic vero te vocat ore patrem.

In Philippum Fratrem pictorem.

Conditus hic ego ſum picturæ fama Philippus,
Nulli ignota meæ eſt gratia mira manus.
Artifices potui digitis animare colores,
Speratáque animos fallere voce diu.
Ipſa meis ſtupuit natura expreſſa figuris,

Méque ſuis ſaſſa eſt artibus eſſe parem.
Marmoreo tumulo Medices Laurentius hic me
Condidit: antè humili puluere tectus eram.

Ad Laurentium extemporaneum Epigramma.

O ego quàm cupio reducis contingere dextram
Laurenti, & læto dicere lætus aue:
Maxima ſed denſum capiunt vix atria vulgus,
Tota ſalutantum vocibus aula fremit.
Vndique purpurei Medicem pia turba ſenatus
Stat circum, cunctis celſior ipſe patet.
Quid faciam? accedā? nequeo, vetat inuida turba:
Alloquar? at pauido torpet in ore ſonus.
Aſpiciam? licet hoc, toto nam vertice ſuprà eſt:
Non omne officium turba moleſta negat.
Aſpice ſublimi quem vertice fundit honorem
Sidereo quantum ſpargit ab ore iubar.
Quæ reducis facies, lætis quàm lætus amicis
Reſpondet nutu, lumine, voce, manu.
Nil agimus, cupio ſolitam de more ſalutem
Dicere, & officium perſoluïſſe meum.
Ite mei verſus, Medicique hæc dicite noſtro,
Angelus hoc mittit Politianus, aue.

Ad eundem.

Inuideo Piſis Laurenti, nec tamen odi,
Ne mihi diſpliceat, quæ tibi terra placet.

In eundem cum Ruri Querna corona frontem redimitum viderem, ex tempore.

Quàm bene glandifera cingis tua tempora quercu,
Qui ciuem ſeruas non modò, ſed populum.

In eundem

Det tibi Neſtoreos Laurenti Iuppiter annos:
Neſtoreum quoniam pectus, & ora dedit.

In Laurentium Medicem.

Cùm commiſſa ſibi tellus male fida negaſſet
Semina, & agricolæ falleret herba fidem:
Protinus optatas patriæ tua dextera fruges
Obtulit, & celerem iuſsit abire famem.
Nec mora, Piſcis commutas ſedibus vrbem
Seruatam, & nimio tempore lentus abes.
Heu quid agis? patriæ Laurens te redde gementi:
Non facta eſt donis lætior illa tuis.
Mœſta dolet, malletq; famem perferre priorem,
Quàm deſiderium patria ferre tui.

In Laurentium Iuliúmque Petri filios, fratres piiſſimos.

Nec tanta Oebalios tenuit concordia fratres.

Nec tanto Atridas fœdere iunxit amor.
Implicuit quanto Medicum duo pectora nexu
Mitis amor, concors gratia, pura fides.
Vnum velle animis, vnum eſt quoque nolle duobus,
Corq́; ſibi alterna dant, capiuntq́; manu.
Eſſe quid hoc dicam Iuli, & tu maxime Laurens,
An ne duos vna mente calere putem?

In Laurentium Medicem.

Num tibi littorea collectum Anthedone gramen
Diuinum extemplo pectus & ora dedit?
Nil mortale ſapis Laurens, ſed pectore cælum,
Sed cælum lingua, mente, animóque refers.
Cùm referas cælum, cælum tibi præmia fiet:
Tu citò parta tamen præmia ſerò pete,

In Marſilium.

Mores, ingenium, muſas, ſophiamq́; ſupremam
Vis vno dicam nomine? Marſilius.

Ad eundem.

O ego ſi poſſem laqueo ſubducere collum,
Et pedicis vinctos explicuiſſe pedes:
Haud equidem dubitem volucres ſuperare candore.
Quas aluit campis vnda Cayſtra ſuis.
At nunc Phœbeos inter velut anſer olores,

O

Agreſtem rauco gutture fundo ſonum.
Sed facilè expediar Medices, fiamq́; canorus,
Si modò tu dicas, Politiane veni.

In eundem.

Celſa triumphatis Medices Florentia Piſis
Inuidet: vt dominam ſe putet ipſa, redi.

In Gaddium.

Delicias tibi Roma ſuas, Florentia Gaddi
Datq́; ſuas. o quàm delicioſus homo es.

In libellum Elegiarum Naldi poetæ.

Dum celebrat Medicem Naldus, dum laudat amicam,
Et pariter gemino raptus amore canit.
Tam lepidum vnanimes illi ornauere libellum,
Phœbus, Amor, Pallas, Gratia, Muſa, Fides.

In Albieram Siſmundi Stuphæ ſponſam, fato immaturo ereptam.

Viuebam, fato ſum rapta Albiera, coniux
Siſmundus vitam reddidit en iterum:
Nam faciem, & claram cælato marmore formam,
Ingenium, & mores carmine reſtituit.

In eadem.

Viua tibi fueram coniux Albiera ſemper
Cara quidem, nunc ſum mortua cara magis.

In eandem.

Debebam viuens tibi, ſed mage rapta voluptas
Illa fuit: verum hæc proxima relligio eſt.

In eandem.

Morte vna geminam ſum nacta Albiera vitam,
Fama etenim terras, ſpiritus aſtra colit.
Fama olim, nunquam ſed ſpiritus occidet. hæc mî
Vita quidem ſemper viuet, at illa diu.

In eandem.

Quid quereris genitor? viuit tua filia cælo
Albiera: án ne deam progenuiſſe doles?

In Demetrium Cretenſem, & Dionyſium Parauiſinum, Græcorum voluminum impreſſores.

Qui colis Aonidas, Graios quoque volue libellos:
Namque illas genuit Græcia, non Latium.

En Parauiſinus quanta hos Dionyſius arte
Imprimit,en quanto cernitis ingenio.
Te quoque Demetri ponto circunſona Crete
Tanti operis nobis edidit artificem,
Turce quid inſultas?tu Græca volumina perdis,
Hi pariunt:hydræ nunc age colla ſeca.

In puellam morientem.

Quærenti Venerem diu negaſti:
Sed dum mi toties pudet negare,
Tandem occaſio iuſta pernegandi
Inuenta eſt,moreris,vafra es.ſagaxq́;.

Bernardo Bembo Veneto Oratori, viro vndecunque elegantiſſimo.

Vt miſeros quondam nautas Acheloia Siren
In pœnam traxit carmine blandiſono:
Sic Bernarde tuo quemuis ſuccendis amore,
Seu quid mente agitas,ſeu geris,aut loqueris.
Si cauſſam Veneti tutaris Bembe ſenatus,
Mox Pitho in labris ſtat veneranda tuis.
Seria ſi tractas,credam tractare Mineruam:
Si ioca, dat puros gratia nuda ſales:
Carmina ſeu cantas,tibi Muſæ in pectore cantant,
Siue taces,tacito ridet in ore lepos:
Si graderis, placido non dura modeſtia vultu

Eſt comes, & dulcis cum grauitate modus.
Blandus honos veſtem furtim componit, ouansq́;
Te circum plena ludit amor pharetra.
Fronte decor, ſedet ore fides, in pectore candor,
Inq́; tuis omnes ſunt oculis Veneres.
Sic nos deuincis, nec vinctos Bembe relaxas,
Sic te quiſquis adit, mox tua philtra bibit.
Fruſtra ad te florem Cylleni ferret Vlyſſes,
Sed pro te optaſſet linquere vel patriam.

In Panætium.

Tantus amor tuus eſt in me, támque omne Panæti
Exemplum veteris vincis amicitiæ:
Vt tibi collatus iuuenis Phocæus Oreſtem
Oderit, & ſpernat Theſea Pirithous:
Sicanium Piladen credatur fallere Damon,
Vixq́; bonum frenis Caſtora frater amet.
Non tu vnam pro me mortem, ſed mille ſubires,
Pro me Siſyphium non fugeres lapidem.
Nunc ſolum hoc tanto refero mercedis amori,
Quòd me abs te ſolo victum in amore puto.

In Simonettam.

Dum pulcra effertur nigro Simonetta pheretro,
Blandus & exanimi ſpirat in ore lepos,
Nactus Amor tempus quo non ſibi turba caueret,
Iecit ab occluſis mille faces oculis.

Mille animos cepit viuentis imagine riſus,
Ac morti inſultans: eſt mea, dixit, adhuc.
Eſt mea, dixit, adhuc: nondum totam eripis illam:
Illa vel exanimis militat ecce mihi.
Dixit & ingemuit. neq; enim ſatis apta triũphis
Illa puer vidit tempora, ſed lacrymis.

In eandem.

Cùm Simonetta decens media iam morte labaret,
Mors illi quidam iam prope, dixit, adeſt.
Suſtulit illa graues oculos, nec territa dixit:
Hanc animam nobis qui dedit accipiat.
Hactenus & tacuit. repete hic æuũ omne vetuſtas:
Nil par huic animo, quod referatur, habes.

In eandem.

Hic Simonetta iacet, iacet hic ſimul omnis amorũ
Turba, iacent omnes deliciæ & veneres.

In Archeanaſſam, Platonis Epigramma è Græco verſum.

Archeanaſſa mihi meretrix Colophonia nunc eſt,
Cuius & in rugis inſidet acer amor.
Ah miſeri a prima tetigit quos illa iuuenta
Igne ſuo: medij vos rapuere rogi.

Sapphus Epitaphion in Timadem è Græco verſum.

Timades hic puluis, quæ dulces ante Hymenæos.
Excepta eſt nigro Perſephones thalamo.
Illius heu fato cunctæ de vertice amatam
Æquales ferro ſubſecuere comam.

Antipatri in Homerum e Græco verſum.

Troiam canens Homere flammis erutam,
Vrbes graui liuore ſtantes concutis.

Ad Galeottum Principem Fauentinum.

Cur promiſſa tibi tuus poeta
Nondum præſtiterit, rogas? poeta eſt.

In Ptolomæi Geographiam e Græco

Si cælum e terra ſpectes, cælum omne videbis:
Si terram e cælo, penitus tibi terra patebit.
Nunc terram penitus cernis, cælum eſſe putato.

In Herculem & Antæum e Græco.

Incaluere animis dura certare palæſtra
Neptuni quondam filius atque Iouis.

Nec certamen orant operoſo ex ære lebetes,
Sed quod vel vitam, vel ferat interitum.
Occidit Antæus, Ioue natum vincere fas eſt:
Eſtq; magiſtra pales Græcia, non Libya.

In Nioben Lapidem.

Hoc eſt ſepulcrum intus cadauer non habens,
Hoc eſt cadauer & ſepulcrum non habens,
Sed eſt idem cadauer & ſepulcrum ſibi.

In Mabilium Nouatum Inſubrem.

Quòd veſtes oleo geris perunctas,
Mucco & puluere ſordidas Mabili:
Quòd lardum madido fluit capillo,
Pleno furfuribúſque, vermibúſque,
Et cadaueribus pedunculorum:
Quòd fuligine ſcatet atra barba,
Quam rodunt tineæ, pulexq; ſaltans:
Quòd muccoſa tibi ſeges pilorum
Extat naribus vſque pulypoſis,
Qua ſeptem lepores queant latere:
Quòd gingiuáque, buxcique dentes
Sordent Ploxenio, ac putente in ala
Educas olidæ marem capellæ:
Quodq; vnguis ſanie rubet cruenta
Sæpe vt lucifugam putem eſſe blattam,
Cœnæ relliquiáſq; pridianæ

Incrementa manus habent voracis:
His te ex omnibus eſſe quis poetam,
Vatem, fatidicum neget Mabili?
Tales Cæcilios fuiſſe credo,
Plautos, Pacuuiosq́;, Neuióſque,
Aut quiſquis Curium boues ſequentem,
Traxit verſibus vlmeum in theatrum.
Cæli numina quòd negas, deúmque,
Lucreti fuit hoc, & Euripidis.
Pædicas, fuit hoc Maronianum.
Pædicauit Anacreon Bathyllum.
Inſanis, Colophonius poeta es.
Iam iam phthiriaſi ſcaturiente
Semeſus cadis, & foraminatis
Membris, hoc Pherecidæ habes tragœdi.
De cunctis male dicis, hoc poeta es.
Es mendax, leuis, inſolens, ineptus,
Inſulſus, petulans, & his poeta es.
Quid multis moror? es poeta totus,
Poſſum hoc indiciis probare centum.
Quo vulgus negat eſſe te poetam,
Id quiddam eſt minimum, neque adnotandum,
Quòd vexas miſeras ſubinde chartas
Plenis verſibus inficetiarum.

In eundem Mabilium obiicientem Angelo Politiano, quòd neque curtum carmen, neque longum ſciat componere, in quo reſponſo Mabilium ludit, quòd curtum & longum impropriè vſurparit, ſimúlque obiicit quòd antepenultima producta poſuerit Mabili.

Quòd me ſcire negas vel curtum ſcribere carmen,
Vel longum, fateor, ſolus vtrunque facis.
Nil breue, nil mediū eſt, logū eſt, curtúmve Mabili
Quicquid habes, quicquid aut geris, aut loqueris.
Proximus a primo tibi pes eſt tempore curtus,
Quando expediuit inſeris hexametro.
Altera curta tibi ſolea eſt, curtúmque Mabili
Subligar, erumpunt hinc digiti, hinc veretrū.
Si quis fortè tuas ſtudeat componere laudes,
Vno longus erit hic quoque verſiculo.
At ſiquis ſcribat, quot habent tua carmina mēdas,
Conficiet curtas hic vel hic Iliadas.
Quæ ſemper fellat, dicit periuria ſemper,
Longa tibi lingua eſt, hac citò curtus eris.
Quod vacat, eſt lōgum caput, atque enorme Mabili
Iudice vel cerebro, ſi quod ineſt, rogita.
Verùm alia eſt alius ſententia nanque phreneſis
Conqueritur capitis de breuitate tui.
Qui cerebro tenus id lacerant, curtum eſſe fatentur,
Tu quoque mox curto curtus eris capite.
Quanquam id carnifices nondum ſtatuere, ſed ingēs

De te certamen eſt gladio, & crucibus.
Hoc eſt quod vultur, quod coruus geſtit, & eſcam
Te fore vterque ſibi præuidet augurio.
Hoc ſpurci mores, impura hoc vita meretur,
Obſcænóque animus corpore ſordidior.
Quid moror hus? nam ſi prolixum ſingula narrans
In te ego nunc librum ſcripſero, curtus erit.

In Mabilium minitantem nouum ſe fulgur veróſque tonitrus miſſurum.

Quòd fulgur mihi te nouum Mabili
Miſſurum, & tonitrus minere veros,
Nil eſt: nouimus hos neque eſſe fictos,
Nam veros tuus eſſe odor probauit.

In eundem Mabilium.

Si iam carmina noſtra te Mabili
Vrgent ad laqueum miſer, crucémque,
Ne, quæſo, propera mori, tuum ne
Fraudes carnificem ſuo lucello.
Nanque eſt percupidus tui, ac libenter
Is tantum tibi dempſerit laboris.
Qui? noſtin' hominem? negas? at idem eſt
Aurem qui ſecuit tibi ſiniſtram.

In Mabilij inertem maledicentiam.

Ore tibi pauci.ſed nulli in carmine dentes
Cùm ſint,atque illi ſint putridi & veteres:
Allatras,vt cùm nequeas mordere Mabili,
Latratu oſtendas te tamen eſſe canem.

In Mabilium,quòd perturbatus reſpondeat.

Iratus nimium es nobis,ſed iure,Mabili,
Vrgeris noſtris iam,puto,carminibus.
Ipſe iocor tecum ridens,ſed iure,Mabili,
Quis non rideret carmina,quæſo,tua?

In Mabilium reſponſum.

Quòd naſum mihi,quòd reflexa colla
Demens obiicis,eſſe vtrumque noſtrum
Aſſertor veniam vel ipſe:nam me
Nil naſutius eſt,ſagaciúſque,
In te dum liceat vibrare naſum.
Nam quis te rogo ſic inelegantem,
Inſulſum,illepidum videns,ineptum,
Verſus ſcribere prorſus infacetos,
Non centum cupiat ſibi eſſe naſos?
Centum rhinocerotas,atque barros,
Ronchos,auriculas,ciconiasq́;
Cum ſplene & petulantibus cachinnis?

Digitized by Google

Condas te in putidum licet lupanar,
Mergas te in mediis licet cloacis,
Non cedas olida licet latrina,
Quoquò diffugias pauens Mabili,
Noſtrum non poteris latêre naſum.
Prendam te miſer, vtq; trux moloſſus
Frangam dentibus imbecille tergum.
Sed naſus ſupereſt tibi Mabili,
Curtus, dimidiatus, oſſeusq;,
In quo pulypus inſidet, vel ipſe
Quo cimex poſuit ſibi cubile,
Quo tutas culices habent latebras,
Qui iam peruius eſt adusque frontem,
In quo nidificare veſpa poßit,
Qui neutro patet indecens hiatu
Clauſus ſentibus hic quibus: ſed ille
Plenus caßibus eſt araneorum.
Sed quid te cruciat, reflexa colla
Si interdum gero? num parum videtur
Si pronos ſtatuis tuos cinædos?
Si pronum ſtatuent miſer Mabili
Mox te carnificis manus, velut nunc
Pronum te ſtatuunt mùtoniati?
Atqui tu reſupina colla demens
Poſthac deſine iam mihi exprobrare.
Nam qui pronus obambulas popinas,
Spurcatum caput erigas libenter,
Si pondus ſinat herniæ Mabili.

In Violas a Venere ſua dono acceptas.

Molles o violæ Veneris munuſcula noſtræ,
Dulce quibus tanti pignus amoris ineſt.
Quæ vos quæ genuit tellus? quo nectare odoras
Sparſerunt Zephyri, mollis & aura comas?
Vóſne in Acidaliis aluit Venus aurea campis?
Vóſne ſub Idalio pauit Amor nemore?
His ego crediderim citharas ornare corollis
Permeſſi in roſeo margine Pieridas.
Hoc flore ambroſios incingit Flora capillos,
Hoc tegit indociles Gratia blanda ſinus:
Hæc Aurora ſuæ nectit redimicula fronti,
Cùm roſeum verno pandit ab axe diem:
Talibus Heſperidum rutilant violaria gemmis,
Floribus his pictum poſſidet Aura nemus:
His diſtincta pij ludunt per gramina manes,
Hos fœtus vernæ Chloridos herba parit.
Felices nimium violæ, quas carpſerit illa
Dextera, quæ miſerum me mihi ſubripuit,
Quas roſeis digitis formoſo admouerit ori
Illi, vnde in me ſpicula torquet Amor.
Forſitan & vobis hæc illinc gratia venit,
Tantus honor dominæ ſpirat ab ore meæ.
Aſpice lacteolo blanditur vt illa colore,
Aſpice purpureis vt rubet hæc foliis.
Hic color eſt dominæ, roſeo cùm dulce pudore
Pingit lacteolas purpura grata genas.

Quàm dulcem labris, quàm latè ſpirat odorem?
En violæ in vobis ille remanſit odor.
O fortunatæ violæ, mea vita, meúmque
Delicium, o animi portus & aura mei.
A vobis ſaltem violæ grata oſcula carpam,
Vos auida tangam terq; quaterq; manu.
Vos lacrymis ſatiabo meis, quæ mœſta per ora,
Pérque ſinum viui fluminis inſtar eunt.
Combibite has lacrymas, quæ lętæ pabula flammæ
Sæuus amor noſtris exprimit ex oculis.
Viuite perpetuum violæ, nec ſolibus æſtus,
Nec vos mordaci frigore carpat hyems.
Viuite perpetuum miſeri ſolamen amoris
O violæ, o noſtri grata quies animi.
Vos eritis mecum ſemper, vos ſemper amabo,
Torquebor pulcra dum miſer a domina.
Dumq; Cupidineæ carpent mea pectora flammæ,
Dum mecum ſtabunt & lacrymæ, & gemitus.

Ode ad Alexandrum Curteſium adoleſcentem bene literatum, qui vt Politianum videret, Florentiam petierat, cùm ille ſe commodum in Caſaſolanum contuliſſet.

Nil me iam patula iuuat
Sæuo letiferum lumine Syrium
Deuitare ſub ilice,
Exceptum torulo gramineo caput

Bullantem prope riuulum.
Iam ſordet tremulo murmure palpitans,
Illabens aqua calculis.
Longus Dauliados garrula queſtibus,
Iam ſordent auiaria.
Nil blandum eſt oculis, nil placet auribus.
Odi rura, nemus, cauam
Et vallem, & Zephyros, & gelidos ſpecus.
O qui mœnibus inferat
Iam me, o qui medio ſiſtat in atrio
Vrbani cupidum laris
Curteſi, o placido qui locet in ſinu.
Cur mi non teneros datur
Totis verſiculos imbibere auribus
Coràm dulciter aſperos?
Cur dextræ cupidam iungere dexteram?
Tu me dulcis amicule,
Tu viſum propera. o ſæua neceſſitas.
O cur frangere compedes,
Detrectare mihi cur iuga non licet?
Sed quid fundere iam iuuat
Nequicquam ad ſuperos tot querimonias?
Sors cuique eſt ſua, cælitus
Dependens homini, quinetiam Iouem
Vrget dura neceſſitas,
Quod Parcæ annuerint, haud reuocabile eſt.

In poſte cubiculi ſui.

Blanda quies habitet, duri procul eſte labores.

In cu-

In cubiculo pro Iul. Saluiato.

Pectoris interpres, genij domus, hoſpita curis,
Cellula ſum domini conſcia deliciis.
Hic faciet te Iuno patrem, Cytherea maritum,
Libertas regem, ſemideumque ſopor.

E Græco Theocriti.

Pulcra quidem nobis haud primis pulcra videntur.

Ex eodem verſum.

Et vanis in baſiolis iucunda voluptas.

Ex Heſiodo verſum.

Ipſa dies nunc eſt genitrix, nunc ſæua nouerca.

Ex eodem verſum

Conſilio perit ipſe ſuo conſultor iniquus.

In leges, extemporale.

Inuentum Attæi dicuntur iura Draconis:
Vera eſt fama nimis, nil niſi virus habent.

In Theodorum Gazam.

Heu ſacrum caput occubuit Theodorus, & hora
Vna obiere omnes relliquiæ generis.
Nec tamen hoc querimur, nimis eſt potuiſſe videri,
Non etenim hic noſtro tempore dignus honos.

Hoc dolet heu, quòd neutra patri eſt nunc lingua ſuperſtes,
Quæ mittat iuſtas manibus inferias.

In eundem

Cùm terram hinc noſſet Theodorus, & aëra, & vndas:
Iam reſtant, inquit, ſidera, terra vale.

In ſomnos.

O mihi quanta datis fallaces gaudia ſomni:
Inuideo Endymion Latmia ſaxa tibi.
Iam ſi nil ſopor eſt, gelidæ niſi mortis imago,
Omnia mors ſuperat gaudia, vita vale.

Baſſo.

Baſſe licet veterum monimenta reuoluat auorum,
Vix quem fama tibi conferat inueniet.
Omnia nam tibi ſunt, fuerant quæ ſingula priſcis,
Feciſſet triplex qualia vix Erilus.
Tu mittis Lydos æterna in ſæcula faſtos,
Tu conferre audes cum Cicerone manum.
Tu breuibus claudis laſciua epigrammata chartis,
Et tener exiguos ludis amans Elegos.
Idem & Pindaricos gaudes recludere fontes,
Vt Venuſina tibi barbitos aſtupeat.
Ecce Syracuſias tentas inflare cicutas,
Non iam hic in ſiluis Tityrus vnus erit.

Iam chaos antiquum, primámque euoluere molem
Incipis, & grandi protinus ore tonas.
Iam Maro te torua reſpectat fronte, ſecundum
Iam pauet, & ſceptris gloria priſca ſuis.
Vtq; intret biferi ſi virgo roſaria Pæſti,
Quam primo carpat, vix ſciat illa roſam:
Sic tot fama tuæ cernens miracula laudis,
Palmam cui primùm deferat, in dubio eſt.

Eidem.

Carmina cùm Baſſo deberem, carmina miſi,
Rettulit ille meis carmina carminibus,
Qualia ſub denſis volucris nec Daulias vmbris,
Eridani in ripis nec canit albus olor.
Sic ſua cùm Lycio donaſſet ahenea Glauco,
Aurea Tydides rettulit arma domum.

In Argum.

Quid tibi vis gelidos ſeruans vigil Arge liquores,
Quid nitidum ad fontē ferre gradū prohibes?
Obſcœnos hinc pelle ſues, armenta ferasq;:
Non peto membra iſtis fontibus abluere.
Non lymphas turbare paro, da tingere fauces:
Exiguo liceat rore leuare ſitim.
Hoſtibus hoc Langia dedit, potum'q; vetantes
Ruricolæ in nigro gurgite nunc ſaliunt.
Quicquid adeſt æſtas? quicquid ſitis ipſe? volens'q;

Supplicio infelix Tantaleo fueris?
Iſta quidem diues, ſed non eſt vena perennis,
Iam cuſtoditas perbibet æſtus aquas.
Quod ſerues nil poſtmodo erit, quid inepte moraris?
Vnda perit, bibe tu, vel ſine quæſo bibam.

In Lalagen.

Lætior vt ceruus protracto naribus angui
Exuit annoſo cornua cum ſenio:
Aurea Callaicis vt nuper dempta caminis
Lamna repercuſſo dulcius igne tremit.
Pulcrior Eois vt Phoſphorus emicat vndis,
Phoſphorus Idaliæ fax adamata deæ:
Sic mea frigidulo nuper languore ſoluta
Purpureo Lalage fulgurat ore magis.
Aſpice ſidereis vt blandum arridet ocellis,
Vtq; ſub his geminā lampada quaſſat Amor.
Aureoli vt ludunt per lactea colla capilli,
Quantus in explicita fronte ſuperbit honos.
Quàm non mortalem ſe fert? quæ hæc ora manusq;?
O ſuperi: ánne Iouis dignior vlla toro?
Nunc lacrymæ, nunc ipſa iuuant ſuſpiria: ſed tu
Quàm mage formoſa es, tam mage mitis ades.
Omnibus antè aliis, nūc te quoque pulcrior ipſa es,
Deq; auida volucer febre triumphat Amor.
Sed tu ne poſthac per tanta pericula formam
Quæſieris, metam contigit illa ſuam.
Pulcrior eſſe nequis, vel ſi potes, æquius eſt te

Iam Lalage noſtris parcere luminibus.
Vix te, vix talem ferimus: quòd ſi auxeris illam,
Fiam ego, qui nunc ſum nil niſi flamma, cinis.

Ad Laurentium pro Sacerdotio accepto in templo diui Pauli, cùm adhuc ſub iudice lis eſſet.

Gratatur Laurens uenienti nuper in vrbem
Quantum hominum tota viuit in vrbe mihi.
Vtq; omnes taceam ſtudium quos copulat, aut tu,
Quosq; vetus nobis vinxit amicitia.
Caupo, auceps, lanius, piſtor, cocus, inſtitor vrgent,
Hinc me vngit tactu fartor, at inde cocus.
Hic me veſte trahit, hinc baſior, inde ſalutor,
Occurro his vultu, lumine, voce, manu.
Gratamur, Paulum q; habes, vox omnibus hæc eſt:
Non habeo Paulum dico. quid ergo? nihil.

In Floram.

Plectron habet citharæ mea Flora, & plectron amoris:
Hoc mentem plectro percutit, hoc citharam.
Ah miſerum, ſi cui dura eſt: ſi quem aſpicit illa,
Alter is Anchiſes, alter Adonis erit.

In inuidum.

Carpit libellos inuidus meos quidam,

Gibber,puſillus,criſpulus,macer,blæſus,
Meos libellos,meq́;(ſi libet)carpat,
Et calcet, & commingat,hæc feram cuncta:
Dum nec libellos inuidus meos iſte
Gibber,puſillus,criſpulus,macer,blæſus,
Nec me auſit vnquam baſiare.cur?ſollat.

In equum Laurentij Medicis.

Et volucrem, & Zephyros curſu præuertitur ipſos,
Quem tibi miſit equū barbara Laure Nomas.
Ceſſerit huic pauidas ſubmittens Pegaſus alas,
Iamq́; deo parens Cyllarus Oebalidæ.
Hunc aut carceribus,aut meta cernere in ipſa
Laure licet,medio non licet in ſtadio.

Domitij Epitaphion.

Hunc Domiti ſiccis tumulum qui tranſit ocellis,
Vel Phœbo ignarus, vel malè gratus homo eſt.
Intulit hic vatum cæcis pia lumina chartis,
Obſtruſum ad muſas hic patefecit iter.
Hunc Verona tulit docti patria illa Catulli.
Huic letum atque vrnam Roma dedit iuueni.

Donati Acciaioli.

Donatus nomen,patria eſt Florentia,gens mî
Acciaiola domus,clarus eram eloquio.

Francorum ad regem patriæ dum orator abirem,
In ducis Anguigeri mœnibus occubui.
Sic vitam impendi patriæ, quæ me inde relatum
Inter maiorum nunc cineres ſepelit.

Campani.

Ille ego laurigeros cui cinxit & inſula crines
Campanus, Romæ delicium, hic iaceo.
Mi ioca dictarunt Charites, nigro ſale Momus,
Mercurius niueo, tinxit vtroque Venus.
Mi ioca, mi riſus placuit: mihi vterque Cupido:
Si me fles, procul hinc, quæſo, viator abi.

ANGELVS POLITIANVS

Laurentio Medici, patrono ſuo S.

QVa ode Gẽtilem noſtrum nuper ſum conſolatus, eandem quoque ad te mittendam ſtatui. Viſa eſt enim mihi res, quæ non minus ad te quàm ad eum, atque ad me ipſum pertineret. Omnia collegi, quæ communem hunc noſtrum dolorem, etſi minus tollere, leuare proculdubio aliqua ex parte poſſint. Tu cùm tot videas tuæ ſaluti tam diligenter inuigilare, potes admoneri, quàm tibi neceſſe ſit, magni te ipſum facere: neque tuam, hoc eſt, publicã totius (ita me Deus amet) Italiæ ſalutem neglectam pati. Lege, & vale.

AD GENTILEM EPIſcopum, Ode dicolos.

Gentiles animi maxima pars mei
Communi nimium ſorte quid angeris?
Quid curis animum lugubribus teris,
Et me diſcrucias ſimul?
Paßi digna quidem perpetuo ſumus
Luctu, qui medius (heu miſeri) ſacris
Illum, illum iuuenem vidimus, o nefas,
Stratum ſacrilega manu.
At ſunt attonito quæ dare pectori
Solamen valeant plurima: nam ſuper
Eſt, qui vel gremio creuerit in tuo
Laurens Etruriæ caput.
Laurens quem patriæ cælicolùm pater
Tutum terrifica Gorgone præſtitit.
Quem Tuſcus pariter, quem Venetus leo
Seruant, & draco peruigil.
Illi bellipotens excubat Hercules,
Illi fatiferis militat arcubus,
Illi mittit equos Francia Martios,
Felix Francia regibus.
Circunſtant populus murmure diſſono:
Circunſtant iuuenem purpurei patres:
Cauſſa vincimus & robore militum.

Hac ſtat Iuppiter, hac fauet.
Quare o, cum miſera quid tibi Nænia,
Si nil proficimus? quin potius grauis
Abſterſiſſe bono letitiæ die
Audes nubila pectoris.
Nam tunc cùm gelidos vmbra reliquerit
Artus, non dolor hanc perpetuus retrò,
Mordacésve trahent ſollicitudines,
Mentis curaq; peruicax.

In Amicam.

Allicis, expellis, ſequeris, ſugis, es pia, & es trux:
Me vis, me non vis, me crucias, & amas.
Promittis, promiſſa negas, ſpem mi eripis, & das:
Iamiam ego vel ſortem Tantale malo tuam.
Durum ferre ſitim circùm ſalientibus vndis,
Durius in medio nectare ferre ſitim.

In Domitium Scazon.

Aſta viator, puluerem vides ſacrum,
Quem verticoſi turbat vnda Benaci.
Hoc mutat ipſum ſæpe muſa Libethron,
Fontemq; Siſyphi, ac vireta Permeſſi.
Quippe hoc Domitius vagiit ſolo primùm,
Ille ille doctus, ille quem probè noſti
Dictata dantem Romulæ iuuentuti,
Mira eruentem ſenſa de penu vatum.

Abi viator, ſat tuis oculis debes.

Ad Franciſcum Diſtichon.

Scripſit in inuidiam quidam Franciſce poeta,
Tam bene, tam doctè, nullus vt inuideat.

In Amorem Arantem, ex Græco Moſchi.

Peram humeris habilem, poſito nunc induit arcu,
Et poſita baculum lampade ſumpſit Amor.
Subq́; iugum miſſos ſtimulo citat ecce iuuencos
Improbus, & cultæ ſemina mandat humo:
Suſpiciensq́; polos, imple, inquit, Iuppiter arua,
Ne cogam Europæ te iuga ferre bouem.

Innocentio Pont. Max.

Si quod arcanis Helicon ſub vmbris
Carmen intactum fidibus priorum
Parturit, ſaxis iterum audiendum
Arboribúſque,
Quale nec triplex Achelois auſa eſt
Cautibus virgo reſidens marinis,
Nec puer Phœbi Ciconum remoto
Dicere in antro.
Illud attritas repetita chordas
Barbitos docto moduletur arcu,

Dulcis interpres animi, piæq;
Conſcia mentis.
Namque te rerum caput Innocenti
Turpe vulgato ceciniſſe plectro eſt,
Cuius aurata triplices refulgent
Fronte coronæ.
Roma cui paret, dominúſque Tibris,
Qui vicem ſummi geris hic tonantis,
Qui potes magnum reſerare, & idem
Claudere cælum.
Blanda cui vultu grauitas ſereno
Ridet, inuiſos abigitque faſtus,
Mitis, & celſi radios poteſtas
Temperat oris.
Sponte ſublatos verecunda faſces
Deprimit virtus, apicata triſti
Nube maieſtas caret, & decoro eſt
Splendida cultu,
Ergo formoſam redit in iuuentam,
Seq; iam lætos parat ad triumphos
Roma, ſeptenos hilarata colles
Præſide tanto.
Vrbsq; quæ Phryxi ſpeculatur vndas,
Exuet ſæuas properè catenas,
Ac ſuas nobis opulenta palmas
Mittet Idume.
Quippe concordes animos, manusq;
Deuouent reges tibi, ſeq; ad arma
Concitat, Turci ſiticus cruoris

Veſper & Arctos.
Scilicet tales meditatus annos
Iuppiter feſſo comes it parenti,
Quò tibi felix ſimul atque fauſtum
Prorogct æuum.

In fontem Vngari Regis.

Vſque Fluentina vectum eſt hoc marmor ab vrbe,
Matthiæ vt regi largior vnda fluat.

In eundem.

Tuſca manus, Tuſcũ marmor, rex Vngarus autor,
Aureus hoc Iſter ſurgere fonte velit.

In Ciccham Senenſem.

Mnemoſyne audito Senenſis carmine Cicchæ,
Quando, inquit, decima eſt nata puella mihi?

In fontem Laurentij Medicis Ambram.

Vt furtiua ſuo furtim daret oſcula lauro,
Ipſa ſibi occultas repperit Ambra vias.

In eundem.

Traxit amatrices hæc vſque ad limina nymphas,
Dum iactat laurum ſæpius Ambra ſuum.

Ad Laurentium Medicem iuniorem epiſtola penè extemporanea.

Quæ petis omniſera Laurenti dulcis ab Ambra
Carmina, præpoſita mitto ſalute tibi.
Ille domi veſtræ tenero nutritus ab vngui:
Sed tuus ante omnes Politianus Amor.
Si quid agam quæris: valeo, rurisq; benigni
Seceſſu gaudens otia lenta tero.
Et modò paſcentes ſpeculor de colle iuuencas,
Nunc repeto ductus proſilientis aquæ:
Iactáque magnificæ miror fundamina villæ,
Sæpe fruor ſtudio, verſiculiſque meis:
Aut ego florentem moneo, ne ceſſet, alumnum,
Ardua Pieridum per iuga ferre gradus:
Aut varias cantu procul alliciente volucres
Captamus, viridi tectus vterque caſa:
Te tamen abſentem mea mens, oculique requirũt,
Et deſiderio torqueor vſque tui.
Nam puerum iuuenis (potes hoc meminiſſe) colebã,
Qui nunc te iuuenem vir quoque factus amo.
Indolis iſtius iam tum præſagia vidi,
Scilicet & vatem vera monebat auis.
Viderat hæc eadem, pueri cognomine gaudens,
Publica res vno quo ſtabilita manet:
Cùm ſibi te comitem lugubria patris habentem,
Seu pede ducebat, ſiue iter eſſet equo:
Exemploq; ſui ſtudium probitatis alebat,
Ne labes annos tangeret vlla rudes.

Ergo a ſe factis fruitur quoque moribus autor,
Iudicioq́; ſibi iam placet ipſe ſuo.
Quare aut pontificem magnus de rebus adire,
Atque galeritos te iubet ille patres.
Aut ſua dat Gallo regi mandata referre,
Imponitque humeris pondera tanta tuis.
Nam tibi nec grauitas, nec amicæ gratia frontis,
Nec deeſt proceri verticis altus honor:
Ingeniumq́; capax, & par ciuilibus actis,
Quæq́; animi largas lingua miniſtret opes.
Iudice cùm facias & Apolline carmina primus,
Prima fauore tamen noſtra Thalia tuo eſt.
Vtq́; liguſtra nouo ſuperas candore, niuemq́;
Præfers carminibus carmina noſtra tuis.
Néve meæ pereant cura eſt tua maxima nugæ,
Cogis & inuito me patre ferre diem.
Néve nihil ſcribam, blandè noua carmina poſcis,
Officioq́; foues qualiacunque pio.
Et non quæ magnum longè teſtentur Amorem,
Scripta repentino fuſa calore damus:
Non vt ab his noſtram cenſeri debeat orſis
Ingenium ſumma deficiente manu:
Sed tamen vt ſtudium vatis tibi conſtet amici,
Lapſa putes animo nec tua dicta meo.

Em tibi quam flagitabas elegiam, penè illam quidem extemporaneam, ſiquidem manè dum ſe rei diuinæ ſacerdos parat inchoatam, abſolui dein poſt meridiem dum rediens carrucæ adequito. Quod etiam vnum ſtylus quoque ipſe ſatis ſupérque probabit. Vale dulce decus meum.

ODE.

Iam cornu grauidus præcipitem parat
Afflatus, ſubitus frigoribus fugam
Autumnus pater, & deciduas ſinu
Frondes excipit arborum.
Cantant emeritis Bacche laboribus
Te nunc agricolæ, ſed malè ſobrios
Ventoſæ querulo murmure tibiæ
Saltatu ſubigunt frui.
Nos anni rediens orbita ſub iugum
Muſarum reuocat dulce ferentibus,
Porrectisq; monent ſidera noctibus
Carpamus volucrem diem.
I mecum docilis turba biuerticis
Parnaſſi rapidis per iuga paſſibus,
Expers quò ſeniq; nos vocat, & rogi
Conſors gloria cælitum.
Nam me ſeu comitem, ſeu iuuenes ducem
Malitis, venio: nec labor auferet
Quærentem tetricæ difficili gradu
Virtutis penetralia.

In

In quendam.

Hunc quem videtis ire faſtoſo gradu
Seruu tumentem publicus,
Vel hinniente per forum vehi capax
Equo, quod omnes deſpuant:
Turbam ſuperbo præterit faſtidio
Qui ciuium ſtomachantium,
Grauiq; cunctos ora torquentes retrò
Deſpectat inſolentia:
Intraq; tutum mœnibus pomerium
Agros patentes poſsidet,
Villámque diues publico peculio
Inſanus vrbanam ſtruit,
Vbi otietur inter obſcœnas lupas,
Ne turpiora dixerim:
Vbi ampla pergræcetur inter pocula,
Senex podagra rancidus.
Hunc vos putatis ſtirpe forſan indyta,
Virtutis aut inſignibus
Ad hoc volaſſe protinus faſtigium.
Falſum putatis hoſpites.
Molas hic inter natus eſt aquaticas.
Nigris ſodalem muribus
Fortuna ludens furfuris plenum tulit
Ad vſque ſupremos gradus,
Monſtrare gaudens, arroget quantum ſibi
Mortalis impudentia,

Ergo iſte tantis arduus ſuffraugiis
Nunc immemor natalium,
Vt quemque longo ſtemmate clarum videt,
Aut dote rara nobilem,
Triſti veneno ſpargit, & rodit ſtatim
Rubiginoſis dentibus,
Non ipſe ſe, fortuna non ipſum capit
Auræ fauoris ebrium:
Sic culmen altum lubrico premens pede,
Ventiſq; turbidis patens,
Caſurus vſque nutat, & iamiam cadet,
Sed non gradatim ſcilicet.

In inuidum, carmen.

Quiſquis es obſcuro vatem qui dente laceſsis
Maiorem triſti degener inuidia,
Vſque late, lucemq́ paue, blattarius autor,
Liuidior Græcis, barbariorq; tuis.
Quosq; fames opicis ad nos emiſit Athenis,
Hos audi, gens eſt auribus apta Midæ.

De Angeli puella.

Puella delicatior
Lepuſculo & cuniculo,
Cæaq; tela mollior,
Anſerculique plumula.
Puella qua laſciuior

Nec vernus eſt paſſerculus,
Nec virginis blandè ſinu
Sciurus vſque luſitans.
Puella longè dulcior
Quàm mel ſit Hyblæ, aut ſaccarum,
Ceu lac coactum candida,
Vel lilium, vel prima nix.
Puella cuius non comas
Lyæus æquaret puer,
Non paſtor ille Amphryſius
Amore mercenarius,
Comas decenter pendulas,
Vtroque frontis margine,
Nodis decenter aureis
Nexas, decenter pinnulis
Ludentium Cupidinum
Subuentilantibus vagas,
Quas mille criſpant anuli,
Quas ros, odorq; myrrheus
Commendat atque recreat.
Puella cuius duplices
Sub fronte amica fulgurant
Amoris arcani faces,
Quas contueri non queo,
Nec ſtare contrà, vel procul,
Quin occuper flamma graui
Miſer miſer, quæ mollibus
Furtim medullis adſilit.
Non non ocellus hoſpites

Ille eſt, & ille, ſed faces,
Faces Amoris igneæ:
Quas læta ſuſcitat Venus:
Quas blanda paſcit Gratia.
Quid narium dulcem modum,
Vel quid genarum leuium
Dicam roſam cum lilio?
Labella quid corallus
Rubore prænitentia,
Tam ſæpe, tam longum mihi
Mordente preſſa baſio?
Quid margaritas dentium
Præcandidorum proloquar?
Linguamq; perplexabilem,
Vtcunque iuncto anhelitu,
Amanti amantem copulans
Feſtinat ad calcem Venus,
Cum ſuauè olentem ſpiritum
Semihula ſugunt oſcula,
Lenocinante gaudio
Subinde murmurantia,
Mentúmve quid tornatile?
Gulámque teretem, & lacteam
Et quæ lacertis millies,
Vt arbor edera incingitur,
Incincta ceruix eſt meis.
Nam quæ tibi mamillulæ
Stant floridæ, & protuberant
Sororiantes primulum,

Ceu mala punica arduæ
Quas ore toto preſſeram,
Manúque contrectaueram,
Quem non amore allexerint?
Cui non aſilum immiſerint?
Quem non furore incenderint?
O qui lacerti, quæ manus?
Quos Iuno, quas Aurora habet.
O quale pectus, & latus,
O venter, o crus, o femur,
O qui Thetim decent pedes:
Pedes choreis nobiles,
Saltatibus mirabiles,
Statu, gradu ſpectabiles.
O verba iucundiſsima,
Tam nequiter ludentia,
Arguta, plena aculeis,
Decore, ſuauitudine,
Dicacitate, gratia.
O carminum dulces notæ,
Quas ore pulcra melleo
Fundis, lyræq́; ſuccinis:
Vt non Thalia blandius,
Non ipſe Apollo doctius
Feras canendo mulceant.
Fluenta vertant in caput,
Et ſaxa cum ſiluis trahant,
O cuncta ſalſa, & dulcia,
Feſtiua, læta, & mollia,

Referta amœnitatibus,
Amoribus, lubentia,
Proteruitate, luſibus,
Riſu, ioco, leporibus.
O quicquid eſt pulcrum & decet
Puella ſola continens.
O! præpotens cultu nimis,
Nimiſque non culta placens,
Quis te deus mihi inuidet?
Quæ te mihi ſors eripit?
Quò te repentè proripis?
Quò, quò fugis belliſſima,
Riſu ſerenans æthera,
Heu mea voluptas, mel meum,
Meum puella corculum,
Mihíque longè carior
Auro, lapillis, purpura:
Ac nec lapillis carior,
Auróque ſolum, & purpura,
Sed ſpiritu mî carior,
Sed carior mi ſanguine.
Memento tu tamen, precor,
Memento formoſiſſima
Amoris, atque compedum,
Quas a tenellis vnguibus,
Mecum tibi circundedit,
Heu lacrymis amantium heu
Suſpiriis ridens Venus.

De ſeipſo ſemper amante.

Sex ego cùm plena perago trieteride luſtra,
Nec placet in ſpeculo iam mea forma mihi:
Nec reſponſurum ſpes improba fingit amorem,
Blanditiiſq; leuem ſuſpicor eſſe fidem:
Cùm tamen hæc ita ſint, capior miſer illice vultu.
Et nunquam a dura compede ſoluor amans,
Iamiam militia noſtræ contenta iuuentæ
Deſinat, aut ceſton commodet alma Venus.

De Alcone & ſerpente.

Vidit vt implicitum puero pater anxius anguem,
Intendit dubia cornua flexa manu:
Inq; feræ fauces calamum ſic torſit, vt audax
Terruerit natum non minus angue ſenex.
Sed nunquam pius errat amor: puer hoſte perempto
Saluus erat, ſtupuit morte dirempta ſalus.
Victor ab hac pharetram quercu ſuſpendit, & arcũ
Fortunæ, atque artis quæ monumenta ſuæ.

In puellam.

Nix ipſa es virgo, & niue ludis, lude, ſed antè
Quàm pereat candor, fac rigor vt pereat.

Ad Fures.

Ite aliò fures, nulla hîc occaſio lucri:
Nam fida eſt cuſtos addita pauperies.

Ad Hirundinem nidificantem ſub Medeæ ſtatua.

Medeæ ſtatua eſt miſella hirundo,
Sub qua nidificas, tuos ne credas
Huic natos rogo, quæ ſuos necauit.

De lectulo meretricio, e Lucretio.

Vnius effugi torum,
Vt omnium fierem torus.

De lauro ſecuri cæſa.

Cùm Mars Daphne ſe miſcuit,
Apollo tunc vbi fuit?

Diſtichon.

Spem ſimul & Nemeſin poſita dicat Eunus in ara,
Scilicet vt ſperes omnia nil habeas.

In oleam vitibus implicatam.

Quid me implicatis palmites
Plantam Mineruæ, non Bromi?
Procul racemos tollite,
Ne virgo dicar ebria.

Epitaphium.

Stirpe ſui, forma, natoq́; opibúſque, viróque
Felix, ingenio, moribus, atque animo:
Sed cùm alter partus iã nuptæ ageretur, & annus,
Heu nondum nata cum ſobole interij.
Triſtius vt caderem, tantùm mihi Parca bonorum
Oſtendit potius perfida, quàm tribuit.

Ioannæ Albiçræ vxori incomparabili,
Laurentius Tornabonus,
poſ. B. M.

In fonte Baptiſmatis Florentiæ.

Quicquid ab antiqua manauit origine morbi,
Purgabunt iſtæ (ſi modò credis) aquæ.

In Michaelem Verinum.

Verinus Michael florentibus occidit annis,
Moribus ambiguum maior, an ingenio.
Diſticha compoſuit doćto miranda parenti,

Quæ claudunt gyro grandia ſenſa breui.
Sola Venus poterat lento ſuccurrere morbo,
Ne ſe pollueret, maluit ille mori.
Sic iacet, heu patri dolor, & decus, vnde iuuentus
Exemplum, vates materiam capiant.

In Daphnen.

Complexus virides frondoſæ virginis artus,
Sic quoque mutata, dixit Apollo, fruar.
Vtq; nouas guſtu baccas tentauit, eandem
Hei mihi ſeruat, ait, nunc quoque amaritiem.

Præfatio in Menæchmos Plauti.

Heus heus tacete ſultis vos, ego vt loquar,
Nam noſtra conducta eſt huc lingua, veſtri oculi
Vos ſpectare decet, nos lòqui & fabulam agere,
Alioqui capite ipſi hunc ornatum ſcenicum,
Atque exporgite lumbos, tum nos ſeſſum ibimus.
Sſpectabimusq; nos taciti, aut ridebimus:
Aut ſi actio frigebit, dormitabimus.
Comœdiam Menæchmos acturi ſumus
Lepidam, & iocoſam, & elegantem, vt nihil ſuprà:
Sed mendoſa alicubi tamen culpa temporum
Ingerunt in ea nonnulla, ne nobis quidem
Satis intellecta, ſed hæc erunt pauca admodum,
Quæ ſi minus placebunt auribus, expuite,
Aut deuorate ceu ſoletis catapotia.

Romanus eſt hic ſermo, Romani ſales,
Nihil inuenuſtum, aut ineptum, aut Græculum,
Quale ſolent nugari molitores cæteri,
Quorum nec vllis verſibus comœdiæ,
Nec argumento conſtant perplexabili,
Nec quicquam habent comœdiæ præter titulos,
Non ipſæ ſecum congruunt, nec adeſt fides
Rebus agundis, ac nec perſonis indoles,
Tantumq́; ſi quid furtiuum eſt in eis, placet:
Quippe alienis inſidiantur laboribus.
Faciant profectò maiora operæprecia nunc
Longè adoleſcentes iſti, ſiquidem inſueuerint
Puro ſermoni Romæ vrbis vernaculo,
Quàm ſi magiſtris freti triuialibus,
Linguas tenellas polluant ſtribligine.
Siquidem ita traditum eſt a laudatis viris:
Latinè vellent etiam ſi Muſæ loqui,
Nullis vſuras niſi Plautinis vocibus.
Quòd ſi qui clamitent, nos facere hiſtrionicam:
Atque id reprehendant, minimè diffitebimur,
Dum nos ſciant diſciplinam antiquam ſequi.
Etenim formandos comœdo veteres dabant
Pueros ingenuos, actionem vt diſcerent.
Sed qui nos damnant, hiſtriones ſunt maxumi,
Nam Curios ſimulant, viuunt bacchanalia.
Hi ſunt præcipuè quidam clamoſi, leues,
Cucullati, lignipedes, cincti funibus,
Superciliosum, incuruicerùicum pecus,
Qui quòd ab aliis habitu & cultu diſſentiunt,

Triſteſq; vultu vendunt ſanctimonias,
Cenſuram ſibi quandam & tyrannidem occupant:
Pauidámque plebem territant minaciis.
Sed iam valete ſpectatores, & gregi
Fauete noſtro, vobis quod vortat bene.
Recitata Florentiæ.

In Anum.

Huc, huc iambi arripite mi iam mordicus
Anum hanc furenti percitam libidine,
Tetiginoſam, catullientem, ſpurcidam,
Grauedinoſam, victam, olentem, rancidam,
Cadaueroſam, fronte rugoſa, coma
Cana, atque rara, depilatis palpebris,
Glabro ſupercilio, labellis defluentibus,
Oculis rubentibus, genis lacrymantibus,
Edentulamq; (ni duo nigri & ſordidi
Dentes ſuperſint) auriculis exſanguibus
Flacciſq;, mucco naribus ſtillantibus,
Rictu ſaliua vndante, tetro anhelitu,
Mammis ſenecta putridis, prægrandibus,
Araneoſis, deciduis, inanibus:
Laxóque ventre, diſſipato & fiſſili:
Cunno vlceroſo, verminante podice,
Natibuſq; macris, aridis, & oſſeis:
Vtroque ſicco crure, vtroque brachio,
Talo, genuq; vtroque procul extantibus,
Calcaneóque pernionibus graui:

t nil ſit aſpernabilius, nil tetrius
Ionſtroſiusq;, aut nauſeabundum magis.
Quam piſtor olim, caupo, calo, baiulus,
t inſtitores, & lanius, & carnifex,
t muliones permoliebant, & coci,
eu proſtitutam ſellulariam meram.
Nunc nemo iam vult viſere, nemo colloqui:
aſtidit, vnuſquiſque, & habet ludibrio
Inum ſubante perditam prurigine:
ed audet impudens tamen, audet impudens,
rocax, proterua: nec iam anus, ſed mortua:
tcunque prurit (prurit autem iugiter)
poſtulare, vt comprimam, ſibi vt arrigam:
Quaſi ipſe verres, quaſi aſinus ſim, vel canis.
Ibi hinc, abi anus in maximam malam crucem:
Ibi ſceleſta, obſcœna, ſiue vera anus,
eu terriculum es, ſeu larua buſtuaria.
Iam ſi optio mi detur, ædepol magis
crofam futuam quam te, vel aſinam, vel canem.

Angeli Politiani in diuam virginem
hymnus: numeris lege ſolutis.

virgo prudentiſsima
Quam cælo miſſus Gabriel
Supremi regis nuntius
Plenam teſtatur gratia.
Cuius deuota humilitas
Gemmis ornata fulgidis

Fidentis conſcientiæ
Amore deum rapuit.
Te ſponſam factor omnium
Te matrem dei filius
Te vocat habitaculum
Suum beatus ſpiritus.
Per te de tetro carcere
Antiqui patres exeunt:
Per te nobis aſtriferæ
Panduntur aulæ limina.
Tu ſtellis comam cingeris,
Tu lunam premis pedibus,
Te ſole amictam candido
Chori ſtupent angelici.
Tu ſtella maris diceris,
Quæ nobis inter ſcopulos,
Inter obſcuros turbines
Portum ſalutis indicas.
Audi virgo puerpera
Et ſola mater integra,
Audi precantes quæſumus
Tuos Maria ſeruulos.
Repelle mentis tenebras:
Dirumpe cordis glaciem,
Nos ſub tuum præſidium
Confugientes protege.
Da nobis in propoſito
Sancto perſeuerantiam,
Ne noſter aduerſarius

In te ſperantes ſuperet:
Sed & cunctis fidelibus,
Qui tuum templum viſitant,
Benigna mater dexteram
Da cæleſtis auxilij. Amen.

Alius Hymnus eiuſdem.

Ecce ancilla domini,
Quam pater ipſe omnipotens
Elegit ante ſæcula
Quietum tabernaculum.
Ecce cui ſacras nuptias
Fortis indixit angelus:
Ecce quam ſanctus ſpiritus
Alto repleuit numine.
Ecce virgo concipiens
Intacta dei genitrix,
Ecce Ieſſea virgula,
De qua flos pulcer emicat.
Huc huc omnes accurrite
Emanuelem viſere,
Quem iacentem præſepio
Bos adorant & aſinus.
Cuius natali iubilant
Celſi regis exercitus,
Et magnum nocte gaudium
Adnunciant paſtoribus.
Videte ſtellam preuiam

Sanctis Eois regibus,
Qui vagienti domino
Aurum, myrram, tus offerunt.
Cu iam tenellum ſanguinem
Fundit ex lege veteri,
Dum Symeonis gremio,
Deſideratus incubat.
Videte matrem virginem
Herodis metu pauidam,
Latentem cum filiolo
Aegypti regionibus.
Cernite mox ſollicitam,
Cùm puer templo diſputat:
Cernite rurſus hilarem,
Dum ſacras replet hydrias.
Spectate miſerabilem,
De cruce nati pendulam,
Commendatam diſcipulo,
Cor ſæuo fixam gladio.
Videte tandem radiis
Magna vincentem ſidera,
Vndantem plena gratia,
Splendentem clara gloria.
Regina cæli maxima,
Sanctiſsima, pulcerrima,
Suſtenta tuos ſeruulos,
Defende tuum populum. Amen.

Herodianus

Herodianus Latinitate a Politiano donatus in laudem traductoris ſui canit hendecaſyllabum.

Qui me tranſpoſuit Politianus,
Verbis omnia reddidit Latinis,
Pulcro ſenſa reueſtiens nitore:
Mirum, tranſtulit Atticos lepôres
Contextu, numeróque blandiori.
Romanus (iuuat hoc) recens amictus
Concinna ſpeciem ferens ab arte,
Nobis conciliat patentiori
Gentes quæ Latium ſonant in orbe,
Vt poſthac mihi latius vagari,
In plures liceat manus venire.
Felix hiſtoriæ fides renatæ,
Felix exoriente luce tanta
Olim publica res Latina ſurget.
Iam debes ſtudioſa turba plauſus:
Laudis munere gratiam referto.
Aeger deſinat vtiles malignis
Liuor carpere dentibus labores.

Epitaphion Iocti Pictoris.

Ille ego ſum, per quam pictura extincta reuixit,
Cui quàm recta manus, tam fuit & facilis.
Naturæ deerat, noſtræ quod defuit arti,

Plus licuit nulli pingere, nec melius.
Miraris turrem egregio ſacro ære ſonantem,
Hæc quoque de modulo creuit ad aſtra meo.
Denique ſum Ioctus, quid opus fuit illa referre?
Hoc nomen longi carminis inſtar erat.

OB. AN. M.CCCXXXVI. CIVES POS. B. M. M.CCCCXC. FLORENTIAE IN TEMPLO DIVAE REPARATAE.

Monodia in Laurentium Medicem, intonata per Arrighum Iſac.

Quis dabit capiti meo
Aquam? quis oculis meis
Fontem lacrymarum dabit?
Vt nocte fleam,
Vt luce fleam.
Sic turtur viduus ſolet,
Sic cygnus moriens ſolet,
Sic luſcinia conqueri.
Heu miſer, miſer,
O dolor, dolor.
Laurus impetu fulminis,
Illa illa iacet ſubitò,
Laurus omnium celebris
Muſarum choris,
Nympharum choris.

Sub cuius patula coma
Et Phœbi lyra blandius,
Et vox dulcius inſonat.
Nunc muta omnia,
Nunc ſurda omnia.
Quis dabit capiti meo
Aquam? quis oculis meis
Fontem lacrymarum dabit?
Vt nocte fleam,
Vt luce fleam,
Sic turtur viduus ſolet,
Sic cygnus moriens ſolet,
Sic luſcinia conqueri.
Heu miſer, miſer,
O dolor, dolor.

Amor Fugitiuus e Græco Moſchi.

Cùm Venus intento natum clamore vocaret,
Si quiſquam in triuiis errantem vidit Amorem:
Hic fugitiuus, ait, meus eſt: pretium feret index
Baſiolum Veneris: quòd ſi ad me duxeris illum,
Non ſimplex dabo baſiolum, plus hoſpes habebis.
Inſignis puer eſt, at totam agnoſce figuram:
Corpore non niueus, verùm ignem imitatur, ocelli
Acres, flammeoli, mala mens, ſuauiſſima verba.
Quod loquitur non ſentit idẽ: vox mellea, ſed cùm
Ira inflammatur, tum mens illi effera, ſallax,
Fraudator, mendax, ludit crudele puellus.

Criſpulus eſt olli vertex, facieſq; proterua,
Exiguæq; manus: procul autem ſpicula torquet,
Torquet in vmbriferúmque Acheronta, & regna ſilentum.
Membra quidem nudus, mentem velatus, auiſq;
More citans pennas, nunc hos, nunc aduolat illos,
Sæpe viri preſſans præcordia, ſæpe puellæ.
Arcũ habet exiguũ, ſuper arcu impoſta ſagitta eſt.
Parua ſagitta quidem, ſed cælum fertur adusq;:
Parua pharetra olli dependet & aurea tergo:
Sunt & amari intus calami, quibus ille proteruus
Me quoque ſæpe ferit matrem, ſunt omnia ſæua,
Omnia, ſeq; ipſum multò quoque ſæuius angit.
Paruula fax olli, ſed & ipſum Hyperiona vincit.
Verbere, ſi prendes age, ne miſerare puellum.
Si flentem aſpicies, ne mox fallare caueto:
Sin arridebit magis attrahe, & oſcula ſi fors
Ferre volet fugito, ſunt noxia & oſcula, in ipſis
Suntq; venena labris: ſi fors ita dixerit, heu tu
Accipe, nempe tibi cuncta hæc mea largior arma:
Ne quicquam attigeris, fallacia munera Amoris:
Omnia namque igni ſunt infecta illius arma.

In laudem Cardinalis Mantuani.

O meos longum modulata luſus,
Quos amor primam docuit iuuentam,
Flecte nunc mecum numeros, nouumq;
Dic lyra carmen.

n quod hirſutos agat huc leones,
d quod & frontem domini ſerenet,
leuet curas, penitusq; doctas
Mulceat aures.
ndicat noſtros ſibi iure cantus
ui colit vates citharamq; princeps,
e cui ſacro rutilus refulget
Crine galerus.
e cui flagrans triplici corona
inget auratam diadema frontem,
allor? an vati bonus hæc canenti
Dictat Apollo?
hœbe quæ dictas, rata fac, precamur,
ignus eſt noſtræ dominus Thaliæ,
ui celer verſa fluat Hermus vni
Aureus vrna.
Cui tuas mittat Cytherea conchas
Conſcius ſibi Phaëthontis Indus,
pſa cui diues properet beatum
Copia cornu.
Quippe non gazam pauidus repoſtam
Seruat Aeæo ſimilis draconi,
Sed vigil famam ſecat, ac perenni
Imminet æuo.
Ipſa Phœbeæ vacat aula turbæ
Dulcior blandis Heliconis vmbris,
Et vocans doctos, patet ampla toto
Ianua poſte.
Sic refert magnæ titulis ſuperbum

Stemma Gonzagæ recidiua virtus,
Gaudet & faſtos ſuperare auitos
Aemulus heres.
Scilicet ſtirpem generoſa ſucco
Poma commendant, timidumq́; numquam
Vulturem fœto Iouis acer ales
Extudit ouo.
Curre iam toto violentus amne
O ſacris Minci celebrate Muſis,
Ecce Mæcenas tibi nunc, Maroq́;
Contigit vni.
Iamq́; vicinas tibi ſubdat vndas
Vel Padus multo reſonans olore,
Quamlibet flentes animoſus alnos
Aſtraq́; iactet.
Candidas ergo volucres notarat
Mantuam condens Tiberinus Ocnus,
Nempe quem parcæ docuit benignæ
Conſcia mater.

DE IACOBO SADOLETO, Epiſcopo Carpentoractenſi.

olſa velut teneri, ſancti vt Corteſius oris,
Tertius es Mutinæ tu Sadolete nitor.
ertius haud tamen ipſe gradu, nec tempore: quãdo
Vos ſtudiis ætas vna eademq; dedit:
lorumq; licet neutrum Mutina ipſa tuliſſet,
Ampla ſatis patriæ cauſſa nitoris eras.

Io. Ma. Toſcanus.

IACOBI SADOLETI EPIS.
CARPENTORACT.

De Laocoontis ſtatua.

ECce alto terræ e cumulo ingentisq; ruinæ
Viſceribus iterum reducem longinqua reduxit
Laoconta dies: aulis regalibus olim
Qui ſtetit, atque tuos ornabat, Tite, penates.
Diuinæ ſimulacrum artis: nec docta vetuſtas
Nobilius ſpectabat opus, nunc alta reuiſit
Exemptum tenebris rediuiuæ mœnia Romæ.
Quid primũ ſummúmve loquar? miſerũne parentē
Et prolem geminam? an ſinuatos flexibus angues
Terribili aſpectu? caudasq;, irasq; draconum,
Vulneraq;, & veros, ſaxo moriente, dolores?
Horret ad hæc animus, mutáque ab imagine pulſat
Pectora non paruo pietas commixta tremori.
Prolixum viui ſpiris glomerantur in orbem
Ardentes colubri, & ſinuoſis orbibus oram,
Ternáque multiplici conſtringunt corpora nexu.
Vix oculi ſufferre valent crudele tuendo
Exitium, caſusq; feros: micat alter, & ipſum
Laocoonta petit, totumq; infraq;, ſupraq;
Implicat, & rabido tandem ferit ilia morſu.
Connexum refugit corpus, torquentia ſeſe

Membra, latuſq; retrò ſinuatum a vulnere cernas.
Ille dolore acri, & laniatu impulſus acerbo
Dat gemitum ingentem, crudóſque auellere dentes
Connixus, læuam impatiens ad terga chelydri
Obiicit: intendunt nerui, collectáque ab omni
Corpore vis fruſtra ſummis conatibus inſtat.
Ferre nequit rabiē, & de vulnere murmur anhelū
At ſerpens lapſu crebro redeunte ſubintrat (eſt.
Lubricus, intortóque ligat genua infima nodo.
Crus tumet, obſepto turgent vitalia pulſu,
Liuentéſque atro diſtendunt ſanguine venas.
Nec minus in natos eadem vis effera ſæuit,
Amplexúque angit rabido, miſerādáque membra
Dilacerat: iamque alterius depaſta cruentum
Pectus, ſuprema genitorem voce cientis,
Circuniectu orbis, validóque volumine fulcit.
Alter adhuc nullo violatus corpora morſu,
Dum parat adducta caudam diuellere planta,
Horret ad aſpectum miſeri patris, hæret in illo:
Et iam iam ingentes fletus, lacrymáſque cadentes
Anceps in dubio retinet timor. ergo perenni
Qui tantum ſtatuiſtis opus iam laude nitentes,
Artifices magni (quanquam & melioribus actis
Quæritur æternum nomen, multóque licebat
Clarius ingenium venturæ tradere famæ)
Attamen ad laudem quæcunque oblata facultas,
Egregium hanc rapere, & ſumma ad faſtigia niti.
Vos rigidum lapidem viuis animare figuris
Eximij, & viuos ſpiranti in marmore ſenſus

Inſerere aſpicimus, motúmque iramq; doloremq;:
Et pene audimus gemitus: vos obtulit olim
Clara Rhodos: veſtræ iacuerunt artis honores
Tempore ab immenſo, quos rurſum in luce ſecunda
Roma videt, celebratq; frequens: operíſque vetuſti
Gratia parta recens. Quantò præſtantiùs ergo eſt
Ingenio, aut quouis extendere fata labore,
Quàm faſtus, & opes, & manem extendere luxũ!

De Quinto Curtio.

Ire per æternos æui venientis honores
Conſpicuum meritis, & iugi viuere fama
Fas illum eſt, quem fata vocant, cui pectore præſens
Excubat, atque animum cælo adiicit ignea virtus:
Cuius ſæpe ſagax trepidis prudentia rebus
Veſtigauit opem, docuitque haud ſera Senatum:
Siue armis ille, & dextra, ſeu morte cadentem
Seruauit patriam, atque hoſtes in funere vicit.
Nec tamen eſt decorum tantorum maxima merces
Laude hominũ, aut poſitis triuio ſpectãda trophæis,
Quamuis longa datum ſtruerent in ſæcula nomen:
Verùm illuc melior ſpes euocat, vnde recepti
In lucem ſumus, ac patrios reuocamur ad ortus,
Cùm cælum ſuperosq; lares axemq; ſerenum
Suſpicimus, rapido circum qui ſidera flexu
Torquet, & immenſos actis ciet orbibus orbes.
Hunc pater omnipotens alterna luce micantem
Conſtituit, nec non pulcra in ſpectacula claris
Ignibus, & multo ſtellantem inſigniit auro,

Dignam ſedem animis præſtantibus illa deorum,
Illa domus nobis patria eſt. hîc nobile magnæ
Accipiunt pretium, regnantq; per æthera mentes.
Sed fuit hoc olim, ſuperas euadere ad arces
Regia tecta deûm cætu [illegible] frequenti
Magnanimi heroës, priſcis quos extulit annis
Tunc, cùm larga ducum fundebat ſemina tellus.
At nunc (quãdoquidẽ hæc turpi conſumpta veterno
Iampridem infelix, inhonoraq; tabuit ætas,
Et cecidit decus & dominantum more ſiniſtro
Eiectum ingenium, virtuſq; faceſſere iuſſa eſt)
Nos veterum facta haud ſegnes repetamus auorum
Fortia, & ad priſcum curam hãc vertamus honorẽ
Quà fortuna ſinit, quantum eſt conceſſa facultas.
Sitque prior, quem non metus, & grauis ira deorũ
Terruit, abyſſæ non monſtra immania terræ,
Quin facto egregio infernis ſe traderet aris.
Nam ſiue infenſis Capitoli, arciſque Lycææ
Præſidibus ſuperis, clauſi ſeu turbinis æſtu
Mota loco tellus ſpatij diſcrimine vaſto
Abſtiterat, medióque foro patefacta vorago
Abrupta in præceps, immenſa oriſq; profundi
Summotas reſerans fauces (trepidabile viſu)
Tartaream ad noctẽ, ac ſedes penetrarat Auernas,
Intuleratq; diem, cælóque refuderat vmbram.
Prodigium horrendum, ceu nigro abduntur hiatu
Tænara Cumææq; domus latebroſa Sibyllæ.
Extemplo exciti monſtro populuſq;, patreſq;
Concurſu approperant magno, & de collibus altis

Denſi aſpectantes, Stygij vt portenta ſepulcri,
Atque atram videre luem, rimoſáque circùm
Aequora, & immani iam-iam vi rupta barathro,
Perculſis ſtupuere animis, tum frigidus artus
Concuſsit tremor, & ſubitò per membra cucurrit:
Nec iã ſtare gradus, aut tumulis ſublimibus audẽt.
Sub pedibus latè ſcindi, infidúmque labare
Omne ſolum, colleſq; ipſi ſubſidere in ima
Tartara, & obſcura mergi ſub nocte videntur.
Iamque metu trepidos, ſubitaq; redire volentes
Inde fuga fallit conatus, ægra receptum
Genua negant: gelido concretis ſanguine fibris
Nec vires membris notæ nec vox ſonat ore.
At veluti ſiquando truci ſub imagine ſomni
Decliui e ſcopulo ripáue horremus ab atra
Præcipitem caſum: refugit calor oſsibus omnis:
Et vires & membra cadunt: non anxia vocem
Verba ſonant: preſſos ſopor, & timor alligat artus:
Haud ſecus Aeneadæ gelida formidine tardos,
Implicuere gradus, nec vis ſua tollit euntes,
Spectãtéſque fugam, prorſúſque extrema tremẽtes.
Tandem vbi gliſcenti grauis eſt mora viſa periclo
Incubuitq; malum violentius, & metus alter
Excuſsit ſtupidos, ac mentis reddidit vſum:
Quærere opem rebus ſummis & nitier omni
Auxilio, raptimq; cauas explere latebras
Aggere proiecto, & congeſtis molibus inſtant.
Incaſſum labor omnis, & irreparabile damnum
Humanam contemnit opem ſpes vna ſuperſtes,

i quis apud diuos veniæ locus, ergo per omnes
re aras pueri & matres: timidæq; puellæ
Supplicibus votis certatim expoſcere pacem
Numina ſancta deûm, cæloq; extendere palmas
Nec minus interea Tyrrhenæ gentis aruſpex
Fata aperit, ſic diuinis monſtrantibus extra
Ore canens. o Dardanij ſpes inclyta Iuli
Mars pater, aſtrifero genus & cui nobile cælo,
Et virtute fidem, & præſtantibus aſtruit armis,
Non hæc cælicolum graue, & implacabile numen.
Nunc portenta nouat, ſed hianti luridus orco
Eumenidum dolor, & rupta diſcordia terræ
Inſigni redimenda bono, quo maximus vſus
Imperij ad columen, famæq; ſequentis honorem.
Hanc fati obſcuram vocem, monitusq; deorum
Concilio exceptos, non vnis mentibus omnes
Accipere: ambigui ſenſus, diuerſáque patrum
Murmura, nec cunctis eadem eſt ſententia linguis.
Acer erat bello, & primis ſpectatus in armis
Curtius eductum Curibus quem antiqua vetuſtis
Nobilitas laude, & ſerie decorabat auorum.
Namque ferunt, vrbis iaceret cùm prima ſuperbæ
Fundamenta pater, captáque ex arce Sabini,
Fœminei vltores raptus, iam valle ſubirent,
Conferrentq; aciem, atque anceps fortuna duelli
Ambigeret: facinus clarum, longéque fuiſſe
Egregiam laudem, & nomen memorabile Curti.
Iſq; diem (poſtquàm ad pacem verſa arma ducesq;
Imperij iunxere fidem, dextráſque dedere)

In partem meritò patriæ & præclara vocatus
Præmia, nec ſtudio deinceps, nec defuit vſu
Romulidis, longamq; dedit deſcendere prolem.
Tali ortus genere, & proauiti nominis heres
Curtius ardenti ſæpe in certamine victor,
Quæſieratq; manu decus, & virtute tenebat
Exuperans animi iuuenis: ſiue arduus alto
In pugnam ſe ferret equo, ſeu marte pedeſtri
Aduerſum exciperet collatis ictibus hoſtem.
Huic pater ætheriam ſuperi conuerſor Olympi
Immittit ſubitò mentem, reſerátque latentes
Fatorum ambages, ipſumq; in funera poſci
Submonet, & dubiæ quæ ſit via certa ſalutis.
Ille ardet, largóſque alti bibit ætheris ignes
Diuinum ſpirans: nec iam mortalia cordi.
In patriam quippe & pietas, & funeris atri
Exequiæ laudum æternæ, multúſque ſuorum
Vrget amor: tandem, velut acri concitus œſtro,
Irrumpit medios, teſtatus numina Diuûm.
Nec mora, pro patria infernis ſe deſtinat aris.
Arrectæ mentes cunctorum, omniſque receßit
Pectoribus timor, & cæcis lux redita rebus
Magnanimi iuuenis fato inferiiſque propinquis.
Curritur, effuſique ſenes, & vulgus inundant,
Agglomerantq; foro: & ſi qua deſpectus in vnũ eſt
Aedéſque, tumulóſque, & culmina Pallantea,
Tarpeiámque arcem, & diuûm faſtigia latè
Conuentu cumulant pleno, addenſantq; coronas.
Iámque aderat longa ſenior cum veſte ſacerdos

Funereis mærens vittis: ſacrúmque litabat
Plutoni Stygio: aſt alij nigróſque iuuencos,
Et furuas iugulant pecudes: ipſe ordine vota
Nuncupat, & iuuenem ſpargit fluuialibus vndis,
Voce ciens triplicémque Hecatē, magnámq; parētē,
Tergeminóſque deos: tum numina dira precatur
Eumenidum, populóque grauem depellit Erinnym.
Stant taciti circùm, linguiſque ſilentibus vnum,
Vnum omnes fixi obtutu, immotique tuentur
Armatum extantem, atque ærata luce coruſcum
Ille autem (nam fata premunt, longáſque recuſant
Ferre moras) coram vacuum progreſſus in æquor,
Vt ſtetit abruptæ titubato in margine ripæ
Pallidus, inque atram deiecit lumina noctem:
Rettulit os rurſum cælo, ſublatáque tendens
Brachia, in has ſupplex exoluit pectora voces.
Dij patrij, quorum auſpiciis ſtat maxima Roma,
Et pater omnipotens, & noſtri ſanguinis auctor
Bellator Mauors, Vulcane, patérque Quirine,
Veſtalésve foci, Ianique biuerticis ora,
Audite hæc, ſanctúmque precanti aduertite numē.
Si qua, nefas, virtutem odit crudelis Erinnys,
Ad pœnámque vocat: fraus hic communis abeſto
Vnus ego haud ſegnis dextra, nec frigidus armis
Hāc animā, inferno vmbrarū regi, & Stygiis Diis
Deuoueo, lucémque volens, auráſque relinquo:
Tantum dura mei fugiant diſcrimina ciues.
Hanc ſpem, quā patriæ incolumis dāt fata, ſepulcri
Et mortis comitem poſco, ac mecum ire ſub vmbras.

Tum vos infenſi manes, queis Romula virtus
Diſplicet, inuidiámque mouent ingentia facta:
In me omnes conferte iras, & quicquid acerbũ eſt
Vertite ab excidio patriæ, exitióque meorum:
Ipſe luam. ſimul hæc dixit, ſimul aſtitit olli
Conſpicuusq; auro, & Maſſyli pelle leonis
Arce fremens bellator equus, quo tendere in hoſtem
Primus & obſtantis incurſu rumpere turmas
Suetus erat, ſubitáque acies turbare procella.
Hunc vbi terga premens dorſóque exceptus amico
Impulit, & notu habilem tremefecit habenis,
Nil mortale putans, animíque interritus heros:
Viſa hominis maior facies, procul ære refulget
Sanguineo galea, & flammis rutila arma coruſcã.
Interea cælo ſuperũm Rex magnus ab alto
Vrbem Dardaniam aſpectans, ſæuæq; ſuperbum
Cõtemptorem animum mortis, dabat inclyta facti
Præmia. ſecum animo voluens, curámque fouebat:
Cùm lacrymas prõptúmq; ferens mæſto ore dolorẽ,
Triſtis ſic medio cæli ſuper axe Quirinus
Alloquitur: o, cuncta pater qui fata gubernas,
Aeternumq; regis: en quo ſpectata tuorum
Incidit, aut quali damnatur funere virtus.
Non hæc exactis olim ſperauimus annis,
Cùm ſedem hanc terræ regno, externiſque triũphis,
Romanúmque tuo ſancibas fœdere nomen:
Atque ante hoſtili virtutem opponere ferro
Vnum opus, & labor vnus erat, pretiumq; laboris
Imperium patriæ, aut leti ſors clara ferebat.

Nuncia

ũc iam quid ſuper eſt, aut quam fortuna ſinit ſpẽ,
i manes rigidos etiam, & fera Tartara contra
ellandum eſt? num dicta retro mutata recurrunt
ata tibi? aut cœpti piget, & ſententia verſa eſt?
t nunc iſte quidem iuuenis capite improba rerum
Detrimenta luit, vnúſque immittitur Orco
uſtius vllius culpæ ſic digna rependis
Præmia, virtuti genitor hæc gratia prompta eſt?
Si quod conceptum eſt in te facinúſve, ſcelúſve
Aeneadis generique meo, te verius ipſum
Tela dare, & ſeptem repetitis ictibus arces
Fulmine deÿcere, ac ſedes abolere nepotum.
Sin autem & caſtæ ſunt res, nec iuſtius vlla
Religione pater coleris, ſub numine ſemper
Roma tuo, puróſque tibi meditatur honores:
Parce tuis, pacémque refer: ſic Romulus orſus.
Tum pater, ætherio pellit qui nubila vultu,
Talibus it contra. Nec te dolor iſte timentem
Sollicitet, mea progenies: néve aſpera fingas
Fata tibi, & cœptos animi dimitte labores.
Vrbi Romuleæ latè debetur, ab ortu
Quicquid ad occaſum rerũ iacet & vaga quicquid
Tethys obit, reſluóque ad latrant æquora ponto.
Stat fixum hoc nec fluxa retro ſententia nutat
Quin iã aderit, cùm tu Romana in ſceptra videbis
Heſperiámque omnem, & gentes tranſire remotas,
Imperiúmque, genúſque tuum, ne triſte querare
Supplicium egregÿ iuuenis. non ille ſub vmbras
Tartareas manéſve cadens deſcendet ad imos.

Hunc animum, has mentes, hæc corda excelſa tuorũ
Eſſe velis, fretóſque ſua virtute Quirites
Et conferre manum fortunæ, & temnere mortem.
Sic etenim via, ſidereas quæ ducit ad arces,
Et famæ meritum ſteterit decus. his vbi mæſtum
Leniјt omnipotens dictis, gemitumq́; repreſsit,
Continuò tacitus ſecum maiora volutat.
Stant Iouis ad ſolium geminæ ſuper aſtra ſorores
Mente ſatæ æterna, queis cœtu eſt cura deorum
Adlegiſſe pios, humanáq; nectere diuis.
Harũ vnam pietatẽ alto deſcendere ab axe
Imperat & Curti manes adſiſtere ſacros.
Illa Ioui parens, nimbo fulgente per auras
Cincta volat, longámque cito dat tramite lucem:
Qualis ſæpe polo ſaliens ſub nocte ſerena
Stella fugit curſus ſubitò traiecta volucres.
Et iam Tarpeij ſupra faſtigia templi
Aſtitit, inq́; arce extrema delapſa reſedit:
Cùm iuueni viſa eſt mentem maioris imago
Aſcendiſſe Deæ. iuuat ire in funus & omnes
Præcipitare moras: ſonipes ſub pondere ſucto
Ardet Inexpletum exultans, iámque ardua iactat
Brachia, iã pede tundit humum, hinnituſq́; canoros
Suſcitat, & viuos ſcintillat naribus ignes.
Eſt locus extructo ſuggeſtu & molibus extans,
Parte fori aduerſa celeber, quem nomine noto
Roſtra vocant: primi vnde duces plebiſq́; magiſtri
Affari populum, atque edicere ſcita ſolebant.
Hinc iuuenis freno & ferratis calcibus acrem

Egit equũ,lora effundens:hinc feruidus illum
Impulit attoniti primo motu fremitúque
Diriguere omnes,mens & calor oſsibus hæit.
Ille rapit mediũ campi,curſuq́; citatum
Quadrupedem vaſtæ immittens in aperta ruinæ
Dat ſe in prærupta,atque ingenti rupe ſecuta
Inuoluensq́; ruénſque ſpecu deſcendit ab alto.
Ac velut aërio præceps cũ monte reuulſum
Saxum ingens in prona ruit,moléſque ſubactas
Voluit & aſſultu rapido latera obuia rumpit:
Dant gemitũ lateq́; fragor geminatur in auras:
Sic tellus,ſic præcipiti pulſata ruina
Contremuere fora,Et longas referentia voces
Tẽpla ſonant.ſtetit obtutu ſtupefactus & amens
Intento populus circũ,immotúſque pependit.
Magnus Eques vſque attonitis, horrorq́;,feroxq́;
Procurſus,cladesq́; viri ſuprema moratur
Ante oculos: etiã arma tonant etiã auribus ingens
Inſultat fragor, & torpentia pectora pulſat:
Currentemq́; diu trepidãt,horréntque cadentẽ.
Vt primũ ſonitũ,atque vmbras diſcuſsit inanes
Reddita mens,cæloq́; dies oblata ſereno eſt:
Emotæ extemplo curæ cunctíque reuerſi
Ereptũ ad iuuenẽ ſenſus. viridis ſubit ætas
Digna deûm potius venia,fatíſque ſecundis,
Et decor & mores placidi:tum clara recurſant
Facta animis,tantæque recens pietatis imago,
Verbáque,ſupremæq́; preces:quo funere certus
Occiderit,patriáſque cadens ſeruauerit arces

Vltro morte òbita, & pallentes miſſus in oras.
Cùm tamen hunc miſerum ſpes deſolata parentum,
Coniugis & caræ fletus, natique vocarent
Dilecti ad curam laris antiquóſque penates,
Tantùm illum patriæ & generi tribuiſſe ſuorum,
Vt ſeſe exitio & fatis communibus vnus
Traderet, hæc inter liquentia pectora dulcis
Stringere amor, lacrymæq; ſequi, et crebreſcere voces
Laudantum, ac ſortem miſerantum mortis acerbã.
At iam confuſum diuerſo ex agmine murmur
Attollit magis, atque magis iam ſparſa ſolutis
Turba ruit cuneis: fremitu tonat arduus æther.
Ceu quondam in ſiluis leni cùm flamine primùm
Offenſæ crepitant frondes, & lenta ſuſurrant
Murmura: mox valido ſi turbine fortior auſter
Incubuit, ſtragémque dedit, ſtrepit omne tumultu
Confuſum nemus, & populata cacumina iactat,
Coſternitque ſolum ramis: it ſtridor ad auras.
Iámque patres, primíque ducum, lectíque ſenatus
Fatorum augurio proceres, quíque alta gerebant
Imperia, aut ſacros ornabant vellere canos
Inceſſu tacito coeuntis ad oſtia terræ
Aduenìunt, cingúntque lacum: tum cetera circum
Turba premit, cœtúſque implet ſtipata profundos.
Et nunc hac, rurſum hac impulſum fluctuat agmẽ.
Dant fruges tumulo lætas, & munera prima
Apponunt, pars incenſis altaria flammis
Conſtituunt, peraguntq; preces, & rite ſacratos
Deſcribunt fines lituo, frontémque, latúſque,

Vltimáque: & meritos gnati teſtantur honores
Certatim effuſi in laudes: hinc nota frequentant
Militiæ decora, & murales ſæpe coronas,
Defenſúmque manu ciuem, ſocióſque receptos,
Indomitúmq; animi Volſcum vel comminus enſe,
Eminus aut iaculo atque irarum vindice dextra
Proſtratum, ſpolia inde cauis aſtantia tectis:
Vt non conſilio inferior quàm fortibus armis
Sæpe locum inſidiis deprenderit ad iuga, ſæpe
Inclinatam aciem turbatáque ſigna ſuorum
Acriùs intulerit pugna, turmáſque morantes
Vi iunctæ virtutis equóque obnixus ab alto
Impulerit: tu non hoſtili cæde tepentes
Sternere agros, nõ magnanimum præferre tropheis
Martia dona ducum, laudis metamq; modumq;
Eſſe tuæ decorúmve ſinis: tu ſæua refuas
Portenta, & Stygium præclara morte furorem.
Te diri ſtupuere amnes: te ſancta cadentem
Concilium ad ſuperum, cernentis & omnia cæli
Extulit & pietas, & vitæ prodiga virtus.
Salue certa ſalus patriæ: tibi præmia mille
Sidereis collata locis: nec plura mereri
Fas homini eſt, aut ſi fato quis maior eodem
In terram deus ille alto demiſſus olympo.
Et tamen humanæ quantum tibi reddere laudes,
Quantum animi linguæq; valent, nõ gratia deerit,
Non Amor officióve decus: celebrabere grati
Voce æui, generiſq; tui ſeruator & vrbis.
Nec minus interea lacus, hic quem funere magno

Impleſti moriens facti immortalis honore
Perpetuũ ſanctumq́; tuum & memorabile nomen
Proferet, æternaq́; aram virtutis habebit.

Ad Octauium & Federicum Fregoſos.

DII vobis grates refero, & pro numine veſtro
Supplicibus veneror palmis cæleſtia templa,
Quòd me ad fallaces fortunæ mobilis auras
Vela expandentem dudum, & male fida legentem
Cum populo vada nauifragis repetiſtis ab vndis
Seruatum in portus, & ſæuo ex æquore raptum.
Scilicet haud tanti eſt dites vel carpere ramos
Extremorũ Arabũ, flauisq́; inſiſtere arenis,
Hermus vbi, aut multo quà circũ turbidus auro
It Tagus, vt tantos æſtus durosq́; labores,
Tot motus varios animantum in pectora diræ
Exacuant curæ, penitusq́; cupidine cæco
Inconſulta abeat ſæclis fugientibus ætas,
Et dirũ inuergat capiti nox atra ſoporem.
Hæc eſt en potior quantò & mage tuta periclis
Vita coli? modico & contentum viuere paucis:
Hæc eſt & diis & votis comitata ſecundis.
Si non regificos incendit purpura cultus
Bis ſaturata oſtro, Tyriis bis merſa venenis,
Nec matutino regalia limina circum
Concurſu innumeros ingens capit aula clientes,
Ampla nec Inachiis inſurgunt tecta columnis,

Nec domus eſt luxu thalamiſque ornata ſuperbis:
At tutam dulce eſt crebro oblectare quietem
Seceſſu placido, & viridantis gramine ripæ.
At neſcire dolos, & nullos noſſe tumultus
Armáque, nec tepido ſpumantes ſanguine campos.
Abſunt hinc fraudes periuræ, artéſque nocendi,
Inſidiæ, & ſimulati actus, & liuida cura:
Conſciaq; haud molles excludunt pectora ſomnos.
Atque equidem ſic euentus felicia ducant
Numina fortunéntque meos, primum ardua nitar
Aſtra ſequi, & cauſſas rerum explorare latentes:
Quis ſuperum rapidis diſcreuerit orbibus axem
Ingens ingentem, & paßim conſperſerit auro:
Atque idem immenſos quo concitat agmine motus,
Vnde per obliquum contra eluctantia tendant,
Et ſeptem imparibus diſcurrant ſidera ſignis:
Qui terris ſtatus, & refluus quà exuberet humor,
Quæ ventis ratio ac nebulis, nec adire pigebit
Ortúſque rerúmque obitus, vitáſque animantum.
Quin iam nunc amor eſt iucundis paſcere curis
Spem tantam, & ceptis inſtare. Eia omnis abeſto
Cauſſa moræ vocat en flagrantis regia cæli
Diuinúſque aures complet ſonor. O vbi celſis
Sideribus qui me & lato deducat olympo
Singula mirantem circum ſpectacula, quique
Suadeat infectas terrai excindere peſtes,
Et purum ætheriæ mentis tutarier ignem?
Felix ille operum longè, egregiúſque laboris
Et decoris, qui non ignauo pendere preſſus

Corporis eiicit molem, culpáſque morantes
Reppulit, atque illũ diuũ indulgentia maior
Excepitque polo, & nitidis ſuperintulit aſtris.
Hanc vitam veteres olim tenuiſſe parentes
Crediderim, ſtudiiſq; agitaſſe in talibus æuum:
Cùm primum terris hominum præclara propago
Extulit os, poſuitq; pedem poſt Lemnia furta,
Vulnificóſque ignes, factúmque inſigne Promethei.
Ille quidem vt noſtros glebáque & flumine vultus
Finxerat effigiem ad diuûm, Tritonia Pallas
Affuit, & generoſæ artis mirata laborem
Iuuit Apollineis ſimulacra accendere flammis.
Quæ ſimul ac contactu ignes hauſere ſupernos,
Flagrantémque animam, ſubitò (mirabile dictu)
Contremere & trepidare nouo ſpirantia motu.
Atque oculis primum vigor extitit: inde per omnes
Paulatim rigidi deſcendere corporis artus,
Oſſaq; corripere, & membris inferre teporem:
Hinc homines mundo immiſſi, quos ſtirpe recenti
Progenitos, ſimiléſque deûm volucréſque feræq;
Ipſi amnes, ipſa obſtupuerunt æquora ponti
Ceu reges venerata ſuos: tum dædala tellus
Nullis verſa iugis, nec duro exercita ferro
Sponte ſua in Cererem campis ſe effudit apertis
Dulces ſuffectura cibos. verum ocyus illi
Vt libo facili, aut pendentibus arbore baccis
Naturam explerant, & puri fluminis vnda,
Vertebant orbes oculorum ad ſidera, & alto
Mentem affectabant cælo prope littora rubra

Tethyos,aut fuſo qua Nilus adæſtuat amne,
Et patriæ memores recolebant nomina gentis,
Aſtrorum inceſſus varios,ſolémque potentem,
Conſtantéſque vias,ſolennéſque ordine motus,
Ipſumq́; æthereum regem omnipotentis Olympi.
Huc me etiam ſtimulis nimio præſtantibus actum
Parnaſſi aduerſis ſub rupibus,auia quanquam
Sit via,& erectis hinc atque hinc ardua ſaxis:
Tum pondus graue me valles detractet ad imas:
Primáque pæne ipſo titubet fiducia greſſu,
Huc tamen ignea vis animi rapit, & cupidũ ingẽs
Vrget amor,aderit Cyrrha Latous ab alta,
Collectosq́; æſtus lympháque vmbráque leuabit.
Sin hæc non molles mi abdicunt ſtamina Parcæ,
Méque labor primo ſubigit deſiſtere cliuo,
Aſt ego te haud vlla cunctantem fraude locorum
Aſpiciam Federice alacrem peruadere, & omnes
Exuperare moras,arcemq́; potirier altam:
Cui noua me virtus ſæcliſq́; incognita priſcis
Dulcis amicitiæ ſociatum fœdere ſancto
Addidit,o cordis meritò pars maxima noſtri,
O gentis Freguſæ decus, & ſpes digna tuorum,
Aſpice quæ coëant tibi numina:Cynthius autor,
Pieridúmque chori,Dryades,Nymphæq́; ſorores
Dona ferunt,violiſque & purpureis hiancynthis
Spirat humus:ſedenim ante oẽs Iouis inclyta virgo
Attonſæ foliis innectit tempora oliuæ,
Dilectúmque ſacra permutat ab Aegide pectus.
Porro ego ſuſpiciens inſignem latus amicum

Gratabor, feſtóſque dies hoc nomine ducam.
Ipſe legam Paphias vicino a littore myrtos
Aut capiti decus, aut vmbram: viridéſque Napæas
Non illaudato reuocabo ad carmina cantu.
Fortunatæ animi, largo cui prodigus æther
Munere diuitias menti indidit, & bona magnis
Intellecta deis, populo ignorata nocenti.
Fortunate animi (neque enim eſt obſcura premitq́;
Fama fidem) non te ventoſi gloria vulgi
Abſtulit, in præcepsq́; dedit: non terrea ſomnos
Rupit auaritia, atque auri cuſtodia pallens.
Accumulant alij quæſtus, precioq́; ſuperbos
Inuadunt faſces, aliena ad littora tendunt
Mille ſub inſanis freta peruoluentibus Euris.
Hic bellũ & ſubitas accendit in arma cohortes,
Non dextræ memor, & iurati numinis olim.
Plauſum alius plebisq́; auras meditatur inanes.
Hic varios ſumit vultus, dominóque potenti
Blanditur, grauis hos cura, & crudelis adurit
Ambitus: inuidiæ ſtimulis torquentur amaris,
Et tacito optatas inhiant in pectore mortes.
Interea non fas ſolenne, ſuúſque pudori
Dignus honos: gaudent ſuperante libidine ferrì
Et neſcire modum, finéſque habuiſſe refixos.
Qualis ſæpe noua nimium dulcedine captus
Inuectus curru bijugo, vt dimiſit habenas
Auriga, atque ardens nota bis voce vocauit
Atque acres animauit equos, illi agmine raptim
Proſiliunt, ſpatiiſque ingentibus æquora aperta

Per vacuũ nunc ſublimes nunc pectora proni
Corripiunt, certántque fuga poſt linquere ventos.
Acrius hos ſtimulis agitator feruidus inſtat
Infrenemq́; adigit currũ: non ille pericli
Fortunæq́; memor, nec iã ſudoris anheli:
Donec fraude ſoli ſcopuloq́; offenſus iniquo
Præcipites proturbat equos: cadit alter & alter
Continuò cõſors, lapſu correptus eodem:
Corpora humi fœda impellunt: ruit æreus axis,
Et currus ſuper, atque rotæ vertêre gementes:
Fit ſonitus, creſcit ſublatus in æthera clamor.
Ipſe volutus agro cupidæ temerarius artis
Non plauſus iam nec laudes vocéſque fauentum,
Sed paßim effuſos riſus inimicáque ſentit
Sibila: quàm vellet prenſis nunc parcere habenis,
Adductóſque manu melius frænare iugales?
Non ſic qui caſus rerum & Rhamnuſia ſecum
Fata agitat, metuitq́; cauens aduerſa ſecundis.
Nam quem non ſtrepitus vani, fortunáque blanda
Fluctiuagas ſolido traxerunt littore in vndas?
Dÿ terris geniti, ac magno pietatis honore
Euecti ad ſuperos, túque o ſanctißima virgo
Sæpe humiles noſtrum ſolita exaudire vocatus,
Hunc iuuenem ſeruate pÿ. ſunt omnia in illo
Si prorſum egregia ingratis male cognita ſæclis:
Et date inoffenſos annorum extendere curſus
Fratrẽ etiã: neq; enim Octauÿ non maxima fratris
Eſſe ſalus curæ debet, mortalia quando
Ille animo factiſque ſupra: quis nobile ẽt altum

Virtutis decus, atque viri præſtantia corda
Neſciat? ac dignos laudum non reddat honores?
Vtq; fidem ſæuis ſtabilem inuictámque periclis
(Teſtes vmbræ, arces, fluménq; inſigne Metaurũ)
Præbuerit? tanta eſt nullius gloria facti.
Cùm ferus Auſoniæ prædo, cùm raptor Iberus
Ferrum ignemq; ferens euerteret oppida muris,
Regnaq; concuteret bello, ſtragéſque cieret
Infandas: primum imparibus ſe obiecit in armis
Octauij dolor, abſenti tutatus amico
Spem rerum extremã, & montis iuga celſa Feretri.
Nec metus hoſtilesq; minæ, morbíque, famesq;,
Visq; infida intus mentem domuere, nec ipſa
Fœdatura oculos crudeli funere mater,
Mater que miſera e vallo captiua tyranni
Tendebat nato palmas: ſtetit aſpera contra
Omnia & ipſa ſuo tenuit ſe robore virtus.
Quid narrem ſolio (indignum) vt turbatus auito
Aduerſos placidè caſus gerat? illa virorum
Genua ferax, pelagiq; potens Ingaunia tellus,
Magnus & aëria qui proſpicit æde Monæcus
Nunquã animum talem claras ſub luminis auras
Effudere. ſibi hic non ſe, ſed ciuibus ortum
Eſſe ſuis putat, & patriæ præſtare ſalutem
Ante ſuam mauult: nec regni inſignia tantum,
Quantum iuſtitiam ac veras ſibi poſcere laudes.
Macti ambo virtute noua, concordia fratres
Pectora, qui dulcem inter vos ſpiratis amorem.
Sicut Amycleos vulgata eſt fama gemellos

Conſociaſſe animas: quorum cùm Caſtor adempta
Luce grauem traheret Stygiis ſub vallibus vmbrã
Regna inamœna habitans, infernîque atria Ditis,
Fratrem animi totas ſeptem per deuia lunas
Erraſſe in ſolis ſiluis: non luminis ille
Phœbei aſpexit radios, non ſueta relegit
Arma manu: ſqualent deſertis cæſtibus árua,
Nec cætus pugilum curſûſque agitantur equorum.
Tantũ homines, lucẽq; auerſus, & immemor auræ
Fletu indulgebat, & te cariſsime frater,
Te ſurgente die, te ſera nocte vocabat.
At quoties illũ ſecreta in valle cientem
Ex alto gemitus, quoties ſuſpiria ruptis
Turbantem lacrymis tacito cum flumine lapſus
Audiit Eurotas? queſtu nocturna relugent
Taigeta, & latè vicinia mœſta Terapnes.
Quin (vrebat enim penitus præcordia mœror)
Ante Iouem tales fertur fudiſſe querelas.
Huncne mihi pater, hunc vitæ immortalis honorẽ
Ingratum tribuiſti, vt fratris acerba viderem
Funera nec tantos finirem morte dolores?
Et nunc quid iam optẽ iucundũ aut dulce ſine vllo?
Solus ego teneam terras vbi vulnera præſens
Hauriam, & aſsiduus tractem? poſt ſedibus addar
Cælicolûm, ille abſit Stygiis diuerſus in oris
Vnanimis? Quid me ante tuo de ſanguine cretum
Profuit? aut quæ digna mali ſolatia tanti
Das nato pater omnipotens? heu iungere curas,
Nec capere affatus alternáve verba licebit

Amplius? iſſem imas fratri comes ipſe ſub umbras.
Non me tantus edat victum dolor: aurea iuro
Sidera non ullam valeo ſperare quietem.
Quod te per genua atque tuũ venerabile numen,
Per ſi qua eſt lacrymis mens non aliena precantum
Obteſtor, nati genitor miſerere, mihiq́;
Aut fratrem redde, aut (hãc ſi via nulla ſinit ſpẽ)
Ne permitte ſolo: paribus da occumbere fatis.
Dixit & in gemitum ac fletus prorumpit amaros
Multa querens, crebroq́; appellans nomine fratrem.
Qua motus pietate, & magno victus amore
Iupiter a tenebris fratrem reuocauit Auerni:
Sideráque amborum cæleſtibus addidit oris.
Quæ non tantum æther, ſed pontus, & alta ſonãtis
Æquora Neptuni norunt: quin ſæpe videntur
Oportuna polo, vi tempeſtatis & atro
Turbine deprenſis præſentia lumina nautis.

DE AONIO PALEARIO.

Aonio Aonides Graios promſere lepôres,
Et quaſcunque vetus protulit Hellas opes.
Aonio Latiæ tinxerunt melle Camœnæ
Verba ligata modis, verba ſoluta modis:
Quæ nec longa dies, nec (quæ ſcelerata cremaſti
Aonij corpus) perdere flamma poteſt.

IO. M. TOSCANVS.

AONII PALEARII
Verulani carmina.

In nuptiis Nicolai Marini & Aloiſiæ Mendozæ.

VESPER ab heſperijs nitidum caput extulit vndis:
Et totum accendit diffuſo lumine cælum,
O decus Inſubrum nuptæ conſurgite contra,
Deducenda ſuo tandem eſt noua nupta cubili
Nox ruit: & Veneris iucundæ præterit hora.
Huc ades o Hymenæe Hymen, ades o Hymenæe.
Et meminiſſe decet nuptæ, & meminiſſe poteſtis,
Expectata dies fauſto cùm ſidere venit,
Cùm iuueni caro vos deſpondere parentes,
Spes veſtras ſi forte aliquid pro tempore luſit,
Vt primum optati vobis data copia lecti eſt,
Quales amplexus, & gaudia quanta fuerunt.
Huc ades o Hymenæe Hymen, ades o Hymenæe.
Aſpicite, vt ſedeat demiſſo lumine virgo,
Ingenuo ſuffuſa genas vtraſque rubore.
Certe oculos non tollit humo, roſeumq; labellum
Comprimit, & nullas emittit pectore voces.

Non

Non decet hoc fieri: gaudet Venus aurea riſu:
Libera res Amor eſt, & libera mater Amoris,
Lætitiæ genitrix, hominũ diuumq; voluptas.
Huc ades o Hymenæe Hymẽ, ades o Hymenæe.
O felix virtute tua, lectiſſima virgo,
Educta ingenuè, ſanctoq; aſſueta pudori,
Non tibi mens vllas nunc afferat anxia curas:
Sed noua coniugij pertentent gaudia pectus.
Huc ades o Hymenæe Hymen, ades o Hymenæe.
Num virgo te cura ſubit, pietáſque tuorum,
Quos rate conſcenſa liquiſti in littore Ibero?
Aſpice, quàm multi te ſunt vel ſponte ſecuti,
Quãq; tuos clara paſſim virtute ſequuntur.
Hîc domus, hîc patria eſt, vbi nullo tẽpore abeſſe
Laudibus a magnis poteris, meritíſque tuorum.
Huc ades o Hymenæe Hymen, ades o Hymenæe.
Auſonia in magna pars eſt tibi maxima virgo:
In qua laudis habent tantum duo fulmina belli,
Conſalui, quorũ eſt alter ſuper æthera notus,
Lætus in Elyſiis qui nunc agit otia campis,
Inſubres alter iuſtis moderatur habenis:
Quẽ Sueſſana Ducẽ, Regũ e domitoribus ortum,
Obſeruat tellus, armorum fortibus auſis
Æternæ pulcro florentem laudis honore.
Huc ades o Hymenæe Hymen, ades o Hymenæe.
Quæ tua ſunt tecũ ſapiens bona percipe virgo:
Eſt tibi perpetuo ſociatus fœdere lecti
Cæleſtis iuuenis, quo non formoſior alter:
Quem Charites finxere manu, & Nereides ipſæ

In conchis inter gemmas aluere marinas:
Is te ſuſpiciens tereti ceruice repoſta,
Vix capit ipſe ſua ſecum ſua gaudia mente.
Huc ades o Hymenæe Hymen, ades o Hymenæe.
Quare agite expertæ nuptæ bona dicite verba,
Et caſto in thalamo de more locate puellam.
Non dea mortali tales conceſſit amores,
Nec Deus hoc vnquam coniunxit fœdere amãtes:
Qualis in his inerit veniens pax aurea cælo,
Læta ferens dextra ramum felicis oliuæ,
Et dulces natos, & pignora cara, nepotes.
Huc ades o Hymenæe Hymen, ades o Hymenæe.
Cõmiſtum genus hoc Italũ cũ ſanguine Ibero,
Clarum, illuſtrẽ, potens, omníque ex parte beatum
Nequitiæ ignauæ quod nulla redarguet ætas,
Innumeros ſemper magnos voluentibus annis
Armorumq́; duces pariet, pacisq́; magiſtros.
Quàm multa in ſiluis orienti germina vere
Hac illac circum viridantia parturit arbos,
Quàm multi in pratis, aura ſpirante Fauoni,
Naſcuntur flores, aruisq́; feracibus herbæ.
Huc ades o Hymenæe Hymen, ades o Hymenæe.
Audiſtis? læuum intonuit, læta omnia, fauſta
Omnia, felicis ſunt ominis omnia plena.
Inſubrum nunc ite nurus, accendite tedas
O pueri, ſimul ite viam, tuq́; optima virgo
Tolle pedem aureolum, coniux mox ipſe ſequetur
Os, humerosq́; deo ſimilis, tua maxima cura.
Iam quos heroas nobis dabis optima virgo?

Accipe de magnis felix heroibus omen,
Quos fœcunda nurus geminos feliciter edet:
Quod ſanctũ,firmumq́; tibi Dux maxime Thoma
Fortunate ſenex,dat carminis autor Apollo.
Cernis,vt extemplo ſpes ſit tibi facta nepotum?
Iam faciet virgo,vt terrarum intelligat orbis,
Ecquæ progenies,ecquæ diuina propago
Venit ab Heſperidum ſemper felicibus oris.
Huc ades o Hymenæe Hymen,ades o Hymenæe.

Ad Ioannem Tonſum.

LAudator vatis Venuſini candide Tonſe,
Ne tibi me credas imponere,carmina mitto
Ad ſenſus efficta tui,moremq́; poëtæ,
Inuito genioq; meo,inuitaq; Minerua.
Quanti te faciam noſti?pro tempore abeſſe
A me ſi poſſum,tibi quò magis obſequar vni.
Ille vbi iam numeris mulſiſſet dulciter orbem,
Argolica fretus cithara,fidibusq; Latinis,
Hellade ab vſque Remi & muſas duxiſſet in vrbẽ,
Libertate frui ſtatuit,placidáque quiete,
Et delectari ſtudiis ignobilis oti.
Hinc dulces ſcriptis cùm compellaret amicos,
Protulit effœtos,velutiq; ex tempore verſus:
Quos ſale Romano,atque Italo conſperſit aceto:
Quorum ſunt tamen hiberna niue candidiora
Verba,quaſi e liquido,& puro manantia fonte.
Sed fortaſſe nimis numerorum lege ſoluta.

Felix ille quidẽ, natus melioribus annis,
Quas licuit metiri quenque ſuo modulo rem,
Atque aſpernari faſtus popularis honores.
Ambubaiarum collegia, pharmacopolæ,
Nunc ego ſi inciperem, ferres? dic candide Tonſe.
Nunquam quod ſentis dices, niſi dixeris iſtuc,
Et ſi non dices, dicet Scaphenatius ipſe
Ingenuus, centum mihi qui eſt pro millibus vnus.
Eſt hoc principium ſatyræ. fac eſſe. ſemel ne
Labitur in numeros iſtos ridente camœna?
Includi non vult donatus iam rude ludo.
Ergo impetrata venia liceat mihi, quidquid
Venerit in buccam, atque animũ, proferre. laboris
Impatiens quiſque eſt, vbi iam tardante ſenecta
Sanguis hebet. ſegnes non iam aſpiramus ad illa,
Quorum ſpe erecti, quæ non iuuenésque virique
Fecimus, ingenti perculſi laudis amore?
Eſt aliquo ambitio vitium pro tẽpore honeſtũ,
Turpe ſeni emerito, qui ſi velit, ipſa recuſat,
Et prohibet natura, queat ne tendere contra.
Orator placuit florens Hortenſius annis,
Non ita iam grandis natu. quin Roſcius æui
Maturus iam, ex arte modos, cùm tibia cantus
Aequaret pariter, fertur feciſſe remiſſos.
Cùm ſemel Aeſopus voluiſſet tollere vocem
Altius, eſt raucus toto ridente theatro
Factus, cúmque iterũ acclamaret, vox magis ipſum
Defecit. vulgo tum perſonuere cachinni,
Plangor, & inuiſus populari ſibilus auræ.

Nil ſupra vires tentandum, ſat fuit olim
Verſatum in magna cum laude fuiſſe palæſtra.
Quod ſi forte ſenex duro contendere cæſtu
Iam velit, effœtæ cum ſunt in corpore vires:
Infliget plagã nũquam: & ſi cùm ictibus auras
Nequicquam feriet, procumbat, deinde reſurgat,
Decidat & rurſus, riſum teneatis amici?
Sic vbi iam vitæ grauior proceſſerit ætas,
Spiritus & tenuis, ſanguis meliórque receſſit:
Siquid adhuc parimus, non id dea ſuſcipit Hebe,
Gratia nec cingit natum florente corona,
Quod ſenis effœto recidiui e ſemine fluxit:
Quem ſapiens mater prope iam natura reliquit.
Qualis vbi ardentis iuuenis compreſſa cupido,
Nocte auidum longa ſimulac ſatiauit amorem,
Siquid habet, beta eſt: abſunt Charitesq; Venusq;
Et quaſi flos carptus iampridem elanguït vngui.
Miratur iuuenis, miratur & ipſa puella
Torpentem, ignauum, cui tanta ferocia ineſſe
Ante videbatur. quod ſi ſe attollere tentat,
Deficit, & prona rurſus ceruice recumbit.

Dis manib. Sicinij Pepuli Aonius Palearius Verulanus.

Vt grauis attonitas pepulit mihi nuntius aures:
O lux, decusq; nobilis Bononiæ,
Heroa amiſſum, nulli virtute ſecundum
Domi, forisq; in otio, in negotio,

Quàm præſaga mali mens eſt mea viſa timere,
Ate ſiniſtra ne quid afferret tibi.
Cùm te cara parens, cùm te lectiſsima coniux
Vocaret vſque, virginesq; pallidæ,
Quas amor in vita tuus, & ſpes dulcis alebat,
Deſiderarent, & vocarent ſæpius,
Cumq; chorus Phœbi, & quondã tua cura poëtæ
Accingerentur ad canendum triſtius.
Augurium infelix. verus mihi nuntius ergo
Hic optime heros eſt tuo de funere?
Cuius ego egregias laudes, & rapta trophæa
Ab hoſte, barbarisq; nationibus
Ipſe meis prodam numeris, modo vita ſuperſit:
Et annuant montes colentes Aonas:
Quæ me ex Inſubribus referant ad amœna vireta,
Collésque dulcis, diuitisq; Etruriæ:
Hic vbi plus oti ſemper, facilésque camœnæ
Non te vetabunt verſibus ſcribi ſuis:
Nequa tibi noceant incanis ſæcula mentis,
Edaxq; tempus, & vetuſtas ſqualida:
Ne ve tibi faciat ſublimis aranea telam
Sicini amice conſecrato in nomine.
Nuſquam non Pepulũ reſonabũt oppida, & arua,
Nymphisq; amatæ ripæ, amata littora.
Non roſa, non violæ. non lilia, non amaranthi
Deerunt ſepulcro marmoratis laudibus.
Tantum dicta tua, & tantum tua facta merẽtur,
Alumne Martis, atque alumne Apollinis.

Ad Coſmum Medicem Florentiæ & Senarum Ducem.

O Quem Mars pater, & Minerua Pallas
Ad ripam placidè fluentis Arni
Regem fortibus edidere Etruſcis,
Ecquando mihi fata largientur,
Vt artes patrias, tuasq́; laudes,
Quæ Phœbo auſpice prodeunt in orbem,
Mandem verſibus aurei libelli?
O quæ tum mihi grandiore plectro,
O quæ tum mihi bella ſunt canenda.
Nunc, dum nos placida in quiete dia
Iubes otia ducere, omniumq́;
Florere ſtudia vſque litterarum,
Quas Græci coluere, quas Latini,
Hanc mi Rex tibi floribus coronam
Intexi ſine, patriáſque lauros
Inter littoream virere myrtum:
Vt qui poſt aliis erunt in annis,
Norint, quàm bene ſæculum beaſti,
Princeps vnice liberalitatis.

De Annulo cum gemma oculata, quem Iſabella Columnia deſponſa donauit Aloiſio Gonzagæ viro ſuo.

Lumina dum in pulcram defixa teneret Eliſam
Gonzaga proles regia Aloiſius:

Flagrantem vultu diuino his ore puellam
Purpureo iuuenem commonuiſſe ferunt.
Quod ſpectas auidus, miraberis haud ſatis vnquã,
Ipſe meis niſi me luminibus videas.
Mox iuueni ardenti geminos donauit ocellos,
Alter Amoris erat: alter erat Veneris.

Ad Michaelem Tramezinum.

Scriptores vnus cùm ridet Gellius omnes,
Iactat ſe a Gracchi ducere ghiente ghienus.
Sed tamen & mores, & vox ea velle videntur
Dicere, vt impuro eſt natus adulterio:
Vtque pater pretio germanæ factus haruſpex
Scortorũ Romæ floruit hoſpitio.
Hunc mî Tramezine roga (tua tecta frequentat,
Atque inter doctos aſsidet iſte viros)
Dum repetit ghienus, abſentem dum rodit amicũ,
Id num Romanè eſt dicere vel facere!

Ad M. Ant. Maffæum de Vrſulæ Catello mortuo.

CAtellus ille tam venuſtus Vrſulæ
Labella vix momorderat,
Cùm viſus eſt repente ad illam mæſtulus
Tardis redire greſsibus,
Ceruice deflexa ad pedes, & auribus
Preſsis, quaſi ſe noſceret

*Cauſſam dediſſe inexpiabilis mali, & *
Caſum doleret Vrſulæ,
A qua tot oſcula improbus decerpſerat
Suauiora nectare.
E cuius ore tot cibos exceperat
Dulci ſapore prædito s
Vincente Hymettium liquorem, & Indicum
Et ſi quis eſt his gratior.
Sed cùm fuiſſet Vrſulæ propinquior,
Tanquam ſibi ignoſci petens
(Dignorat illam nanque ab omnibus, velut
Suam parentem filia)
Non auſus eſt ſtatim in ſinum perrepere,
Vt ſemper aſſueuerat:
Nec extulit venuſtulum caput, ſed ad
Pedes miſellus corruit.
Vbi eſt dici moratus, albula Vrſulæ
Sperans leuari dextera:
At cùm videret opprimi grauiſſimo
Illam dolore, ob mollia
Demorſa labra, nec iacentem attollere,
Verùm minari verbera
Surrexit, erectis & auribus, bipes
Aſtitit, vtrinque dimouens
Caudam iubatam, & altera pedum genu
Læuum petiuit Vrſulæ,
Lambens eburneas manus, & blandiens
Leni latratu, quo ſuæ
Heræ leuaret voculas mæſtas, & vt

Ei dolorem auelleret,
Niſus fuit tum ſaltibus conſcendere
In mollicella femina.
Manu ſed illa reppulit iam ſæpius
Fruſtra ſtudentem inſcendere,
Qui ægrè ferens ſic negligi ſe ab Vrſula,
Cuius leuamen vnicum
Prius ſolebat eſſe, cui moleſtias
Solus graues depelleret,
Dum ſe huc, & illuc erigit, dum dexteram
Nunc porrigit, nunc alteram,
Conceßit illico gemens in angulum
Cubili herili proximum.
Ac ſtratus illic iacuit, altis perſonans
Cœnaculum conqueſtibus.
Quouſque ſerui ſternerent triclinium,
Dapesq; ferrent ſplendidas:
Qui non videtur amplius cognoſcere
Vllum, ſed omnes negligit
Cibosq; ſpernit, quos in os immittere
Student: & illic condolens
Caſum tremendum, & horridas heræ minas,
Moratus eſt ad veſperum.
Tunc vna ſeruularum ad Vrſulam tulit
Inuitum, & ille deſilit
Gremio ſolutus, & redit celerrimè.
Quò iam ſemel confugerat,
Multum verens præſentiam ſuæ Vrſulæ,
Cuius labella preſſerat.

Mox conquieuit inuolutus linteis
Dum ardente Phœbus lampade
Luſtraret orbem quinquies, & quinquies
Caput ſub vndis mergeret.
Nec ſumpſit interim cibum, nec faucibus
Vllum liquorem ſorbuit.
Nam etſi benignè ancillulæ illum ſæpius
Omnes iacentem inuiſerint
Ciboſq; conditiſſimos iniecerint
In os diebus ſingulis:
Tamen ſubinde reſpuit, nec lambere
Aquam vel aliud viſus eſt:
Quòd non videret Vrſulam, quæ paſcere
Illum priùs conſueuerat.
Quare miſellum penè vox defecerat,
Et effluebat ſpiritus
Ab ore: quando nuntiatum eſt Vrſulæ
Vita catellum excedere.
Accurrit illa exanguis, ac in limine
Graui tremore concidit
Oppreſſa, quam repente ſeruulæ duæ
Propinquiores ſubleuant
Et brachiis vtrinque ſuſtinent, ab hoc
Dum ſe dolore recreat:
Nec inde multò poſt perita ſeruula
Aſpergit illam citria
Aqua, ſuauiterq; olenti perfricat
Vnguento: at illa colligit
Vires, & ad mentem reuerſa priſtinam

Recta ad catellum proſilit,
Qui non adhuc ſic ſenſibus defecerat
Quin Vrſulam dignoſceret,
Quam tantum amabat, nititur tum aſſurgere
Vt in ſinum eius inuolet,
At debilis tam languida, & tam laſſula
Nequit mouere cruſcula.
Tunc eſt profectus recta ad Vrſulã, ſua
Quæ in ſede vix conſederat,
Exiſtimans illam recentis vulneris
Oblitam, & vt depromeret,
Ex eius ore delicatulos cibos
Quos illa ſemper mandere
Libans ſolebat in catelli gratiam,
Dum in prandiis accumberet,
Et indere in fauces ſuis molliſsimis
Labris: quem vt ad ſe progredi,
Sedemq; ſaltu ſcandere, ac velociter
Menſæ inſilire conſpicit,
Irata dextera miſellum corripit,
Et gannientem deijcit
Procul. ſed ille dum videt coram omnibus
Ab Vrſula ſic deſpici
Formam elegantem corporis tam paruuli,
Tam viuidi, tam belluli.
Recedit illinc, conquerens aſperrimam
Iniuriam ſuæ Vrſulæ,
Ancillulásque petit, & aduolat celer
In viliora ſtromata.

Timens herilem in lectulum non amplius
Errorem ob iſtum admittier,
In lectulum tam diuitem, tam ſplendidum,
Tot floribus lectiſsimis
Sparſum, tot optimis olentem odoribus
Qualis Hydaſpes, vel Saba
Non edit, & tam bellulè tam molliter
Subſtratum, vt ipſa Cypria
Eiúſque filius, qui in illum deuolat,
Et hinc, & inde ſubſilit,
Miratus apparatum, & elegantiam
Raramq́; pulcritudinem
Tali potiri ſæpius deſiderent,
In quo quieſcunt Vrſulæ
Tenella membra, illius inclytæ Vrſulæ,
Quam ſi videret Iuppiter,
Iunone ſpreta, & omnibus mortalibus
Velox ad hanc aſcenderet
Non imber aureus, nec ignis lucidus
Valens nec arcu Cynthia,
Nec ſquammeus ſerpens, nec albicans olor,
Nec candidus Taurus, neque
Satyrus celer, nec paſtor armentarius
Nec fuluus ales, ſed Deus.
Illum viciſsim omnes fouere ſeruulæ
Nituntur, atque paſcere:
Sed denotat ſpectans ocellis Vrſulam
Quanti antea illam fecerit:
Quem ſera accubantem blandulo circumplicat

Amplexu, oborta e lumine
Lacrymula, & illum donat vno, & altero
Suauiolo, & in reconditam
Secedit aulam cum duabus ſeruulis
Secum catellum deferens.
Et in miſelli guttur ingerit cibos
Lautis deorum ferculis
Suauiores, & calore confouet
Vt ipſum ab Orco retrahat.
Conatur ille ſumere, haud tam ſe iudicans
Iam poſſe conualeſcere,
Quàm ne putetur ſpernere elegantia
Heræ ſuæ munuſcula.
Sed lingua iam palato adhæret, mandere
Nec dentibus quicquam valet.
Tunc intuetur Vrſulam, quaſi rogans
Ignoſcere, vt ſibi velit
Si quod ſcelus conceperit, tenellula
Dum eius labella ſtringeret.
Statimq́; vitam deſerens, ſe ad Tartara
Tenebricoſa proripit.
Eheu catellus occidit pulcellus, heu
Catellus ille inquam occidit,
Qui floſculus fuit catellorum omnium
Quotquot fuere, quotq́; erunt.
Quem præditum tot artibus formauerant
Dij in Vrſulæ ſpem gratiæ.
Nam dulce ſolatiolum erat, cùm viueret
Cuiuſlibet moleſtiæ

Suauiſq; delectatio, dum dexterum,
Dumq; alterum crus verberat
Cauda, aut in altum more ſemicirculi
Reflexus, arcumq; æmulans
Se bellulè venuſtulo dorſo eleuat,
Spectante cuncta hæc Vrſula.
Quæ dum Catellum mortem obire conſpicit,
Quem plus ſuo illa corculo
Amauit, ac ei fuit iucundior,
Quàm Lesbiæ paſſerculus,
Et quàm Cupidinis parenti, & Iaſidi
Celerrimæ mala aurea.
Effundit ab ſuis ocellis lacrymas
More effluentis riuuli:
Flauosq; ſcindit vnguibus crines, ſua
Tunditq; palmis pectora.
Seq; impiam vocat, vocatq; perfidam,
Et frigidis ſerpentibus
Crudeliorem, quòd catellum amabilem
Per hos dies contempſerit.
Negatq; velle, aut poſſe poſthac viuere
Priuata tanto gaudio,
Tantoque cæli munere, ac grauiſsima
Suo minatur corpori.
Sed blandulis ſermonibus tum ſedulæ
Solantur illam ſeruulæ.
Quæ cum doloris maximi præſentibus
Notas dediſſet omnibus
(Nam cognito caſu catelli plurimi

Eum in locum conuenerant)
Lenire viſa eſt alta cordis vulnera.
At nunquam ab illo tempore
Ridere, vel gaudere vidimus, nec id
Vidiſſe quenquam audiuimus.
Quinſi Catelli fiat huius mentio
Non temperare a lacrymis
Poteſt, & adiurat fore, vt dum ſpiritus
Tenellulos artus reget,
Contenta nunquam viuat: ac omnes Deos
Incuſat, illosq; arguit
Crudelitatis, quod ſibi tot gaudia
Tot deliciola extinxerint.
Quare obſecro te ſumme olympi conditor,
Tecumq; reliquos cælites,
Qui curam habetis omnium mortalium
Rerum, vt catellum ab inferis
Ne educere ad vitam grauemini, vel vt
Formoſiorem deſuper
Mittatis huc, pulcerrimæ ſi vlla amplius
Vos cura tangit Vrſulæ.

DE IVLIO CAMILLO.

Te, Latiæ, Tuſcæq; Lyræ lius prima Camille,
Monſtroſi, ingentiſque repertor clare Theatri,
Illa cui cedunt ſeptem miracula mundi,
Garrula quæ tumido iactat ſermone vetuſtas,
Biſquinã nondum explentem triederida, acerbum
Abſtulit heu ſatum: & vetuit mortalibus ægris
Indoctæ mentis denſas arcere tenebras.

IO. M. TOSCANVS.

IVLII CAMILLI.

Ad Petrum Bembum.

BEmbe decus Venetum, cui circum roſcida culta
Aonidum ars eſt, ex qua æternum ducis honorem,
Quid quæſo hoc eſt? quid? multos ego multa per annos
Congeſſi ex ſcriptis veterum: multa otia rupi
Mentibus vt iuuenum per me labor omnis abeſſet
(Si poſſem, atq; auſis diuina his numina adeſſent)
In rebus, verbis, arte, artubus, articulisq́;.
At genus eſt hominum, vulgo quod ſuſtulit ante
Aſſenſum nobis, & dicta admonuit acerba,
Quàm luſtrauit opus ſenſu, quo ſæpe tenax mens
Cùm geſtum ratione videt quid, cum ordine geſtũ,
Conſentire ſolet: quoniam dat vera fidem res.
Fac elementa, quibus paucis variata figuris
Innumeris legimus quam-multa volumina chartis
Ignorare homines, libroſq́; extare per orbem,
Atque ex ignaris tandem vnum exiſtere, qui ſe
Spondeat hæc paruum, quæ non finita videntur,
Acturum in numerum: quis Bembe huic crederet vni?

Inq́; notas vnquam quis ſcripta putaret eaſdem
Recidere aſſiduè? at ſunt inuidioſa reperta.
Te cultrix nemorum teſtor, te pinniger Hermes,
Te Venus, atque vno qui cernis lumine cuncta,
Te belli, te cæli rex, te falcis aduncæ,
In quorum ſeptem hæc moles tam dædala mundi
Numine tota eſt, atque ſimul mea machina tota eſt:
Vos certa mundi verſatis mœnia lege,
Vos certa noſtri regitis loca picta theatri.
Nam ſi quod ſub, ſupraq́; eſt, circumq́; videmus,
Quicquid in amplexu eſt veſtro, natura creatrix
Perfecit, non eſt naturæ a lege remotum,
Me fines rebus, verbis, artiq́; parare:
Hæc quoniã quæcunque locum tria vincla tenebũt,
Diuitiæ caſti ſermonis, materies, ars.
Verba etenim ipſas res ſignant, quas veſtra poteſtas
Continet, extra quas aliis ſunt auia clauſtra.
Et quamuis prima ſuſcepti mole laboris
Et res, & verba, & minima horum, & maxima (quæq́;
In prõptu poterũt ſtudioſis omnibus eſſe:
Delectus tamen horum obſcurus, iudiciumq́;
In tenebris, niſi lux (quæ ſemper in arte magiſtra,
Et media eſt inter res, & rerũ inter amictus)
Scriptorum mentes cæcis arceret ab vmbris.
Quinetiam ars alia eſt illi, qui verba ſolutis
Contexit numeris populo, aut ſpectante ſenatu,
Inſano ve foro, vel nunc tu qualia Bembe
Aeternæ mandas famæ ſæcliſq́; futuris
Inclyta deſcribens Venetum tot geſta tuorum:

Atque illi, qui plena Deo ſacróque furore
Ad raucum fontis murmur laticiſque perennis
Aut cinctus Paphio, aut victrici tempora ramo
Serpentive edera, circum ludentibus auris
Inter odoratos flores canit, inter & vmbras,
Cui pulſi reſponſant luci amnéſque ſonori:
Quorum quis maior, tu qui æmula dignaq; Phœbo
Bembe facis, melius poteris quandoq; referre.
Hoc ego: res nunquam verborum luce niteret,
Luminis in puras ni ars certa educeret oras,
Materiem quæ altè mentis pernicibus alis
Attollit ſecum. ſapiens, qui firma reliquit
Prima ſolo veſtigia, deinde potitus aperta
Planicie ſocios iam curſu præterit omnes:
Mox animo exultans diuum ſublimia tentat.
Atque Plato ſuperum qui oculos in numine fixus,
Hiſque inhians diuinam ingenti pectore curam
Concipit, ad terráſque docens deſcendit ab alto.
Atque aliter ſacrum fului os auri, aurea lingua,
Sacrorumq; alij proceres: quorum (o ego poſſem!
O leti incertos caſus mea vinceret ætas!)
Cuncta ſimul tandem digeſta in ſede paterent
Dicta ſua, fuerant quæ iam diſperſa per omnes.
Sic eadem ſedes præberet cuncta legenti,
Diſsidium tandem ſic linguæ & cordis abeſſet.
Sed modo me moueãt quæ vltro Rex maximꝰ olim
Munera promiſit tantũ digniſsima cœptis,
Forte ego multorum auxilio, duróque labore
Præripiam morti immortales primus honores.

Hoc volui ſcires, dum res abitumq́; pararem
Diſtentus, totiesq́; Italus reuocatus ab oris:
Ne de me incertus rumor, variusq́; feratur
Amplius, hæc ſcriptis committo: cætera coram.

Damon Egloga.

Damon crudelis, Damon, quem pectore toto
Nequicquam miſera excepi, patriamq́; peroſa
Vt tibi ſerua forem, vernantia Leminis arua,
Adriacas Nymphas, & Daphnin dura reliqui.
Ergo ego Nympharum nō vltima, ſpreta reuertar?
Ergo ego quæ toties Muſis immiſta Latinis,
Luminibus Faunos cœpi, Phœbúmque canendo,
Nunc patrios ſaltus Muſis malè grata Latinis
Luminibus cantúque ſimul contempta reuiſam:
Méne fugis Damon? Damon mea maxima cura,
Cura Deum, paſtorq́; hominum, cui Celtica rura,
Rura immenſa, immenſis parent paſcua campis.
Quam fugis ah! Nympham Damon, cui lilia cordi
Sun tibi quæ cælo miſit Venus aurea quondam,
Aurea ne ſpernas contextis lilia virgis.
Poſſum ego, cùm varios tibi ducunt prata colores,
Et cùm fluminibus glacies retinacula tendit,
Arbuteis violas halantes ferre caniſtris
Ni refugis, poſſum vitæ immortalis honorem
Ambroſium & longum mortis domitura ſoporem
Miſta papaueribus: Damon mea myſtica neſcis.
Sunt mihi cæleſtes hauſtus, arcana Deorum,

DE HIPPOLITO CA-PILVPO.

Non ſatis heroo eſt ſuperas quòd Mantua verſu,
Ni Calabræ parias æmula plectra lyræ?

I. M. Toſcanus.

V iiij

HIPPOLYTI CAPILVPI.

IAm deſiderium me rapit inclyti
Laudes egregias dicere Cæſaris:
Sed tentare meus rem
Tantam me prohibet pudor.
Ne fortè eueniat turpiter id mihi
Quod plerisq; ſolet, qui ſibi vendicant
Res magnas celebrare, &
Fœdis carminibus linunt.
Perfectum ingenio nil niſi maximo,
Maieſtas recipit Cæſaris: at mihi
Paruum eſt, nec bene cultum,
His nec rebus idoneum.
Non hæc conueniunt alta rati æquora
Noſtræ, remigiis omnibus, & duce
Nudæ: queis ſine fluctus
Perferre haud potis eſt ſatis.
Nam rerum cumuli ſe innumerabiles
Geſtarum obiiciunt, non ſecus ac noua
Nautæ puppe ſecanti
Aegeum mare Cyclades.
Turpe eſt, cùm integra non ſint tibi carbaſa,
Atque vſus pelagi non bene cognitus,
Te committere ponti
Certis ſponte periculis.

Digitized by Google

At quis nauigij non rudis artium
Se tam vaſta maris mittet in æquora,
Necnon vndique magni
Laudum turgida fluctibus?
Quis dignè porterit carminibus ſuis
Tanti facta viri intexere? bella quis
Tot confecta, ſubacta &
Regum colla potentium?
Adiunctáſque nouas imperio inſulas,
Extremi poſitas Oceani in ſinu?
Quas nunquam prius audax
Mercator tetigit rate.
Quis nuper domitos, vix ſuperabiles
Thracas, Pannoniæ qui intulerant metum,
Quos hic nomine, & ipſo
Aduentu dedit in fugam?
Vt venti validi vis facilè aëre
Collectas nebulas diſsipat, & diem
Cælo inuecta ſereno
Sublatam ex oculis refert:
Cæſar non aliter conſilio potens,
Confertas acies diſpulit hoſtium:
Excuſsitque tenebras,
Lucem Pannoniæ inferens.
En ſoles populis ſplendidius nitent:
En iam fertilior frugibus eſt Ceres:
Pleno & Copia cornu
Apparet iam opulentior.
En Pax arua colit, gratáque Fauſtitas,

Securúſque humili ruſticus in caſa,
Fretus farris aceruo,
Largè ligna ſoco ingerit.
At, ſi illum agri odium mox capit, atque amat
Mercator fieri, per maria vltimos
Naui accedit ad Indos,
Currens tutum iter, & patens:
Nec ſolus rapidas incidere in manus
Prædonum timet: his nam freta libera.
Prò Dÿ, quàm bene longas
Cæſar conſuluit vias.
Terras moribus ornauit: & omnia
Eraſit ſcelera, & frena ſuperbiæ
Iniecit, docuítque
Iuſtum quid deceat virum.
At quò oblita tui muſa rus procax?
Quin inflata nimis contrahe, contrahe
Vento vela potenti, &
Te in portum cito coniice.
Culte o Taſſe tui viribus ingenî
Apta eſt materia hæc, atque laboribus.
Te non lucidus ordo,
Non facundia deſeret.
Ergo ſume tibi ſcribere Cæſaris
Laudes, & numeris non humilis lyræ
Famam extendere, tellus
Quacunque eſt habitabilis.
Dum immortale ſonans grandia concines:
Exacto tenui pumice carmina

Dicam, quæ mihi ocellus
Meme ſurripuit ſuis.

Ad Pium. III. Pont. Max.

Cùm ſolus meditor maxime principum,
Quot tu ſuſtineas mente negotia,
Et curæ tibi circum
Quàm magnæ ſaliant latus:
Sic mecum tacitus: ni tot in arduis
Rebus ferret opem, qui regit aurea
Solo ſidera nutu,
Iam feſſus rueres ſenex.
Hinc tu ſollicitus, concilij caput,
Curas iura patres conſtituant ſacra,
Necnon ſedulus vrbem
Formas legibus aureis.
Hinc dum tincta ſuo ſanguine Gallia,
Et proiecta tuos ante pedes refert
Diuûm diruta templa,
Ingens te dolor opprimit.
Nec veſtræ lacrymis ſæpe carent genæ,
Cùm regni retegit vulnera nobilis,
Quod gens impia perdit
Diris ſeditionibus.
Quid dicam iuuenem carmine lugubri,
Qui ſpes magna tuæ iam fuerat domus,
Quem mors pallida nocte
Heu heu perpetua premit?

Aetatem, & iuuenis Carolus ut ſenem
Te maiore laborum
Iam parte exoneret, ſinas.
Huic arcana tui pectoris intima
Committis meritò: huic ingenium, & fides,
Qua non candida luna
Cælo ſplendidius nitet.
Atque aures faciles huius, & atria
Alta, vt diuitibus, pauperibus patent.
Certè hic numine Diuum eſt
Nobis miſſus ab æthere.
Ergo o Tibri caput iam altius efferas:
Nam regnante Pio, & ſoſpite Carolo,
Ganges vortice, & Indus
Pontum te minor influet.
Et Romana colet templa, nec amplius
Leges concilij Gallia reſpuet,
Nec Germania rumpet,
Aut edicta Britannia.

Ad Herculem Gonzagam Cardinalem.

Gonzaga e veteri ſtirpe potentium
Regum nate, Pius quam tibi credidit
Iuſſu non ſine Diuûm
Saluam reſtitues ratem.
Vires ipſe tibi, & conſilium Deus
Præbet, quò valeas æquoris omnia
Effugiſſe pericla,

Ventorum & rabiem, & minas.
Hinc Syrtes licet, hinc Acroceraunia,
Dum curru tumidum per mare, mugiant,
Et caligine cæca, &
Nimbis fluctus inhorreat.
Patris ſumma tamen te ſapientia,
Qua vere tenebras diſcutit, & domat
Ponti monſtra profundi,
Infidum per iter regit.
Quem fers aſſiduè, plurimus eſt labor,
Et pondus, fateor, vix tolerabile:
Quod iactantibus Euris
Nauim per freta ſuſtines.
Perfer. non facili ſcandere tramite
Montem fas homini, ſole vbi clarior
Virtus tempore in omni
Certis fulget honoribus.
Sic multa ipſe etiam peruigil Hercules,
Cuius nomen habes, aſpera pertulit:
Cùm magnis ſibi factis
Aeternum peperit decus.
Nam mala Heſperidum non piger abſtulit:
Et centum domita eſt Hydra periculis:
Cui par altera iam iam
Veſtra preſſa manu cadet.
Et iam parta tuis poma laboribus,
Quæ ſerpens vigili lumine, fauceque
Seruat ſemper hianti,
Ad dulces referes lares.

Et virtute Pij, & concilij, & tua,
Depulſis procul hinc relligionibus
Falſis, Roma reſurget
Longe pulcrior in dies.
En ſecura tuo præſidio uolat
Puppis per liquidas Oceani vias,
Spretisq; omnibus vndis
Iam portus ſubit oſtia.
Huic cedat celebris nauis Iaſonis,
Quamuis vellus ouis vexerit aureæ,
Et fulgentia cælo
Inter ſigna renideat.
Hæc luſtrata Dei lampade maximi,
Cunctis ſplendidius ſideribus micat:
Et fert nocte fugata
Nobis perpetuum diem.
Nec Typhis, pelagus qui trabe nobili
Audax iam ſecuit, ſe tibi comparet,
Non tot fluctibus actus,
Non tantis ſpoliis grauis
In portum rediit. Tu ſuperans fretum,
Quod præter ſolitum murmurat, & fremit,
Tuto litore ſiſtis,
Reddiſque incolumem ratem.
Et ditas patriam diuitiis potens,
Quas non diues Arabs, non Tagus aurifer,
Non dat terra Sabæa,
Nec rubrum mare poſsidet.

De pace inita inter Philippum & Henricum Reges.

Alma Pax tandem tenues per auras
Explicas pennas veniens Olympo,
Fers & optatam requiem laborum
Aurea terris.
Huc ades noſtras miſerata cædes:
Queis adhuc agri recalent cruenti,
Et rubent lymphæ fluuiorum, & alti
Marmora ponti.
Cuncta ſed iam te redeunte rident,
Cuncta mutantur, viret ipſa tellus,
Enitent fontes, fluuij, lacúſque
Et ſalis vndæ.
Tu, velut ſol ætherius, refulges,
Et diem reddis tenebris fugatis.
En niger belli timor hinc refugit,
Luctus & omnis.
Nulla flens vxor reuocat maritum,
Signa dum Martis ſequitur, nec vlla
Filium mater mediis in armis
Deflet ademptum.
Puppe mercator liquidas per vndas
Aequoris currit grauis ære, & auro:
Nec tamen prædo ferus vllus illi
Se obuius offert.
Iam capit tutus requiem colonus
Paupere in tecto, patrióſque campos

Vomere

Vomere exercet, fruitúrque pace
Pacis amator.
Militum iam iam galeas, & enſes
Occupat turpis ſitus: at renidet
Trita falx vſu aſsiduo; atque leue
Splendet aratrum.
Hoc tibi acceptum referunt agreſtes,
Galliæ Rex, atque tibi Philippe:
Qui tot Europæ populos gubernas
Aequus, & Indos.
Munus hoc veſtrum eſt, odióque & ira
Mente depulſis, poſitis & armis,
Fœdere & iuncto reuocaſtis alto ab
Aethere Pacem.
Pace quis iam compoſita timebit
Amplius Thracum celeres ſagittas?
Quisve iam magnas equitum cateruas?
Quisve triremes?
Regna ſunt vobis opibus referta,
Notáque in rebus dubiis iuuentus:
Pectus eſt vobis, animique virtus
Neſcia vinci.
Quæ modo inuicti poſuiſtis arma,
Rurſus audentes capite; atque in hoſtem
Nominis noſtri, & fidei ſecundo
Vertite Marte.
Hac iter vobis erit ad beatas
Aetheris ſedes, ſuperúmque menſis,
Et choro accepti ferietis altum

Vertice Olympum.

AD LYCORIM.

AEthera ſol rapido percurrens aureus axe,
Horæ momento dátque adimitq; diem.
Tu nos argutis percurrens aurea ocellis,
Horæ momento dáſque adimíſque diem.
Hinc ſe felicem dicit, quem lumine luſtras;
Quem ſpolias, miris ſe miſerum eſſe modis.
Sol varios flores e pratis elicit, at tu
Diuinos ſenſus elicis ex animis.
Inter ſidereos vnus ſol enitet ignes,
Inter virgineos tu quoque ſola choros.
Ergo tibi, & ſoli ſi par conceſſa poteſtas;
Sol alter nobis, pulcra Lycoris, eris.

Ad Carolum IX. Gall. Regem.

QVi tibi ſæpe dolos ſtruxit, qui vincla parauit,
Tu puer in laqueos induis arte ſenem.
Vtq; manu Alcides preßit fera cornua tauri,
Sic premis illius colla ſuperba pede.
Et telis Pythona trucem, velut alter Apollo,
Qui tua vaſtabat regna opulenta, necas.
Nunc florent, tollúntque caput tua lilia, & aſtris
Clarius, hoſtili tincta cruore micant.

Ad Federicum Pendaſium.

Pendaſi amicis omnibus cariſſime
Quid vſque libris inuolutus nunc agis?
Cauſſas ne rerum in luce clara collocas
Scriptis opaca nube nobis abditas?
An ſidera extra mente tendis altius
Scrutans ſacrata peruigil volumina?
Mihi relatum eſt, te polire pumice
Quendam libellum, quem diebus proximis
Texiſti, & arte & ingenî vi maxima.
Mirum nec vlli: nam perennes euomat
Cur Aetna flammas noſcis, & quo fulmina
Pacto creata ex arce cæli decidant.
Et vnde flabris vexet Auſter æquora,
Suíſque pontus finibus non exeat.
Nec quidquam in atra condidit caligine
Natura rerum, quin tibi ſit cognitum,
Poſſiſque verbis explicare candidis;
Seu vis Latinis, ſiue manis patriis.
His te decorum, & præditum virtutibus
Mirantur omnes, & beatum exiſtimant.
At mi videris eſſe diuis proximus,
Choríſque eorum iure dignus inſeri,
Quòd nullus auri pondere, aut honoribus
A recto & æquo te poteſt deducere.
Quòd tu timore mortis, ipſo a tramite
Virtutis vnquam non recedis animo;

Quòd omnibus ſis dulcis, atque amabilis
Tuo lepore, & comitate, & moribus.
Hæc illa virtus, quæ me amicum reddidit
Tibi, facitque, vt vnicè te diligam,
Optémque tecum viuere, vt tuæ fruar
Mentis nitore, & aureis ſententiis,
Quas fundis ore, in quo repletæ floribus
Puróque rore mella conſtruunt opes.
O me beatum, ſi mihi fas leniter
Quod reſtat æui tecum amicè degere.
Sed ipſa quando nunc meis neceſſitas
Aduerſa votis me tenet; quin aduolem
Ad te repente, ſis mei non immemor.
Mihíque amore (quod facis) reſpondeas,
Viuáſque felix cum tuorum copia
Librorum, amici qui tibi ſunt optimi,
Tuiſque ſæpe me reuiſas litteris,
Quibus mihi eſſe nil poteſt iucundius.

Ad Antonium Ianottum Epiſcopum Foroliuienſem.

IAnotte, nullus quo mihi iucundior,
Qui temperare acerbitatem temporum
Tuo lepôre, & ſuauitate es efficax,
Fixáſque curas mente amici auellere,
Iam me reuiſe, quid moraris amplius?
Siccæ receſſit ſtella iam Caniculæ,
Et blanda mordent leniter nos frigora,

Nec puluere vllo ſordida aut luto eſt via,
At pulcra & ampla, párq; adhæc virentibus
Obtecta quercus hic & illic frondibus.
Nec obſtat ipſe cui libens obtemperas
Iulus vrbis lumen, atque orbis decus,
Quin te relaxes occupationibus,
Vt noſtri amoris perfruamur fructibus.
Ni me reuiſes, iam furentem ſenties,
Paßim & replentem voce campos horrida
Velut leonem; qui catello mitior
Ludit Piſauri cum puerulis, & ſilet;
Vincliſque liber ferreis, & carcere,
Non figit vllum dente duro, aut vnguibus.
At derelictus ſolus v turba, fremit;
Caudáque terram ſæpius ferit ferox;
Irarum & æſtu concitatus perfurit.
Amariorem non ſenectus me facit,
At ipſa ſolitudo; qua nil triſtius
Effudit vrna, quæ intulit mortalibus
Quicunque tentant noſtra, morbos, corpora.
Hic elegantes ſint licet multi viri,
Et litterati & præditi virtutibus,
Queis cum libenter temporis partem tero
Sermone dulci: non tamen ſic intimus
Nobis eorum quiſque, vt illi credere
Alta latentes mente ſenſus audeam:
Hoc eſſe videor mancus & ſolus mihi.
At arcta tantum ſunt amoris vincula,
Quæ nos peractis quinque luſtris vinciunt,

Tuique mores ſic meis conſentiunt,
Vt vnus ipſe turba mi ſit maxima,
Vitámque tecum dulce ſit traducere,
Tibique noſtro corde preſſa pandere.
Quid in ſecundis eſt amico ſuauius?
Qui cum iocari & perfrui poßis bonis.
Quid rebus illo in aſperis optatius?
Qui conſulendo te iacentem ſubleuet,
Curáſque amaras comitate leniat?
Exoptet alius plena farris horrea,
Et mille ſeptus ambulet clientibus;
Magniſq; rerum copiis circumfluat,
Auro & ſmaragdis impeditus tempora:
Ianotte tecum ſit mihi fas viuere:
Seu rure læto in otio, ſeu turbidos
Inter tumultus vrbis, in negotiis.
Vbique nobis ſuauitatis plurimum
Affert vetuſtas noſtri amoris mutui,
Et acta vita pariter, procul dolis,
Riſúſque àb omni parte liberalibus
Iocis ſeuera condientes, & ſale:
Nouique ſemper cauſſa nobis gaudij eſt
Rerum memoria, quas ſimul tractauimus,
Nec non laborum, quos diu ſubiuimus
Iactati ab aulæ ſæpe nigro turbine,
Dum puppe eàdem vecti in altum tendimus.

Ad Paſqualinum.

AMice candide & mihi cariſſime,
Quem ſum fidelem expertus in periculis,

Meiſque rebus proſperis dulciſſimum.
Magis beatus mi videris omnibus,
Quicunque in vrbe, Paſqualine, viuimus.
Præſens, & acta vita cognita eſt tua,
Tuique ſenſus non mihi reconditi.
Vixiſti honeſtis ſemper in negotiis,
Prudens, apertúſque vt virum probum decet,
Nec vlli acerbus, aut moleſtus, aut grauis:
At nunc ſolutus omnibus curis, tibi
Viuis, nec aurum te, aut honores detinent,
Quos obtulere ſponte amici & ſæpius,
Quin deſtinatum perſequaris otium.
Rectè beatus tu potes vocarier:
Nam mortis inclementiæ non immemor,
Quæ dura nos vel oſcitantes opprimit,
Freno, & catena ſpiritum domas tuum,
Nec ampliare rem laboras amplius:
Sed quod paraſti, eo libenter vteris.
Non te catinum lucidum magis vitro,
Saliſve puri pulcra concha deficit,
Nec te miniſter, qui ſalubres colligat
Herbas, & arte non ſueta condiat:
Tibíque menſa ſtrata ſemper floribus
Ridet, nitétque, vt prata veris tempore:
Iactátque odores hinc & hinc ſuauiſsimos.
Nec vina deſunt poculis ſpumantibus,
Quæ laſſa poſſunt recreare corpora.
Abeſt nec hædus, nec caniſtra dulcibus

Repleta pomis, quæ dat arbor fertilis.
Hoc apparatu ſæpe amicos accipis,
Quorum lepôre captus obliuiſeris
Quæcunque nobis vita fert incommoda.
Nec æqua mens in aſperis rebus tibi,
Nec deeſt ſecundis: hæc quietis eſt caput:
Hæc te beatis regibus parem facit.
Tu ſemper idem, ſiue te furentibus
Impelli ab euris huc & illuc cernimus,
Seu tutum ab atro turbine æuum degere.

Ad Car. IX. Gall. Regem.

Fortunate puer, paret cui Gallica tellus,
Quique vafros ludis peruigil arte viros.
Ille tibi debet, toti qui præſidet Orbi,
Cui nihil eſt cordi relligione prius.
Namque tuis iuſſis diuum contemptor, & armis
Concidit, & ſæuis nunc iacet eſca lupis.
Sic templis quem longa dies, quē iniuria honorem
Abſtulerat per te reddidit vna dies.

Ad Ioannem Auſtriacum.

Te pater aſpiciens ex alto Cæſar Olympo,
Aequoreum celeri dum trahe curris iter:
Perge Puer, dixit, nec te iam barbara claſſis
Terreat, aduerſo quæ mouet arma Deo.
Ecce tuam circumuolitat victoria puppim,
Ecce ſuas ponunt Eurus, & vnda minas.

Macte animo: vt dederã terris ego iura ſubactu.
Sic tibi deuictus ſeruiet æquor aquis.

Ad Venerem.

CYpria, ſeu celeri veheris ſuper æthera concha,
Siue Gnidi niueo nunc premis arua pede:
Aſpice vt Aegæis exultans barbarus vndis
Auferat e diti rapta trophæa Cypro.
Ille tuos populatus agros, tua regna ſuperbus
Iam ſibi terrarũ cuncta ſubacta putat.
At tumidum tu merge ſalo, & da piſcibus eſcã,
Nam potes: è rapido tu dea nata mari es.
Et Boreas paret tibi Amoris ſaucius arcu;
Saucius & pelagi Rex tua iuſſa facit.

Ad Vincentium Gonzagam, Mantuæ Principem.

DVm petis alta ſacri tenero pede culmina vidi,
Ex quo te dulci voce Thalia vocat.
A Grotto neflecte aciem ſate ſanguine Regum,
Ardua qui tutum per iuga monſtrat iter.
Neu labor a tantis vllus te terreat auſis,
Ecce tibi e ſummo gloria monte nitet.
Illa dies noctéſque tuum vigilare Maronem
Iuſſit, vt egregia fingeret arte modos.
Illa tuum toties Ferrandum frigus, & æſtum,
Et graue Mauortis ferre coegit onus.

Te quoque multa decet tolerare, vt verſibus illi,
Huic armis ſimilis, clara per ora voles.
Non honor eſt facili legiſſe e colle coronam,
Nec præda exiguo parta labore iuuat.
Ergo vigil decerpe ſenis dicta aurea Homeri,
Sicut apes flores quæ legit ante diem.
Et radio metire ſolum ſtelláſque globúmque
Solis, & ingentis littora curua maris.
Vtq; Iouis celeri volucris ſecat aëra penna,
Sic mente æthereas tu quoque curre vias.
Iamq; frementis equi preme terga ſuperb', & aude
Dente feros haſta ſternere paruus apros.
Alcides etiam geminos puer impiger angues,
Dum tumidi tollunt ſibila colla, premit.
Sed colere imprimis ex toto corde potentem,
Diſce Deum, & leni nos regere imperio.
Nunc ſtudia hæc cordi tibi ſint: at pulcra iuuẽtas,
Veſtierit primo cùm tibi flore genas,
Tunc in bella rues, Thracaſq; animoſus in hoſtes,
Et dabis aduerſos pectore & enſe neci.
Et ſpolia in patriam magnis quæſita periclis,
Oceano, & terra Marte fauente, feres.
Tunc ego, ſi dederint tantis ſupereſſe triumphis
Fata mihi, numero te grauiore canam.
Interea hoc exile mei cape pignus amoris
Carmen, & inceptum perfice lætus iter.

Ad Ioannem Auſtriacum.

O Decus Europæ iuuenis, qui ſanguine cretus
Cæſaris, audaci nunc freta claſſe ſecas.
Iam cape tela manu téque aude credere pugnæ:
Cuncta tibi cæli ſigna ſecunda fauent.
Nulláque iam pluuias auis increpat ore morãtes,
Nec turbata Notis amplius vnda tumet.
Et turpi dat terga fugæ perterritus hoſtis,
Qui videt imperium te penes eſſe freti.
Rumpe moras, & vince mari felicibus auſis:
Nullus erit terras mox domuiſſe labor.
En tibi Roma *parat, terra, pontóque ſubacte,*
Auguſtum duplici cingere fronde caput.
I*am venias, diuûmque ſacris infige columnis*
Victor in Aegæo parta Trophæa ſalo.
Et Graio domiti in campo ſpolia ampla Tyrãni,
Puppe coronata per maria alta vehas.
Huc etiam tuus euictis pater inclytus Afris
Aurea de Lybiæ littore dona tulit.
Et merita ornatus, populo plaudente, corona,
H*ac niueo inceſsit ſæpe ſuperbus equo.*
Felices ambo, nam te quoque læta fouebit
Iure triumphantem Martia Roma ſinu.
Illa tuos nunquam ceſſabit tollere honores
Laudibus, & nomen voce iterare tuum.
Cùm te victorem exuuiis orientis onuſtum
Cernet & ante tuas oppida capta rotas.

Hæc inter Paphō agnoſcet bimaremq́; Corinth̄,
Et Gnidon, & claram ſole nitente Rhodon.
Et loca ſacra tuo nobis quæſita labore
Suſpiciet, quondam ſanguine tincta Dei.
Spectabitque ſuo currentem mollius Indum
Flumine; nam victis per vada ſerpet aquis.
Brachiáque euinctos Thraces poſt terga videbit,
Atque Deo captas mille fauente rates.
Quique erat Italiæ populis modo terror, & horror,
Aſpiciet dantem colla ſuperba iugo.
His oculis paſcens mirabitur inclyta Roma
Magni facta patris, te ſuperaſſe tuis.
Ille dedit terris leges victricibus armis
Notus & Eois, notus & Heſperiis.
At tu (ſic placitum ſuperis) felicior illo,
Et pelago, & terris aurea iura dabis.

In Innocentes Martyres.

INſontes pueri vos licet e ſinu
Materno eripiat gens fera, & impio
Vos ſternat gladio, vt dente lupi ſecant
Abſtractum a ſtabulis pecus:
Veſtro veſtra tamen pectora ſanguine
Perfuſa innocuo, clarius emicant.
Quàm lunæ nitidæ cornua, cùm vagi
Solis lumina colligunt.
Adiunctos numero cælicolùm, ſuis
Vos luſtrat radiis qui regit omnia,
Et vobis ſolidæ munere gloriæ

Donat pro nece perfrui.
Felices animæ vos iubar additis
Signis æthereis, & ſuperum choris
Sic gemmæ pateris dant decus aureis;
Fulgentique roſæ vitro.
Ad vos o pueri confugio ſenex
Vt victus prece veſtra omnipotens pater,
Aeterno accipiat me gremio, nigras
Cùm mors iniiciet manus.
Quamquam purpureis edere adhuc labris
Neſcitis teneri mente latentia:
E cælo tacitas ille tamen preces
Veſtras auribus hauriet.
Miſtus lacte cruor, quo rutilat ſolum
E veſtris roſeis dum fluit oribus,
Seſe tollet humo; vox veluti leuis,
Et ſummum feriet polum.
Pro Chriſti imperio, & nomine qui ſua
Supponunt rigidis colla ſecuribus,
Extincti veniam ſanguine ſupplicij
Nobis a domino impetrant.
Vos ergo ante Dei ſuppliciter pedes,
Abſciſsi validis membra bipennibus
Mecum corde preces fundite: paruulis
Nam magnus Deus annuit.
Præ tantis meritis vos ego carmine
Nunc dicam patrio, nunc Latio canam,
Cùm terras rutila ſol tetigit face,
Cùm nox in tenebris ſilet.

Ad Romam, de Hortis, qui vocantur vulgo Beluedere.

SAlue Roma Pÿ magnis decorata triumphis,
Illius & larga facta beata manu.
Nunc merito caput extollis, modo mœnibus aucta
Tutáque, & egregiis conſpicienda viis.
Et meritò iactas educta Palatia cælo,
Et nuper miris ſtructa Theatra modis.
Hæc centum cumulata bonis ad ſidera ſurgunt,
Diuitiiſq; nouis iure ſuperba nitent.
Hìc ſigna, hìc ſtatuas cernes, & fronte columnas,
Queis magis haud vſquã lucida gemma micat.
Hic quoque ab inſomni iam custodita dracone
Aurea dat nobis mala beatus ager.
Et totus viret aſſiduè florentibus herbis,
Semper & Aſſyrio fragrat odore locus.
Hîc etiam volucrum cantus bibis aure canoros,
Et potes hîc vitreo pellere fonte ſitim.
Pulcrius hoc pulcro aſpectu nil vidimus unquã,
Non ſol qui lustrat lumine cuncta ſuo.
Non illis certare auſint opera vlla, vetusto
Tempore quæ doctæ iam poſuere manus.
Salue Roma iterum, iam te formoſior ipſa,
Poſſem vtinam laudes concinuiſſe tuas.
Sed quis tanta canet decori decora addita priſco?
Carmine quis dicat tot benefacta Pÿ?
Quis dignè poterit diuum ſurgentia templa,
Montéque deductas ſcribere fontis aquas?

Quiſve Pij magni dictam de nomine portam,
Formoſo quæ nos excipit ampla ſinu?
Quis referet tota vt fuluo lita fulgeat auro
Regia, & ornatus explicet Aula ſuos?.
Illa mihi oſtentat diſtinctos marmore muros,
Quod nobis quondam Græcia victa dedit.
Noſtráque non vanis picturis lumina paſcit,
Cùm nos picta patrum ſplendida facta docet.
Hoc Regis mirantur opus, qui numine ſancto
Huc ducti, ſacris oſcula dant pedibus.
Roma tibi Aegypti cedant miracula, & vrbis
Quæ ſtat in Adriaco tam veneranda mari.
Nec certent quæ nauta nouo rate vectus ab orbe
Ante focum vxori nocte ſilente refert.
Stes vtinam æternum: & multos pater optimus annos,
Vt facit, egregia te PIVS arte regat.

DE IACOBO BON-FADIO.

HAud minus intumuit nuper Benacus alũni
Bonfadij, ac Muſis culte Catulle tuis.
Bis tamen infelix: rapuit nam Roma Catullum;
Bonfadium leto das ſcelerate Ligur.
Genua Bonfadium quamuis, & Roma Catullũ
Abſtulerint; doctos non rapuere modos.

I. M. TOSCANVS.

IAC-

IACOBI BONFADII VERONENSIS.

MOENIA cùm Saloi, & Benaci littora linquo:
Dextra iter ingreſſum per opaca, & florida rura
Me breuis, & facilè accliuis via ducit apricum
In collem, Cereri placitum, patrique Lyæo,
Et placitum altrici ſemper frondentis oliuæ.
Planities iacet in ſummo cultiſsima: primo
Huius in ingreſſu oppidulū eſt: Salaminius olim
Fadius egreſſus patria, Patauique ſecutus
Fundatorem vrbis, poſuiſſe in littore ſedem
Dicitur: atque plagæ mox acri incenſus amore
Hunc optaſſe locum Gazæ: quam diues auito
Theſauro ſecum extulerat: tum nomine ab illo
Gazanum dixiſſe propinquas collibus arces,
Claráque magnanimûm ſtabant monimenta virorum.
Sed rerum abſumptrix, retróque abſtruſa vetuſtas
Obruta in obſcuris ſecum omnia cōdidit vmbris.
Hinc aciem procul in campos, terráſque iacētes
Lætáque Benaci protendere in æquora poſſum.
Vicini montes Boreæ de parte; reducit

Et qua Sol radios, quáque altas abdit in vndas,
Circunſtant: facies ſpectanti celſa theatri
Formam offert. ſæpe indigenæ videre ſedentem
Pana Deum Arcadiæ, calamos cũ inflaret in altis
Rupibus: & nymphas per ſibila læta vocaret,
Nymphas, quæ plexis redimitæ tempora ſertis,
Paſtorum loca ſola petunt, ſiluíſque pererrant,
Omnia complentes luſu, dulciq; cachinno.
Naïades quibus aſſultant de rupibus imis,
Solẽ vbi ad Heſperiũ præpingui e valle volutus
Flectit iter rapido, atque ſonanti flumine Cliſis:
Quem dulces aurarum animæ comitantur, & alis
Per placidum leuibus volitantes aëra circum,
Omnem diuinis miſcent afflatibus oram:
Dilecta ora mihi, Italiæ ridentis ocelle,
Naturæ lætantis opus, ſancta ora Deorum,
Quàm lætus gelidos fontes flexúſque tuarum
Lympharum, Tempéque ſoli, cœlumq; reuiſo:
Quamq; libens vix ipſe mihi credo æquoris vndã
Tyrrheni, & Calabrûm ſaltus liquiſſe niuales,
Inq; tuo incolumis gremio reſidère virenti.
Salue altrix antiqua, boni ſaluete receſſus,
Et gaudète: Geniq; loci tu candide, fidi
Voſq; Lares placidi veſtro cum numine amico
Eſte mihi, & noſtrum tandem lenite laborem.
Te verò & moneo, & , quantũ me diligis Alcon
Oro, care Alcon, quamquam tua rura reliqui
Inuitus, partémque ſui mens ægra requirit:
Ne mihi cõmemores Atheſim, neu tecta venuſta

Alta Coloniolæ, iuuat hic conſumere totum
Sextilem, & dulces inuiſere ſæpe ſodales:
Qui lateri noſtro ſeſe agglomerare ſolebant
Olim, cùm primis colludebamus in annis.
Horum in complexu vis priſci emergit amoris,
Vt ſatis æquo animo non me diuellere poßim.
Sed cùm ſe primum decreſcens fregerit æſtas,
Ridebit placido cum Villia Doris in antro,
Me feret aurifluo vaga gurgite cymba repoſtas
Flaminij ad ſedes, ripæ vlterioris in aruis.
Huc occurre mihi: ſimul ad tibi grata vireta
Formelli, & latos Amathuntidis ibimus agros.
Rodulpho interea, qui ſe cæleſtibus æquans
Diuis, purpureo, atque ardenti in murice fulget,
Quémque viã monſtrante æqui, magnum inclyta patrem
Roma colit, ſtatuam patrijs in montibus aras.

De villa Coloniola.

EST collis, geminas recto qui limite valles
Scindit, & hinc Suauum proſpicit, hinc Latios.
Acceſſu in primo ſunt formoſißima Tempe,
Culta peregrinæ rura Coloniolæ.
Huc me Verona digreſſum duxerat Alcon,
Magnæ Alcon ſiluis cognitus Heſperiæ:
Nympharum caſtos qui ſacra per otia fontes.
Veſtráque Pierides numina ſancta colit.
Frondoſi hic nemoris dorſo dum forte vagarer,
Et leni omne nemus perſtreperet Zephyro,

Ad corylos Phyllis contexens fragra ſedebat,
Perdito amore nimis Phyllis amata mihi.
Talis in excultis viſa eſt Cytherea viretis,
Necteret in ſertum cùm tibi Adoni roſas.
O Sol, o mihi Sol radiis fulgentibus orte:
O mihi fœlices inter habenda dies.
Nam quæ furtiuum olim abſcondebat amorem,
Quæque fugax ſemper, ſi obuius inciderem,
Se ſe aliò auertens, tacito pede reflectebat,
Lumina tum facilis torſit amica mihi.
Acceſſi: atque errans, incertus corpore toto,
Protinus optatum proſilui in gremium.
Illi Amor aureolis ſpargebat floribus ora;
Quos e maternis extulerat calathis.
Hic mihi (vos coryli teſtes, tectaq; latebræ)
Dum capio miſtum ſuauiolum ambroſia,
Se ſe anima ipſa in labra eiecit; mèque relicto
Ad ſibi dilectam Phyllida tranſilijt.
Illa vbi me aſpexit moribundũ, amplexa fouere
Cæpit, ſuauiolum dulcius ingeminans.
Tum, mea dum inſueto perfundit labra liquore,
Ore fouens, ſenſim tranſijt ad me anima.
Nunc viuo; & vita eſt multo mihi carior, in me
Cùm memini, de quo venerit illa loco.
Salue o terra beata mihi, gratiſſima terra
Dis ſuperis: ſalue dia Coloniola.
Nomen fama tuum immortalibus in monimẽtis
Protendat; nec te deruat vlla dies.
Hæc lingua ante mèis hærebit faucibus, ante

Hæc dextra attractis concidet articulis:
Quàm memori ex animo, & noſtro de pectore migret
Sæpe vocanda mihi cara Coloniola.
Et vos o Coryli, quarum ſub mollibus vmbris
Hæc inſperanti ſunt mihi nata bona,
Sitis felices, non veſtros Eurus honores,
Non æſtus, non vos frigida lædet hiems.
Cùm ſitiunt ſiluæ, veniant pede Naiades vdo,
Atque humore vagæ roſcido Hamadriades;
Vos & alant ſibi delicias, ſeu gramine molli,
Siue velint ramis ludere ab vmbriferis:
Phyllis amet corylos: illas ſi Phyllis amabit,
Vna mihi corylus maxima ſemper erit.

DE PAVLLO MANVTIO, Ad lectores.

CReditis hunc ſolùm ſtudijs clareſcere Tulli?
Virgilio Paullum cernitis ecce parem.

I. M. TOS.

PAVLLI MANVTII AD EOS,

QVI PRO BONFADII SALVte laborabunt.

Dilectæ muſis animæ, Iouis vnica cura,
In quibus & rectum, & longos extinctæ per annos
Nunc demum exoriens virtus antiqua relucet,
Et tu, qui docti dux inclytus agminis anteis,
Magnanime o iuuenis Grimoalde, quis ille, quis eſſe
Tam culto ingenio poßit, tam diuite vena,
Officium veſtrum qui verſibus exprimat aptis?
Lapſus erat miſer in culpam Bonfadius. index
Detulerat patribus, nec inani teſte probarat.
Quid facerent legum cuſtodes? legibus vti
Coguntur: dignum eſt: ſeruantur legibus vrbes.
Continuo infelix in carcere conditur atro.
Nuntius interea triſtis percuſſerat aures
Omnium amicorum. veſtris dolor hæſit acerbus
Mentibus: afflicti properè concurritis omnes.
O pietas, o priſca fides, vos crimine duro
Oppreſſum, & multis inuiſum, non tamen ipſi
Pendentem extremo caſu liquiſtis amicum.

Pugnaſtis precibus, fletu pugnaſtis amaro,
Si poſſent flecti ſenſus, mentéſque ſeueræ.
Eſt etiam minime dubio ſermone relatum,
Argento atque auro multos cupijſſe redemptum.
Docta cohors quid agis? turbatis nauigat Euris
Spes tua: vana petis, portuq; ſalutis aberras.
Ne lacrymas, ne funde vltra: deſiſte precari.
Suſcipis ingratum ſtudium, ſterilémque laborem.
Fixa manet duris ſententia legibus atrox.
Si fecit, pereat: functum patet, ergo peribit.
Horrendum carmen, tamen immutabile: quod nō
Frangere vis hominum, non flectere gratia poſſit.
Exprimitur tandem hoc inuito a iudice, viuus
Ne comburatur crepitanti deditus igni.
Tum ſe carnifici ſæuo Bonfadius vltro,
Mente Deū ſpectans, animo imperterritus offert:
Ille miniſterio properè functurus iniquo,
Terribilis rigidam ſuſpendit ad alta ſecurim.
Quem feris ah ſcelerata manus? quā nobile collū
Percutis ignoras, & quo te ſanguine tingis?
Hic, qui proſtratus iugulum tibi porrigit, a te
Fortiter expectans extremi vulneris ictum,
Dulcibus & numeris, & molli doctus auena,
Cùm caneret verſus muſis, & Appolline dignos,
Aërio ſacras deſcendere mente camœnas,
Atq; habitare tuo, Benace, in littore iuſſit.
Hic & Romano eloquio, & praecellit Etruſco,
Manſuetus, facilis, dulci ſermone diſertus.
Hæc tu non audis: ſed inanibus irrita ventis

Mandantur, quæcunque loquor: tu parcere neſcis:
Eximios, humiléſque feris diſcrimine nullo.
Sic viſum eſt ſuperis mutari fata nequibant.
Fixum erat, vt damnatus, & acri iudice victus,
Bonſadi, ante diem Ligurum morereris in vrbe.
Vrbs præclara viris, vrbs claſſe inſignis, & armis
Barbaricæ gentis magnis decorata trophæis,
Cur veterem a nobis, cur fidum auellis amicum?
Non tamen obſcurus perit, aut inglorius: extant
Scripta viri: quæ poſteritas mirabitur omnis.
Tu quoque in hiſtorijs ſeros memorata per annos
Genua florebis viridi cum laude: & ab illo,
Quem tu extinxiſti, tibi lucida gloria ſurget.
At tu, cui miſer extrema Bonſadius hora
Aſperſam lacrymis miſit per ſcripta ſalutem;
Flos Ligurũ Grimoalde, tuæ decus vrbis, & orbis,
Et vos o Phœbo ſacri, ſtudijſq; decoris
Egregij iuuenes, mæſtum leuate dolorem.
Iam ſat honorifico celebraſtis funera fletu:
Iam ſatis officio, ſatis & tribuiſtis amori:
Nec veſtrum ſtudium, pietas nec veſtra latebit,
Sed clarorum hominum ſemper noteſcet ab ore.
Et quas ille truci correptus morte nequiuit
Officio, ſtudióque pares perſoluere grates,
Has qui perpetua vobis cum laude rependat,
Forſitan alter erit, vel iam eſt, multique ſequẽtur,
Viue diu ſtudioſa manus, doctámque Mineruam
Excole: quæ veſtras diuino nectare mentes
Paſcet, & extremum tribuet per ſæcula nomen.

DE PETRO MYRTEO.

Matris Acidaliæ deducens nomina myrto,
Petrus Acidalio tincta lepôre canit.

I. M. Toſcanus.

PETRI MYRTEI.

Maxima Naïadum, atque Atheſis pulcerrima coniux
Aegle, quæ nitidos flauo lauit amne capillos,
Audierat cari diſceſſum coniugis, & ſe
Deſertam immenſo Tiberini Alconis amore,
Mæſtáq; de nigris lacrymarum flumen ocellis
Deducens, tali implebat liquidum aera voce.
Magne Atheſi, & vita longe mihi carior ipſa,
Rurſus abes? nec te vlla relictæ coniugis vrget
Cura? nec incœpto potes vnquam abſiſtere curſu?
Tu dulci amplexu magni de partibus anni
Tris abes, & viduo pateris me flere cubili,
Ne quicquam optantem tardos abſentis amores,
Quare ego (nam ſedet altè infixa iniuria menti
Iſta meæ) magni repeto monumenta doloris.
Te ſine ver placidum, ſine te mihi præterit Aeſtas
Sole rubens grauidáq; Autumnus pomifer aluo.
Et modo te, voluens flauas Tiberinus arenas
Excepit, ſtrictis modo triſtior enſibus Iſter.
Nec tamen id tantũ dolui, quantum ægra laboro,
Nũc te hieme ĩ media, & gelido ꝓcul eſſe Decẽbri:

Paſtores externi optata in pace fruuntur.
Ah nimium peccas Atheſi, dum te trahit Alcon,
Et patriam dilectam, & amantem deſeris Aeglen:
Deſeris & leui ſemper labentia muſco
Antra, quib⁹ centū tibi Naiades, & tibi Nymphæ
Centum aliæ, natæ muſis & Apolline ludunt.
Sed quid ego aut nymphas memoro, aut mea dāna reuoluo,
Forſitan Hadriacis de fluctibus altera coniux,
Vel Nereum mentita patrem, vel Protea magnū,
Lecta tibi, & ſcopulo tecum luctatur aperto.
Forſitan illecebras omnes, tibi munera mille
Diuitis illa parat regni, conchylia mille,
Mille tenendi artes, nec tu diſcedere curas.
At non muneribus ſuperat me Nereis: amne
Sunt tibi de viuo lecti, mea munera, piſces.
Eſt tibi de ſoceri nitida graue pondus arena
Argenti: neque, ſi placeant, conchylia deerunt.
Ah ne aliqua excipiat pelago, ſæuiſq; procellis:
Illudátue tibi mendaci carmine Seiren?
Ah ne cùm te Neptunus pater ire per altum
Viderit, atq; tuum ex humero pendere tridentem,
Inuideat, nec te tali dignetur honore.
Hæc ego, quæ toto te animo, te pectore toto
Excepi dilecte Atheſi, timeo omnia: namq;
Sæpe ſuum inuidia effundit triſtiſſima virus,
Immiſcétq; graues violis bene olentibus herbas.
Credo etiam ille, ſuo mecum ſi certet amore
Alcon, concedat facilè mihi: tu tamen illum

Crudelis ſequeris; & ſola relinquitur Aegle.
Linquitur & mecum, quondam tibi filia grata,
Perſina; quæ latè diductis murmurat vndis;
Exiguóq; tuam riuo perlabitur vrbem.
Quod tibi ſiqua manet pietas, ſi coniugis vlla,
Vlla tibi natæ cura eſt, ſi munera tantum
Noſtra valent, quantum Neptuni cærula regna:
Huc Atheſi propera, & mihi tantum abſterge dolorem.
Sic pâter æternum te diligat Apenninus:
Sic nimboſo humero tibi ſeruiat arduus Ocra.

Ad Paullum Iouium.

NOn parum teneor Ioui diſertis
Iſtis hiſtoriæ tuæ libellis:
Non parum capior tuis tabellis
Pictis artificum manu erudita.
Sed verum fateor meo ſodali,
Et quidem ex animo vt decet ſodalem,
Grata multò habeor mage a catena
O Ioui Ioui habes me, habes puto, & ſcis
Quid nam dicere nunc volo, medullis
Quod me cogit ab intimis libellos
Omnes negligere, & omnium tabellas,
Non tuas modò cum tuis, ſed omnes,
Sed meipſum quoque quod magis dolendum eſt.

In Adonin.

AH ne Aquilo eripit mihi te, ah ne bruma colorem
Extinguat, labra hæc purpurea abde puer.
Ah ne Aquilo potius tibi me, ah ne bruma animã hanc mî
Eripiat, labra hæc purpurea abde puer.
Id timeo quia amo te, amo me: ſed ſi improba fata
Hoc tulerit, facite o dij ſequar ipſe animam.

Ad Bern. Xanthium, Epiſc. Aquileienſem.

TE quanuis foueant toro iacentem,
Xanthi, vellera delicatiora
His quæ molle Tarentum ouéſq; Marſæ
Mittunt pectine ſeligenda docto:
Non credo tamen excitare ſomnum
Tibi, quàm mihi, poſſe dulciorem.
Nam tu dum meditaris altiores
Tam dilectæ Aquilæ tibi volatus,
Inſomnes agis inquietus horas,
Et per non tacitum cubile ferris.
At me vilior hiſpidæ capellæ
Lana nunc reliquis laborioſis
Curis explicitum acquieſſe muſis,
Et vos, dico, odium & valete curæ.

Tumulus Bartoli.

HIc eſt Bartolus ille iuris ingens
Lux & commodus explicator: hic eſt

Quem mors ante diem abſtulit maligna,
Heu mors inuida & æuo iniqua noſtro,
Quæ leges iterum iacere cogis.

Tum. Ambroſij Monachi.

VIximus ambroſia, ſed enim cõceſſimus Orco,
Nunc iterum cælo redditur Ambroſia.

De Philelphi certamine cum Timotheo Græculo.

NVnquid ſat tibi non ſuit Philelphe
Linguæ gloria nobilis Latinæ,
Ni Græcas quoq; peruagatus vrbes
Dignus coniuge nuptiiſq; Græcis
Ferres Timothei nouum triumphum.
Cui dum vna ſuper ille dictione
Tecum pignore certat, atq; barbam
Abradi ſibi ferre pollicetur.
Victus, aut poſitam pecuniam abs te
Victor auferat, abnegaſti eàdem
Barba poſſe pecunia obtinere
Victor: atq; nouacula expedita
Barbam illius habere maluiſti.
Iam nunc non Italæ Philelphe, ſed ſis
Grecæ gloria nobilis palæſtræ.

De villa Nicolai Perotti.

IN villa Fugicura obit Perottus.
O villam nimis, & nimis beatam!
Quæ viuentis heri leuare curas
Poſſet, nunc cineres tenet ſepulti.
O villa dominum beatiorem!
Cui curas moriens reliquit omnes,

De Laurentio Medice literarum patre.

OCcidit vt fato Medices Laurentius, ora
Conuertens in ſollicitas Florentia Muſas
Dixit, abite, aliud vobis nunc quærite tectum.
Cui Muſæ: hoſpitiū nos ſanè perdimus vſquā
Quærendum, ſed tu Medice Florentia rapto,
Amiſſum inuenies nuſquam: quin deſinis ipſa
Eſſe illud decus, & Latij Florentia lumen.
Nos erimus Muſæ, tum ſi quid noſtra parente
Ab Ioue dat pietas ſperare, videbimus vllo
Tempore poſt heroa deorum in ſede ſuprema
Immortalem, alti nutu Iouis aſtra regentem,

Epitaph. Iouiani Pontani.

QVi vos ſidera clara, citrioſque
Flores, Heſperidum hortulis virentes
Verſibus cecinit laborioſis,
Pontano date ſidera alma lymphas,
Vos horti date ſerta, quæ ſepulcrum
Ornent perpetuò cadente flore,
Spargant perpetuò fluente rore.

Epit. Pet. Criniti.

PRiſcos poëtas viuere
Crinite dum doces, obis.
Ergo tibi ſuperſtites
Debent poëtæ non minus.
Ipſe amplius nihil volens
Debere dono carmine
Hoc, te ſepulcro conditum.

Tum. Hieronymi Donati.

DOnate diuûm munere
Fudiſti vt orbi nectaris
Quantumque manat gratiæ
Diuino ab ore cælitum,
Seruaſti & exul patriam,
Diis reſtitutus denuo
Orbi querenti deſeris
Nil præter oſſa & lacrymas.

Tum. Antonij Nebriſſenſis.

ME putat æternùm ſaxo poſuiſſe ſub imo
Acerba mors, & fallitur.
Non ingrata etenim mea gens volitare per ora
Dat & per oras omnium.
Hæc mihi pro reduci ſtudio Latiiſq; camœnis
Certè tropheum non minus,
Quàm tibi pro Mauris debet Fernande fugatis
Et pro recepta Bætica.

Tum. Pomponij Gaurici.

Ibat Gauricus ad ſuos amores,
Sed diu haud potuit ſuos amores
Vti Gauricus: abſtulere fata:
Verùm nulla manet ſepulcri imago
Namque, quòd coluit pari labore
Muſas & Venerem, vel a Camœnis
Raptus creditur in iuga alta montis,
Qui imminet Stabias ſuper vetuſtas;
Vel pulcræ veneri datus ſacerdos
Tyrrheni maris in ſinum profundum.

Tum. Benedicti Lampridij Cremonenſis.

ERgo ego, nobiliũ o genitrix atq; hoſpita vatũ
Mantua, quòd nimiũ vicina Cremona Maroni
Obfuerit ſolus pœnas abs te ipſe repoſcor?
Ille ſoli tantum damnum tulit: aſt ego de te
Mantua déque tuo meritus bene principe, cara
Pro patria & vitã & cineres tibi reddere cogor.

BLO-

BLOSII PALLADII.

De Imperia Romana.

DIi duo magna duo tribuerunt munera Romæ,
Imperium Mauors, & Venus Imperiam.
Ac pariter totis nixi ſunt viribus ambo
Condendo imperium Mars, Venus Imperiam.
Hos contra ſteterunt Mors & Fortuna, rapitq́;
Fortuna imperium, Mors rapit Imperiam.
Imperium luxere patres; nos luximus ipſi hanc:
Illi orbem, nos nos cordáque perdidimus.

De duplici amore.

HIc vbi per geminas Tiberinus finditur vndas,
Hic pereo, hic gemina me face torret Amor.
Nec ſatis eſt vni iugulum dare: me duo, me mas,
Fœmina me, hinc mater, filius inde premunt.
Nec me ſciſſus amor, nec me Tiberinides vndæ,
Nec Iouis, aut medici templa propinqua iuuãt.
Quid ſperẽ ſi me inter aquas, ſi me inter & æſtus,
Si ad ſacra, ſi in medio flumine torret Amor?
Vos o qui facitis flammas, reſtinguere veſtrũ eſt,

Reddere ius templis, me mihi, frigus aquis.

De Polo Card.

FOEderāt miſeras paſſim ſcelera impia terras,
Nec quo ſe virtus iam tueretur erat.
Cùm Deus æterna impulſus pietate, ruinas
Deſpexit, noſtras indoluitque vices.
Sicq; Polum æthereà iuuenem demiſit ab arce:
Dixit &: hic noſtri pignus amoris erit.
Vindice quo priſcos virtus retinebit honores,
Qui vitia infauſto comprimet exilio.
Ergo cùm hic adſit cæleſtum munere, in illum
Iure oculos cuncti fiximus, atque animos.

FRANCISCI PANIGA-
GAROLAE.
Echo in Chriſti Natalem.

HÆc Bethlemitæ paſtoris verba referre
Audita eſt Echo, quæ iuga montis habet.
Quis natus? dixit, natus. *patris ne Iudæi?*
Illa Dei. *verus eſt ne homo? dixit,* homo.
Atque hic idẽ nonne Deus remanet? manet *eſtne*
Vt pater omnipotens? rettulit illa potens.
Hunc quid de cælis duxit? Lis duxit. *at iſtam*
Dic vtrum vincet? vincet *& ipſa refert.*
Litis erat radix longæua? Eua. *an mala?* mala.
Num gula ſic potuit? illa refert, Potuit.
An puer hic fiet magnus? quæ reddidit agnus.
Ipſe ait hoc? ait hoc. *cur ita clamat?* amat?
Is maius noſtro nunquid dare poſſet amori?
Reddidit illa nihil quàm gemebunda, mori.
Hoc faciet? faciet. *moriens?* oriens. *Deus ille?*
Heus ille. *eſt forſan cauſſa tua?* auſa tua.
Diligere hunc ergo par eſt ſuper omnia Chriſtum?
Iſtum. *nonne Deum? dixit* eum, *& tacuit.*

In mortem Pij IV.

VT faceret fortuna Pii in omni parte beatum
Vita, ait, huic dulcis, mors quoque dulcis erit.

De puero armato.

MArs Venerem, Martémque Venus dum quærit, vterque
Quæſitum, viſo hoc, ſe reperiſſe putant.

De curru Antoniæ Vicecomitis.

CVm videam vacuos ſolis procedere currus,
Quid, niſi Phætontem bis cecidiſſe, rear?

Luſus.

SAlmacis vndarum Pactoli ſumpſit arena
Vim: puer hanc tangens Hermaphroditus erit.

De Iola.

CVm nudum lymphis ſe credere velle: Iolas,
Effigiem fonti vidit ineſſe ſuam:
Nec ſemet noſcens, comites io currite, dixit,
Depoſitis alis ecce Cupido natat.

De Iola pugnante.

PVgnantem cùm forte Venus vidiſſet Iolam,
Quid Mars, quid noſter, dixit, Adoni facis?
Cognouit neutrum, ſed quem præferret vtrique
Cognouit dignum, paucáque verba dedit.
Mars & Adonis huic merito ſunt diſpare, poſtquã
Vincitur hic facie, vincitur ille manu.

De Laura C.

CVr pueri toties transfixus Iuppiter arcu
Iactare illæſum vulnera facta ſinit?
Tutus Amor viduæ latitans ſub tegmine Laurus
Vulnerat hinc, ſpernens fulmina ſæua, Iouem.

De ſuo incendio.

QVas patior flãmæ Troiana incendia vincũt:
Troas vßit homo, me deus vrit Amor.

Ad N. Boſſium.

DVm primos ambis gradus, cognomine prima
Efficis vt maneat ſyllaba ſola tuo.

Ad Clatras ferreas.

FErra datis aditum cordi, reditúmque negatis:
Quàm ſunt æqua parum veſtra miniſteria!
Vel date cor raptum, vel totum admittite corpus,
Si lubet, eſte dehinc irreuocabilia.

De origine puer.

QVam moriens nondum perfectam liquit Apelles
Abſoluit Veneris Iuppiter effigiem.
Et tantam nullis cernens mortalibus eſſe
Formam, quæ huic deerant vnica, verba dedit.
Extemplo effari (mirum) cepítque moueri
Hæc quæ muta prius picta tabella fuit.
Tunc primum forma vinci Citherea decora
Pictam a pictura vidit, & erubuit.
Mortalémque dolens diuæ præcellere, vertit
In puerum modo quæ facta puella foret.
Nec tamē huic formam minuit: nam firma Deorum
Non infecta queunt reddere facta Dei.
Sic fuit effigies, ſic mox pulcerrima virgo,
Qui demum roſeo maſculus ore nitet.
Sic matrem forma qui vicit fœmina, vincit
Nunc natum, factus matris ab arte puer.

Epitaph. Vidij Medici.

QVa primæ eripuit multos, hac arte ſecunda
Se rapuit morti Vidius, hícque iacet.

Idem.

NOn tibi ſat fuerat viuenti vincere mortem,
Hanc niſi defunctum vincere poſſe probes?

CAMILLI PALEOTI.

AMOR.

LAeta fluentiſono remeabat ab æquore Cypris,
Natorum ſtipata choris, vt fortè ſecundi
Antrum ingens immane Iouis, pelagíque ſonantẽ
(Natales trahit vnde ſuos) conceſſerat aulam.
Hic etenim primos (ſic credidit alta vetuſtas)
Vagitus dedit, hîc immenſum Hyperionis orbem
Hauſit, & igne caput cinctum Phaëthonta coruſco,
Spumanti prognata freto, & genialibus vndis.
Vnde etiam merito diuam cognomine priſci
Spumigenam dixere patres. Sed & illa ſubinde
Nutrices viſura ſuas, Clymenemq́; Thetinq́;
Et Panopem nigro, & flauenti crine Thaliam,
Aequor adit, gaudétque ſuas inuiſere cunas.
Nunc quoq; ab Oceani digreſſa timẽtibus vndis
Idalium in nemus ibat ouans, multoq́; calentem
Ture Paphon, grauidamq́; ſuis Amathunta metallis,
Gemmato reſidens curru, quem Mulciber olli
Saucius, & multo mentem labefactus amore
Ante toros dulces, ante optatos hymenæos
Ipſe ſua celaſſe manu narratur & artis

Egregiæ, quodcúnque fuit, rarique decoris
Inſumpſiſſe operi, multáque incude peractum
Sponte ſua donaſſa deæ, flagrante Minerua
Inuidia, toruúmque oculis Iunone tuente.
Scilicet hoc vno dulces mercatus amores
Munere, & optati genialia fœdera lecti.
Proſequitur, latéque deam comitatur euntem
Compoſito Paane cohors. Inq́; agmine primo
Procedunt diſcincta ſinus de more fluentes
Otia, & indociles ſomno dare lumina curæ,
Curæ, quas iunctim ſequitur temerarius error,
Error captiuam rapiens per deuia mentem.
Tum Leuitas rationis inops, & prodigus auri
Luxus, & Ebrietas teneris redimita corollis
Spirantes vnguenta comas, raucæq́; precando
Excubiæ, fractóque ſeram de poſte reuulſam
Rixa trahens. Mox iuncta hilari Cōcordia riſu,
Totáque nectareo perfuſa liquore Voluptas,
Nec procul hinc blandæq́; preces, Nutúſq; loquaci
Fronte venit, miſeróſque fouens Spes anxia amantes,
Anxia, ſed nullis vnquam moritura ſub annis,
Anxia, ſed miſero præſtans alimenta furori,
Anxia, ſed longo conſumens gaudia voto,
Et lacrymæ, & tandem lætus pietate reperta
Pallor, & aſpectu docilis manſueſcere primo
Ira ſubit, ſpretóque volant Periuria cælo.
Ipſa Therapnæos medio ſtans agmine cygnos
Ire iubet, roſeúmque quatit per colla flagellum

Marmorea Citherea manu, quam mille ſecuti
Hinc atque hinc pinnata cohors glomerantur Amores
Armati faculiſq; manus, humeróſque ſagittis,
E quibus hic niueo vehitur ſublimis olore,
Hic picto pauone ſedet, premit ille columbæ,
Terga ferox, roſeiſque docet parêre lupatis.
Hunc portat fluuialis anas, hunc Phaſidis ales,
Strymoniam regit ille gruem, ſtimuliſq; fatigat.
Ante alios, multa variatus iaſpide plumas
Eſt Pyrois quo non præſtantior alter amorum,
Seu rutilas vibrare faces, ſeu fundere cornu
Spicula, ferratis ſeu nectere colla cathenis:
Poſt te póſtque tuos arcus pharetrate Cupido:
Gẽmatumq; humero, formoſæ ante ora parentis,
Fert ſpeculum, quo ſe curru deſpectat ab alto
Compoſitam, ridétque ſua Venus aurea forma.
Stant prope Acidaliæ Charites, certãtq; viciſſim
Officiis meruiſſe deam, quas dicitur olim
Eurynome genuiſſe Ioui dum margine ludit
Oceani, pictáſque legit per littora conchas.
Quarum quæ Somni dulces ſortita Hymenæos,
Paſithea, aureolũm ne ventilet aura capillum,
Idalias infigit acus, tu ſpargis odoro
Nectare anhelantes dulci ſub pondere cygnos
Euphroſyne, vt blando valeat ſupereſſe labori.
Tertia ne nitidos violentia ſolis ocellos
Præſtringat, nimióque genas ardore coloret,
Picta ſerenatæ præfert vmbracula fronti.

Ridet humus gradiente dea, paſsímque beatis
Luxuriat calcata roſis: quacunq; relicta eſt
Orbita, fragrantes pingunt violaria campos,
Totáque puniceis veſtitur terra roſetis.
Ipſa etiam quæcunque ſubit nemora alta Dioue
Ambroſium ſpirante trahunt de vertice odorem,
Sideream flexo venerata cacumine Diuam.
Erumpuntq; antris immania pantherarum
Agmina, ſetigeríque ſues, currúmque ſequuntur
Vrſique, horrentéſque lupi, vaſtique leones
Sæua Citheriaco perculſi pectora tyrſo.
Exultat tacite ſecum, dulcíque renidens
Ore Venus, nunc aligeris blanditur alumnis,
Nunc comites laſciua ſuos, pompámque ſequentem
Reſpicit, & faſtu creſcit tumefacta ſuperbo.
Hæc tum Ledæis inuecta volucribus ædes
Attigerat Paphias, & centum altaria Cypri,
Cùm procul aëreo redeuntem a vertice Cynthi
Smynthea, ſuſpenſámque humero pharetrámque fidémque
Vidit, & incaluit, tumidas vt ſemper in iras
Fœmineum procliue genus, ſtat corde repoſtum
Indicium vetus, & monſtrati iniuria furti.
Nec dum Lemniacæ ceciderunt mente cathenæ.
Primo igitur ſtetit aſpectu, paulúmque volantes
Preſsit aues, mox ſigna dedit manifeſta furoris,
Purpureas turbata genas, ſubitíſque ſerenam
Nubibus, & nigro frontem circumdata nimbo.

Atque ita, proh ſegnis animi, proh fœmina dixit,
Saturni mentita genus, nec iam amplius vſquam
Digna coli, poſtquam fœda atque infanda tot annos
Ferre potes, nec tanta mouent opprobria mentem.
Iunonis cur non etiam inuiſæq; Mineruæ
Seruitium iam ſponte ſubis? Cur mater Amorum
Nulla trahis inter famulas data penſa cateruas?
Quãdoquidem nil iam ſupereſt, & multa tuliſti,
Quæ neque Hamadryades, neque ruſtica numina Nymphæ
Suſtineant, ſocio quas dedignamur Olympo.
Hic ne impune ferat, turpi de pellice natus?
Quem propter, ſed enim, pudet hiſcere, fabula cælo
Nota diu riſúſque fui, monſtrata deorum
Concilio, dum nuda meum complexa tenerem,
Inter blanditias luctantiáque oſcula, Martem.
Proh pudor indicij memorans temeraria pœnas
Suſtinui differre diu, ceu parua poteſtas
Noſtra foret, nulláſque meus torquere ſagittas
Noſſet Amor, rapidáſq; faces, At nempe potẽtes
Cælicolas, Erebíque deos, pelagíq; tyrannum
Perdomuit. Quænam ergo animis ignauia ſedit
Tanta meis? Poterã iam pridem imponere ſonti
Supplicium, ſi ſtulta mei memor ipſa fuiſſem,
Nunc etiam cur, ſera licet, vindicta moratur?
Talia iactantem iamdudum & torua tuentem,
Circunſtant volucres pueri, pharetríſq; ſagittas
Depromunt, nixíque genu, ſibi quiſq; ſonantem

Incuruant arcum, & flagrãtem lãpada quaſsãt,
Omnibus vlciſci læſam ſubit ira parentem,
Omnibus inuiſum Phœbi exhaurire cruorem
Ardor ineſt. Primúſque Phlegon, Quin protinus, inquit,
Aggredimur, quid ſtamus adhuc? iamq; eminus ipſe
Pectora contento fixiſſet Apollinis arcu,
Sed vetuit gauiſa parens, natóſque furentes
Alloquitur, veſtra o pueri (mihi credite) veſtra eſt
Hæc pietas iucunda nimis, furor iſte voluptas
Eſt mea, laudo equidem nec me genuiſſe pigebit
Tam dulces natos tam caræ matris amantes.
Verum ſi qua mei reuerentia, parcite flammis
Parcite, & vltrices arcu prohibete ſagittas.
Vos ſuperos violare nefas, quanquã ille ſceleſta
Titanum de ſtirpe ſatus, tamen alta frequentat
Tecta Iouis, noſtráque ſolet diſcumbere menſa.
Vltio ferales vocat iſta Cupidinis iras.
O pueri ſedate animos, lenite furorem,
Solus enim domuiſſe Deos, domuiſſe Tonantem
Fas habet. ecquis enim ſinuare valẽtius arcum
Nouit, & abducto melius vibrare lacerto
Lampada; captiuóſq; pedes vincire catenis?
Scitis enim, meritóſq; vltro ceſsiſtis honores,
Iámque adeo per vaſta poli conuexa requiram,
Sidereáſque plagas, vbi nunc (ni fallimur) ipſum
Exultat viciſſe Iouem, facilémve domari
Ignigenam, noſtrum ve ferit fortaſſe Gradiuum.

Vos mea blanda cohors Paphios remeate penates,
Idaliáſque domos, & opima noualia Cypri.
Deſierat Citherea loqui, iámque agmẽ Amorum
Præceptum carpebat iter, ſed lumina terræ
Fixa tenent, ſiccíſque pudet remeare ſagittis:
Ceu lupus, agreſſum quem nocte mapalia, fidi
Latratu pepulere canes, veſtigia retro
Preſſa legit, nemora alta petens, caudámque remulcet
Hirſutam, vacuóque dolet diſcedere rictu.
Cypris Amicleos magnum per inane iugales
Flectit, & aſtriferum dicto prius intrat Olympũ.
Stellanti tum forte Iouis laſciuus in aula
Stabat Amor, ſtabátque puer qui pocula miſcet,
Raptori iucunda ſuo, decor vnus vtrique,
Vna eadémque ætas, mẽſuráque corporis vna eſt.
Ac niſi quòd nullis humeros circumdatur alis
Phryx puer, ipſa etiam potuit dubitaſſe Cythere,
Quem natũ putet eſſe ſuum, quem credat Amorem.
Illi inter ſeſe fuluo radiantibus auro,
Aſtragalis ludunt: ſed enim luſiſſe Cupido
Doctior eſt, miſcétque dolos pueriliter arte
Improbus, & victũ ſalibus Phryga ridet amaris.
Hinc, vbi progreſſa eſt Ven⁹, & dedit oſcula nato
Blanda ſuo, per ego hanc pharetram cariſſime, dixit,
Pérque arcus quos ipſa dedi, pone, oro parumper
Hos luſus, matríque operam concede precanti.
Non te iterum Aſcanij faciem mortaliáque ora

Induere, aut cæcis Medeam incendere flammis
Nate precor, nec torua Iouis penetrare profundi
Pectora, & ad Stygios noſtrũ vſq; extẽdere fines
Imperiũ. fuerãt olim hæc quoque vota, refluxit
Dũ melior fortuna mihi: nũc te oro per iſtud
Dulce caput, quo nõ aliud formoſius vſquam eſt,
Hoc tantum, ne me vlterius patiaris inultam
Eſſe diu, nec enim mihi iuſſa piacula ſoluit
Phœbus adhuc, qui me duro cũ Marte iacentem
Nil Iunonigenæ timuit monſtrare marito.
Illum ego care puer vidi, puduitque videre,
Nuper Oronteo perfuſus odore decoram
Cæſariem, citharáque humeros inſignis eburna
Ibat, & erecta tumidum ſe fronte ferebat,
Aſt ego quæ te vtero talem, pulcerrime rerum,
Concepi, qui cuncta domas elementa deóſque,
Ah piget, ingredior quoties ſtellantis Olympi
Atria, Lemniacas exprobat acerba cathenas
Pallas, & infami digito Saturnia monſtrat.
Quod ſi nate tuam mouet hæc iniuria mentem,
Tolle moras, læſíque vlciſcere damna pudoris,
Actutum, luat ille mihi temerarius index
Supplicium, diſcátque tuã non temnere matrem.
Talibus orabat dictis: nec plura loquentem
Paſſus Amor, deſiſte queri, deſiſte precari
Mater, ait: pœnæq; moras ne necte querelis.
Dixit, & aſtragalos (tanta eſt puerilibus annis
Simplicitas) matri multũ commẽdat: & arcum
Suſpendit fulgentem humero, ſtipátque pharetrã.

Inſignémque auro medicatis felle ſagittis
Fatiferáſque manus multa face feruidus implet.
Mox iter ad vaſti flammantia tendit Olympi
Mœnia, ſtant geminæ ferrato cardine portæ,
Ingentes cæli portæ, quarum altera terris
Nigrantes denſa effundit caligine nubes,
Altera collectas reuocat, ſudúmque reducit.
Has vigili ſtatione tenent, longúmq; per æuum
Florentes ſeruant ſpatiis æqualibus horæ,
Horæ, quas Themis (vt perhibēt) enixa Tonātis
Amplexu, obliquas Mæandri fudit ad vndas.
Huc poſtquam dilapſus Amor, mirabile dictu,
Sponte ſua, ingenti vectis ſtridore ſonantes
Panduntur portæ, volat ille per aëra, ventis
Ocyor, & cæca velatus nube, cacumen
Inuadit Parnaſſe tuum, ſtantémque vetuſti
Pro foribus templi frondoſo vertice laurum
Inſedit, ramíſque latet de more volucris,
Chalcida quam ſuperi, vulgus mortale Cinūdim
Appellant, montéſque ferunt mulcere canendo.
Expauit tactum propenſa Cupidinis arbos,
Et viſa eſt vitaſſe Deum, traxítque comantes
Per ramos frondéſque nouum concuſſa ruborem,
Scilicet antiqui nondum immemor illa pudoris.
At ferus vt dulci modulantem carmina plectro
Thymbræum conſpexit Amor, circumq; nouenas
Stare Deas, tumidam ſeſe exhortatus in iram,
Stridentem exturbat neruo impellente ſagittam.
Ingemuit volucri traiectus arundine coſtas

Delius.

Delius, atque illi pariter plectrúmq; fideſq;
Attonita cecidere manu: ſubitúſq; cucurrit
Perq; artus pérque oſſa tremor, penitúſq; latebras
Intrauit cæcas animi, furor igneus inſtat.
Sæuus amor paritérque faces pariterq; ſagitas
Spargit, & inſano nunc paſcitur igne medullas,
Nunc auet adducto præcordia rumpere cornu,
Exercétque truces pluſquam pueriliter iras,
Iámq; grauẽ iaculis pharetrã vacuauerat, ardet
Acer adhuc, ſeque incuſat, capitíque precatur
Multa ſuo, quòd non demens acceperit vltra,
Vſq; adeò & melle eſt & nectare dulcior ira:
Nec mora fatifero iam dudum ſaucius arcu
Ardet in Aoniam formoſus Oreada Pæan,
Succinctæ qua nulla magis iucunda Dianæ,
Nec denſas animoſa magis indagine ſiluas
Cingere, pérque altos montes, pérque inuia luſtra:
Horrentes agitare lupos, agitare leones
Cominus, & fœtæ penetrare cubilia tigris.
Huic arcus, huic ſæpe ſuas dat ferre ſagittas
Innumeris iam laſſa feris Dictynna, nec vlla eſt:
Seu ſtudio formáve prior, ſeu dote pudoris
Virginei. Comitem Nymphæ dixere Lycaſten.
Sed neque tam rapido virgo Peneia curſu
Aufugit te Phœbe olim per Theſſala Tempe,
Nil precibus lenita tuis, vt torua Lycaſte
Per montes pérque antra fugit Dircæa ſequentẽ.
Iámque tibi facies deformat pallida vultus
Sidereos, iam forma perit, nullúſque comarum.

Reſtat honos, iam plectra iacent, iam barbita
ceſſant,
Squalenti correpta ſitu, lugentque ſorores.
Gorgoneæ, tantique rogant, quæ cauſſa furoris.
Iamq; dies magis atque magis præcordia ſerpit
Dira lues, vacuámque tenent incendia mentem.
Ah miſer, ah medicam quoties accedit ad artem,
Nec dominum iuuat illa ſuum, nulliſq; fugatur
Graminibus feralis amor, rabiémve remittit.
Ah quoties piget eſſe deum, malletque relicta
Luce mori, ſi forte furor minuatur amoris.
At poſtquã iam nulla quies, abeúntque medullæ
In cineres, vltráque nequit veſtigia Nymphæ
Dura ſequi, inſano vires tenuatus amore,
Quid faciat, quàm poſcat opem? ſpes vna relicta
eſt
Sublimen penetrare Paphon, timideq; Dionem
Errori veniam lacrymis orare profuſis.
Ergo ædes Paphias atque Idalium frondoſum
Mæſtus adit: ſtabat poſito Venus aurea ceſto,
Purpureis perſtrata roſis, viridéſque per herbas
Ludentes paſſim circumſpectabat amores,
Quorum alij vaſta deprenſam in rupe leænam
Fune alacres per prata trahunt, furáſq; cothurnis
Hirſutis vincire parant, & pocula cornu
In rictum immergunt, immaniaq; ora recuruo.
Hi reparant arcus, & vincla adamãtina nectũt,
Maternam hi certant quis figat arundine myr-
tum

Certius,inſpectantq́; alij. Pars cote cruenta
Ardentes acuit,pars dulci felle ſagittas
Armat,& auratis certat ſtipare pharetris.
Matris Acidaliæ pertentant gaudia mentem.
Cui Pæan,miſerere,inquit, Citheræa,nec ira
Vlterius contende graui,ſatis ampla ſupérque
Supplicia,immanéſque exſolui ſanguine pœnas.
Da veniam,ſi Troiæ olim ſub mœnibus altis
Ingentem texi Aeneam clypeóque cruentum
Tytidem excepi,nato crudele minantem
Excidium Citheræa tuo: iuuenilibus annis
Parce precor,ſubeátque tuã clementia mentem.
Vidiſti lacrymas flentis,genibúſque volutum,
Orantem veniam & me me peccaſſe fatentem.
Vlterior decet ira feras,tolle ocyus,oro,
Tolle faces,diráſque euelle ex corde ſagittas.
Per Stygis horrendos latices,per flumina iuro,
Tartareo poſſeſſa Ioui,celebrabere ſemper
Parnaſſo,ſempérque tuas Heliconia laudes
Turba canet,natúmq; deos immane domantem
Cypri tuum,notaſq; mihi fera tela ſagittas.
Quin etiam Latia naſcetur origine vates,
Iámque inſtat matura dies,qui ſaxa feráſque
Voce trahet,cantúque meos ſuperabit olores.
Illum ego te natóſque tuos,reſonare iubebo
Ingenti Citheræa tuba,quæ clara per orbem
Mugiat,æternúmque per omnia ſæcula duret.
Deſierat Pæan,iámque ignoſcente Dione
Lætus abit,rediere animi,rediítque ſerena

Frontis honos, ſolitóque comæ fluxere decore.
Nec mora, flagrantem bello, & ciuilibus armis,
Peruolat Auſoniã, Sulmonẽq; intrat aquoſum:
Iámque ſalutantem primis vagitibus auras
Excipit amplexu, & Muſis cõmendat alendum
Naſonem, quem mox ſacris fouêre ſub antris
Pierides, cui plectra dedit citharámque ſonantem
Ipſe, & Acidalios mihi concine, dixit, amores.
Nulla mora eſt iam iuſſa puer creſcentibus annis
Implet & incerta vix dum lanugine malas
Veſtitus, celebrem reddit tibi Roma Corynnam
Carmine, quod ſtupeãt ſiluæ, quod ſaxa ſequãtur:
Carmine, cui Libycus ponat fera ſibila ſerpens:
Carmine, quo tumidi deſæuiat vnda profundi.
Inde aliud canit atque aliud, ſed ſemper amantũ
Intexit molles flammas, & dulcia furta
Magnanimũ heroũ, quin & quanã arte parari
Poſſit amor, quanam arte regi iuuenilibus annis
Monſtrat, & immenſum Cithereia ſigna per orbẽ
Circumfert latè, & vires acquirit amori.

CLAVDII TOLOMEI.

De Diocletiano.

IMperium princeps orbis dum prætulit hortis
Atq; oleri, fuit hic omni olere ipſe minor:
Poſtquam olera imperio, poſtquam hortos prætulit orbi,
Imperio verè maior, & orbe fuit.

Lydia ad Lygdum.

LYdia purpureos per prata virentia flores
Dum legit, & roſeos dum legit illa ſimul,
Luteolóſque illis pariter commiſcet, & vnà
Candidulos texit candidiore manu.
Hos tibi Lygde inquit flores mi floſcule necto,
Híſque animum annecto candide Lygde meũ.
In flores animúmq; cape, atque hos dicere formæ,
Virtutis potes hunc dicere ſerta tuæ.

ANTONII CARACCIOLI
NEAPOLITANI.

DVm Fabio de te refero Lyſiſtrate, quot ſint,
Quę nullo ſcribis carmina iudicio:
Scribat, ait. nam diſpeream, ſi iuſtior vlla eſt
Pœna hac, a magnis quam precer huic ſuperis.

AVGVSTI COCCEIANI.

Beate fons Bagnaiæ, ocelle fontium,
Quoſcunque fundit alma tellus e ſinu.
Migrate Muſæ fonte ab Heliconio;
Et huc venite, vbi liquores vitrei,
Aues vbi canoræ, opacæ vbi arbores
Virent, canunt, & murmurant ſuauius:
Vbi Innocentius innocens vere puer,
Non iam puer, ſed verius puer ſenex
Dulci quieſcit litterarum in otio:
Vbi beatas net Napæa purpuras:
Vbi trahit fucata Nais vellera;
Exiſtat vt repente, qui pulcra in toga
Partem laboris excelſi Atlantis leuet.
Beate fons Bagnaiæ, ocelle fontium.

BASILII ZANCHI· BERGOMATIS.

IMprobe Amor, crudelis Amor, quo ducis amantes?
Queue tuus tandem præmia miles habet?
En rapuit mors vna duos immitis amantes;
Quâ clarum extollit Parma ſuperba caput.
Hæc iuuenem extinctum ferro dum credit, amoris
Impatiens, nimio oppreſſa dolore cadit.
Hic modo, qui tulerat dubio in certamine palmā,
Vt vidit dominæ pallidus ora ſuæ,
Traiecto intrepidus per fortia pectora ferro
Interit; & victor victus amore perit.
Felices, quos vna dies demiſit ad vmbras,
Vno eodemq; dedit marmore poſſe tegi.
Vos patria indigno conſumptos funere fleuit:
Extulit & multis corpora cum lacrymis.
Felices animæ, quas mutua vincula iungunt,
Quas gemino æternus vulnere nectit Amor.
Idem ille, infernos quâ myrteus ambit amantes
Lucus, inextinctis ignibus ardet adhuc.
Fortunati ambo Elyſiis nunc ludite campis:
Veſtra olim argutus nomina diſcet amans.

P. ZANCHI.

THeſtylis annoſi coniux laſciua Lycotæ
Dum mane, aut ſero veſpere mulget oues,
Sic (ait) infelix noctes exerceor omnes,
Dum languet vetulo pendula verpa meo.

GABRIELIS ALTILII.

EPITHALAMION.

PVrpureos iam læta ſinus Thitonia coniux
Extulerat, roſeóque diem patefecerat ortu,
Cæruleum tremulo percurrens lumine pontum:
Qui cupido ſua vota viro, deſponſáque dudum
Connubia, optatóſque toros, & gaudia ferret:
Cùm dulces patris amplexus, cùm mœnia cara
Parthenopes, notáſque excedens linqueret arces
Sfortiadæ iuueni donanda Aragonia virgo.
Ipſe leui pater aduolitans per cerula curru
Neptunus, latè vndiſonum ſubſtrauerat æquor,
Inſidíque minas pelagi: nec gratior vndis
Temperies, calóue quies demiſſa ſereno
Adfuit, aut aliàs ſpirarunt lenius auræ.
Hic ſtudijs, varióque aſſenſu lecta iuuentus,
Fronde noua redimita comas, myrtoq; virenti,
Dum fremit, & validos certatim adnixa lacertos
Remigio expediunt alacres, tranſtriſque locati
Exultant lætóq; ſonant caua littora plauſu:
Dum patrio flet nata ſinu: dum neptis auito
In gremio, fratrúmque pijs complexibus hæret
Et longum inter ſe cara ceruice morantur,

At gemitu ſimul vrbs omnis ſimul ægra ſupremo
Digreſſu, deſiderio intabeſcit itura:
Littoréque effuſi toto atque e mœnibus altis
Proſpectant, mixtæq; viris longo ordine matres
Et lacrymis incedentem, votíſque ſequuntur:
Felicéſque vias abeunti, auráſque precantur.
Parte alia, quà perſpicuo delabitur alueo
Irriguis Sebethus aquis, & gurgite leui
Prata ſecat, liquidíſque terit ſola roſcida lymphis,
Tercentum diuerſa locis ſe turba ferebant,
Virginei cœtus Nymphæ, Campana propinquis
Quas tulit ora iugis, quas dulcibus educat antris:
Centum Pauſilypi, centum de vertice Gauri,
Et totidem calidis e littoribus Baiarum.
Quæq; etiam Lyrim, lentiſciferiq; receſſus
Linterni, Bacchæa tenent quæ rura Veſeui,
Conueniunt: nec Vulturni, Sarníue puellæ
Non adſunt, non æquoreæ Neſidos alumnæ.
Quas inter media magna cingente corona
Bis ſenæ ſuperant forma præſtante ſorores,
Aurea Sebethi ſoboles, quas cærula mater
Parthenope una ſciens Muſarũ, & docta canẽdi
Parthenope primis teneras formauit ab annis,
Imbuerat cantúque nouo numeríſque modiſq;.
Pars vitta, pars cæruleis implexa hyacinthis,
Illæ apio, hæ narciſſo, aliæ immortali amarantho.
Perpetuos namque hos ipſæ ſibi ludicra flores
Semper alunt, viridem ſemper de rore nitorem.
Ergo inter ſeſe manibus per mutua iunctis,

Compoſitiſq; leues quatientes motibus artus
In numerum glomerantur: ibi variante reflexu
Nunc pedibus choreas nunc carmine plaudere cantum,
Carmina quæ curuis in vallibus aſſultabant
Incœpere, omnis Hymenæo vt ripa ſonaret.
Magnorum tædas ſuperûm, noctéſque iugales,
Et cæli veneranda canunt connubia Muſæ:
Nos thalamos Iſabella tuos, tua gaudia coniux
Sfordiade, teneróſque choris cantamus amores,
Sanctáque iura tori: Muſarum nec pudet illos
Nec te Naïadum virgo, aut te carminis heros
Pœniteat noſtri, dilectæ fontibus & nos
Pegaſeis: præbet Sebethus pocula nobis,
Sebethus liquidos fontes, & mollia tempe.
Dicite Hymen Hymenæe Hymen ter dicite Nymphæ.
Túque nouas viſure faces, age Lucifer almum
Pande iubar, roſeúmque oriens caput exere tandem:
Expectate redi, nec amantum vota moratus
Coge tuis age dum flammis concedere noctem
Actutum, tibi ſi cupidi ſua vota mariti
Concipiunt, tardúſque redis ſi ſemper eiſdem:
Si tacita quem mente diu optauere puellæ,
Primáque iucundæ vouerunt tempora noctis
Exortum timidè nutanti corde paueſcunt.
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite Nymphæ.

Fortunate gener tibi lux, tibi pulcer Eous
Deſerit Oceanum: tibi candidus explicat ignes,
Candidáque ora refert: fauſto tibi ſidere portat
Coniugium dulcéſque toros lætóſque hym enæos.
Dexter enim e cælo dexter Iouis aſtit ales
Naſcenti, eripuitq; nouum ter plauſibus omen
Aduolitans, dextrúmque affulgens riſit Olympus.
Heſperia in magna multis e milibus vni
Virgineos iunctura ſinus Aragonia virgo
Adueniat, ſocióſque toros paret aurea coniux.
Dicite Hymen Hymenæe Hymen ter dicite Nymphæ.
Fortunate gener, magnus tibi proſocer Atlas
Quódque tibi a prima percenſet origine Iberus.
Adueniant reges ſoceri dijs æqua propago.
Hos tibi per titulos atque hæc per nomina felix
Adueniet, felix eadem ſub ſtragula coniux,
Sidonio tecum excipiat q̃uam lectus in oſtro
Languidulos tenero ſociantem pectore ſomnos.
Maternum ſeri numerent genus vnde nepotes,
Séq; olim magnis iactent a regibus ortos.
Dicite Hymen Hymenæ Hymen, ter dicite Nymphæ.
Illa tibi amplexúſque feret noctémque beatam.
Implebítque tuos niuea ceruice lacertos.
Qualem nulla tulit priſcis heroibus ætas,
Ipſa nec Eurotæ viderunt flumina Nympham,
Taygeti aut iuga virgineis luſtrata choreis.

Nec noſtri videre chori, quibus addita qualis
Aurora exoriens ſtellis nitet alma fugatis
Purpureum ve ſolet bruma cedente nouum ver,
Candida ſe talem nobis Iſabella ferebat.
Dicite Hymen Hymenaee Hymen, ter dicite Nymphæ.
Illam dia parens dum nixibus edit in auras,
Ambroſio exceptam gremio Venus aurea fouit,
Et formam, formæq; decus decori addit honorem.
Ac primas tibi virgo aliȷs cedentibus inquit
Prima feres Veneri tantum collata ſecundas:
Dicite Hymen Hymenaee Hymen, ter dicite Nymphæ.
Admouit quoque blanda manus Saturnia Iuno
Permulcénſque artus, ſceptris haud inquit auitis
Sceptra minora geres, Latias regina per vrbes
Incedes, populíſque potens & diuite regno.
Magna Iouis coniux magni tibi coniugis omen
Præcinit, hæcq; ſuis oppignerat oſcula dictis:
Oſculáque in teneris ſonuerunt preſſa labellis.
Dicite Hymen Hymenaee Hymen ter dicite Nymphæ.
Nec Pallas non læta ſuos impertit honores,
Naſcenti: primos eadem ad cunabula cantus
Concinuit, ſuaſitq; leues tibi carmine ſomnos:
Atq; animum tibi virgo inquit, moréſq; verēdos
Trado Diua, mares ſenſus, & vincere ſexum,
Pallas, acum doctáſq; manus tibi cedet Arachne,
Cedam victa libens dea dixit. ibi aurea totis

Fluxerunt cunis flaua inſtrumenta Mineruæ
Et radius pectenq; & inaurati calathiſci.
Dicite Hymē Hymenae Hymē,*ter dicite* Nymphæ.
Se Iunone Samos, iactant ſe pallade Athenæ:
Te Cyprus Cytherea, colūt iuga Cynthia Phœbē:
At virgo non vna tuo de nomine tellus
Clareſcit, ſe noſtra tuis natalibus ornat
Parthenope, propriámque vocat Sebetos alumnā,
Claráque mox ipſis Inſubris terra feretur
Connubijs, flauúſque comas Ticinus, & ingens
Eridanus pronóque ruens celer Abdua curſu
Attollent caput & tanto ſe nomine cælo
Aequantes, celſis elati cornibus ibunt.
Dicite Hymē Hymenæe Hymē,*ter dicite* Nymphæ.
Maternam inuiſens Delon Latonia virgo,
Lætatur dulcique ſolo & natalibus aruis,
Lætatur ſuperas repetens Proſerpina ſedes,
Myſtica maternæ cùm ſacra reuiſit Eleuſis:
Tu quoque Sfortiacos virgo acceſſura penates.
Cognatas i læta domos, genus inclyta mater
Vnde ferens, tanto talem te diua parenti
Progenuit: quod deinde tuis felicibus auctum
Connubijs, duplici confirmes addita vinclo,
Ipſa viri fratríſque tui, coniúxque ſoróque.
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, *ter dicite Nymphæ.*
Tales rite toros, taléſque iniere Hymenæos,
Saturnò quos Rhea potens enixa marito,
Cùm primos illi thalamos Thaumantias Iris,

Inſtrueret, varijs ſpectanda coloribus Iris,
Ambroſiæq; manus ſucco perfuſa nitentes,
Aſtarentque ſuis incinctæ veſtibus Horæ:
Cum paßim Cæli per lumina læta frequentes
Cælicolæ obſtreperent, ac toto reddita Olympo
Frater io, coniux & io, Vox vna ſonaret.
Dicite Hymen *Hymenæe* Hymen, *ter dicite* Nymphæ.
O patriæ o ſæcli decus Heroina, *iugales*
Iam te ſub leges vocat & ſua iura maritus.
At nos æquales, quibus idem ad flumina curſus
Et certamen idem florum ſtudiúmq; decentes
Inſtaurare choros, noſtri iam ad munera luci
Mane reuertemur; iam te ſine munera nobis
Illa quidem placitura minus: namque alta relictæ
Per nemora, vt querulis vitulæ mugitibus inſtãt,
Et gemitu matrem implorant, quæ montibus altis
Errauit, viridi aut conualle oblita reſedit
Mollia prata ſecuta, nouos aut fortè hymeneos;
Cara tui ſic nos memores abitura relinquis
Aeternum, dulcíſque animis hærebis imago:
Te noſtri recinent luſus, te noſtra ſonabunt
Carmina, te thyaſi, primæ tibi munera noſtra
Pendebunt ſuaue halantes de more corollæ:
Prima tibi vnguenta, & patrios fundemus odores
Vmbroſam ſub loton: opaco vertice lotos
Sebethi patris ad ripas ſpectanda virebit.
Quodq; oculo properante aliquis properante carina
Præteriens

Præteriens legat, hoc ſignabit littera carmen,
Grandior inciſum teneris quod præferat arbos,
Corticibus: Cole me, Iſabellæ ego regia Lotos.
Hæc ita nos: at tu diuis egreſſa ſecundis
Ibis in amplexus cari exoptata mariti
Qui robuſta tuo circundet brachia collo,
Virgineáque ſinum zona mox ſoluere pergat
Fœcundam exercens optata prole iuuentam:
Inde tuos mox iam matri miſſura nepotes
In gremium, formoſa decor queis matris ab ore
Miſceat ora, marémque ferant a patre vigorem.
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite Nymphæ.
Sed te iam placidis ſpirantes flatibus auræ
Pacatúmque vocat nautis properantibus æquor,
Increpat & ſumma rector de puppe morantem,
Ingredere optatáſque vias pede ſuſcipe læto.
Oſcula germanúmque pios age deſere fletus:
Te quoque lacrymulas virgo iam mittere tempus.
Abſtergent tibi ſingultus mox gaudia tantos,
Gaudia, quæ lacrymis aliter teſtere profuſis.
Dicite Hymen Hymenæe Hymen, ter dicite Nymphæ.
Iam dextro claſſem tetigit pede: iam procul alta
Conſpicitur virgo in puppi, lætíque recepta
Clamorem tollunt nautæ, iam vincula ſoluunt,
Iam pontem, funémq; legunt: cauáq; æra coruſco
Igne tonant, crebriſque laceſſunt ictibus auras,
Ac validis diſploſa ſonoribus aëra complent,

Egreſſæ bona ſigna rati,& ſoluentibus omen.
Talis ad Æmonium frenato piſce maritum
Vecta Thetis,leuit aut ſedit cùm Cypria cõcha.
Dicite Hymen *Hymenæe Hymen, ter dicite Nymphæ.*
Prouehitur ſed iam pelago ratis,actáque remis
Littora deſeruit:dubios iam lintea viſus
Paulatim,flentéſque oculos ſublata relinquunt.
Nos quoque vox,nos ipſa animi mens deſerit omnis:
Infractiq; labant gelido ſub pectore ſenſus.
Quod ſupereſt votis te virgo,& mente ſequemur.
Ergo ſeu patrio digreſſam littore curuo
Exipiet Caieta ſinu,ſeu te Anxuris arces
Circeóſq; lacus iuxta,& Tiberina legentem
Oſtia,nec fidum nautis mare,remige dextro
Flectentem facili adiutus tranſmiſerit aura
Puppis, & Herculeos inuiſeret hoſpita portus:
Siue Argora tuis ſpumeſcant æquora remis,
Quà patet effoßis fœcundior Ilua metallis
Et vaſtos pelagi in fluctus Populonia *mater*
Proſpectat,ſummóque attollitur ardua ſaxo.
Seu tua Neleæ remorentur lintea Piſæ,
Rorantéſque imo tollens de gurgite vultus
Labentem niueæ præter vada cerula Lunæ
Aſpiciat procul,& Nymphis ſtipatus adoret
Macra ſuis adſtans ripis pater ad ſua tandem
Littora delatam regnis Ligur ora maritis

Accipiat, prima & puppin veneretur herilem:
Dum ſacros Ericis portus, totóſque receſſus
Ipſa ſuis nantem excipiens Venus alma lacertis
Inuehat, optatiſq; adſignet denique terris.
Nereides tibi, Nereides Tyrrhena propago
Numina, Neſæe, Melitæáque Cymodocéque,
Glauceq;, Spióque, Ianiráque pulcráque doto
Amphinoméq; Opiſque, Pheruſáq; Dexamenéq;
Atque Halye, atque Thoe, & flauo crine Amathuſa,
Maternúmque Thetis nunc primum oblita dolorem,
Aßiſtant, ſternántque viã, & comitentur euntẽ,
Certatímque tuæ præludat turba carinæ.
Iam votis nos te virgo, iam mente ſequemur.
Mox vbi iã pelagi tantum, & permenſa viarũ,
Contigeris cupidas dilecti coniugis vlnas,
Gratáque ſollicitos tandem nox iunget amantes
Aeternos vobis Cypris dea, Cypris amores,
Concordéſque animos, & mutua vincula nectat:
Vincula quæ ſeræ maneant ad fata ſenectæ
Fœcundet Latona torum, Latona perenni
Prole domum, Latona genus per ſæcla propaget.
Iuppiter ingentes det opes, det Iuppiter annos
Regnáque fortunámq; domus ſine fine manẽtem.
Dicite Hymen, iterate Hymen *Hymenæe puellæ:*
Dulcis Hymen Hymenæe Hymen, ades o Hymenæe.

IO. ANTONII VVLPAE.

De Bembo.

CAntabam memini pulcer tibi carmen Alexi,
Quum noua ſeſe oculis obtulit ara meis.
Obſtupui, cecidere animi, ſteterúntque capilli,
Sanguis abit, quid agam (tunc ego) quóue feror?
Protinus ecce vocor: rurſúſque, iterúmque vocatus
Aſpicio: ternas vidimus ire deas.
Altera tura manu geſtabat, & altera pilum,
Tegmine clara oleæ tertia frondis erat.
Prima eſt Thuſca mihi Romana eſt altera Pallas
Cognita, quæ comes his Attica virgo fuit.
Indicium Thuſcæ ſacri pia turis acerra:
Martia Romanæ pila dedere mihi:
Atticæ oliuiferi viridis frons baccáque rami,
Per quam Cecropio nomina parta ſolo.
Dum ſequor, in ſtrato fulſit mihi purpura lecto,
Quem ſubiere nouem, turba diſerta, Deæ.
Hunc circũ aurato reſonat dum pectine Phœbus
Prima pio querulos edidit ore modos.
Qualem fatali transfixo vertice penna
Deficienſque ſuo funere cantat olor.
Cæpit. Quæ fueram cunctis prælata puellis
Dum tu viuus eras hei mihi, nunc iaceo,

Quæ ſermone feras, mulcebam, & carmine blando
Dum tu viuus eras, hei mihi, nunc taceo.
Flex imus, heu cantu Venerem, vix vulnera ſenſi
Dum tu viuus eras: hei mihi nunc pereo.
Ah mea quis miſero miſcet DEus *otia fletu?*
Proq́; iocis triſtes has mihi dat lacrymas?
At dum plura cupit, ſiccis vox faucibus hæſit,
Addidit his queſtus, virgo Latina ſuos.
Qualibus ambuſtum proles Clymeneïa fratrem
Sole ſatum gelidi flebat ad amnis aquam.
Talibus illa modis lacrymíſque cadentibus orſa eſt
Mæſta os, ſciſſa comas, lumina fixa ſolo.
Stabam ego dum ſtares, & te regnãte manebam:
Labere, ſum tecum lapſa: cadis, cecidi.
Eheu quo cecinit quóue hic eſt ore loquutus?
Illa mihi quis nunc aut canit aut loquitur?
Exciderat mihi priſcus honos: tu reddere priſcum.
Hei mihi, tu moreris, priſcus honor moritur.
Eheu quod tecum calamis modulata placebam,
Eheu quod modulor te ſine nec placeo.
Plura dolor vetuit. ſed non minus æmula tandem
Graia ſuo querulum fudit ab ore melos.
Qualem queſta ſui caſus memor Atica *vocem*
Vere nouo Geticis dat Philomela iugis.
Talis erat Graiæ, triſtiſque & blanda viciſſim
Vox, linguæ interitum dũ flet & illa ſuæ.
Quæ ſimul ac queſtæ, pronæ incubuere iacenti:
Oſculáque exangui dat ſua quæque ſeni.
Et ſimul: ara tibi Romanæ eſto vrna Mineruæ,

Hæc tibi Palladio conuenit vrna viro.
Nec mora, ſacrati ventum eſt ad limina templi:
Et data funereis turea dona focis.
Et dixere vale, & requiem optauere perennem.
Et tumulo carmen compoſuere ſuum.
Conditur hoc tumulo doctorum fama virorum,
Muſarum nuper vita, modo interitus.
Aſſenſere nouem, Phœbus pater annuit illis:
Fregit & auratam, qua cecinere, fidem.
Intonuere poli: Tiberi vagus Adria fluctus
Miſcuit, o mirum, fecit & Arnus idem.
Fecit idem Alphæus, qua Graia prorſus ab ore
Lucidus in Siculas mergitur amnis aquas.
Intonuit rurſus læuum clamoribus æther
Inſonuit: patula eſt vrna reperta ſenis.
Raptáque in æthereas auras fugit vmbra: cadauer
Conditur: vt licuit viſere, Bembus erat.

De Marco Antonio Flaminio, qui putabatur mortuus, Ad Franciſcum Taurellum.

TAurelle optime mi patrone & idem
Olim in vrbe ſodalium meorum
Prime. Flaminius tuus meuſq;,
Quem cuncti modò mortuum putantes
Luxerunt iuuenes bonum vt parentem,
Luxeruntq; ſenes bonum vt ſodalem,
Viuit, atque valet Deo fauente.

Quem ſanctè coluit, pièque ſemper.
Sic eſt. Flaminium meum tuumq;
Viuentem alloquor, audio loquentem
Illa nectare dulciora verba,
Dicentémque grauedini ſalutem,
Vitæ dicere quam antea parabat.
Verum ne auxilio medentum & arte,
Aut labore putes eum retentum
In vita iam animus ſolutus arcto
Nexu corporis incolebat aſtra
Nil mortale videns, nihil caducum.
Sed nobis fuit ille reſtitutus
Votis, & precibus mei Priuli.
Nanque afferre ſolent Deo ſupremo
Vim vota, atque hominum preces piorum.

Ad Hieronymum Dandinum Epiſcopũ Forocornelienſem.

QVòd te interpellẽ nugis, dũ publica tractas
Munera, & ingenti rerũ molimine anhelas,
Des veniam vel te culpes Dandine neceſſe eſt.
Qui mihi dum comis nimium, nimiúmque benignus
Das faciles aditus, epulis, & diuite menſa
Excipis, hos a me inuerecundos elicis auſus.
Contra alij quidam, biſida qui tempora mitra
Cingunt, congreſſus fugiunt, turbámque precantẽ
Colloquijs arcent, centeno poſte miniſtris

Et totidem appoſitis. Quòd ſi, cùm maxima rerũ
Poſtulat hoc moles, precibus vel munere nonam
Irrumpas, decimæ truderis limine portæ.
Tu facile ingenium natura, mitius arte
Efficis. hinc caſu aduerſo triſtaris amici
Non ſecus atque tuo, curis & frangeris iiſdem.
Hoc tibi me cogit cauſſas exponere, quare
Sortiti dominum clarum natalibus, annis,
Fortunis, animo illuſtrem, virtutis amicum,
Poſt ſextum menſem Roma diſcedimus. hoc tu
Fortè malum ducis in nos contra. ſi vacat, audi.
Me pater haud vilis, ſuſceptum coniuge honeſta,
Primum natorum ſex, vix fantem, ac pede firmo
Tentantem greſſus, ſemotam ablegat in oram,
Scilicet vt poſſem poſt prima elementa Latinum,
Et Graium pelagus certa ſulcare carina.
Euentus poterat voto arridere, quòd eſſem
Ingenio haud prorſus ſtupido: cũ quatuor annos
Atque decem nato rapuit libitina parentem.
Inde domum rediens ceſſo, luſtrumq; ſupinè
Traduco. poſt, me patruus patria expulit, atque
Ticinum miſit, tabuliſq; incumbere bis ſex
Iuſſit, ſcita decem queis ſunt inſcripta virorum.
Hic ego ſub claris poſui rudimenta magiſtris
Militiæ, impleuíque nouem ſtipendia: poſt quæ
Emeritus mittor donatus cum rude lauro.
Poſt hæc in patria, turba comitante clientum,
Dum cauſas agito, & defendo, iura popello
Tetrica reſponſo, non parua pecunia, verum

(Quod maius duco) mihi gratia quæritur ingens.
Hic legor, & populi, & ſancti ex mente ſenatus,
Qui luſtrum condam, qui ſcribam ciuica iura,
Iudicio & præſim. poſt noſtra miſſus ab vrbe
Legatus, faciles laſſaui Cæſaris aures.
Quid quæris, proprias tumido dum proiicis ore
Laudes? hac poteram fortuna viuere lætus
Ni mihi, ceu ſtipulis ignes iniecta, fuiſſet
Ambitio, nobis dum proponuntur honores,
Atque aurũ, dũ tu occurris, paritérq; Maphæus,
Atque alij pauci, qui orbis tractatis habenas,
Nec merita expendo, curás, tantóſque labores
Inſomnes quæ vos cogunt traducere noctes,
Captus opum tanto ſplendore & lumine claras,
Ceu Satyrus quondam, flammas exurere ſenſi.
Si mihi non ſtabat Parijs ſuffulta columnis
Regia, nec ſenſus fallentia marmora: ſaltem
Culta domus fuerat, tenuis ſed munda ſupellex,
Qua exciperẽ inſignes homines ex claſſe ſecunda,
Communis queis noſtra fuit ſemper domus, & res,
Et cenſus, paruus certè, at ſine crimine partus.
Ire ſalutatum nos atria nulla potentum
Cogebant, multa cum limina noſtra ſalute
Feruerent: fuit & comitum lectiſſima turba,
Quos nobis mores, ſtudiũ, & par, iunxerat ætas.
His ego gaudebam: domini cum nomine Romam
Euocor: haud credo ſed te vult: me vocat ille?
Sic eſt, at ludis: quid enim ſtupidi, atque puſilli
Me ingenij capiat tantus rex? eſt ita: me, inquã,

Tertia deinde venit, nuto: ſed epiſtola quarta
Expugnat: quis enim multis magníſque repugnet
promiſsis? mitto quæ ſors ſperare iuberet.
Ex illo & patria, & comites ſordeſcere nobis
Cæpere, & faſtu ſenſim turgeſcere pulmo.
Hinc tumidis ducens ingentes follibus auras,
Omnia magna ſono, reges, diademata, mitras.
Ante oculos ſtat Roma mihi noctéſq; diéſq;,
Hæret Roma oculis: inſomnes cernimus arcem,
Roſtra, Theatra, forum, Saturni tēpla, Suburrā.
Flentibus hinc ſocijs tandem diſcedimus: armos
Argento grauida nobis laſſante crumena.
Omnia dum propero, retinēt me: in limine primū
Offendo: valuiſq; lacinia veſtis adhæret:
Claudicat alter equus ſoleis offenſus: ab alta
Ilice parra canit læua: occurrit lupus, anguis
Rumpit iter: pluuiæ, altíſque erumpentia ripis
Flumina nos tardāt: properauim⁹ attamē, & dijs
Iratis magnæ perueni ad mænia Romæ.
Hic dominus, quòd erat curarum turbine magno
Oppreſſus, ſero me admittit ad oſcula dextræ,
Excipit & paucis, & fronte ſerena,
Quæ nutantem animum firmarēt: inde ſuorum
Scribimur in numero. Sed bina cubilia primum
Conducenda mihi, ſtabulum poſt, deinde culina
Quæ quater vndenas nos cogūt pendere drachmas
In menſe: at dominus promiſit: ferre neceſſe eſt,
(Vnus ait) multo quòd regia plena cliente eſt.
Si diſpenſator iubet, hoſpitijq; magiſter,

Chironomo, ſcurræ, productori, aut citharœdo
Aſſurgas: quid enim? pereat ne ſportula, quippe
Tres nobis numerat nummos mercede diurna
Cũ pueris, & equo: hinc quærenda caro, hinc olus,
Hinc oleũ, ſcõbri, paruæ, viléſq; faſelli: (hinc ſal,
Odit enim lepores, turdos, conchilia, mullos
Menſa mihi, & pueris communis: ſportula quãuis
Sit tenuis, nobis nunquam datur integra: auaro
A quæſtore aliquid ſemper corraditur: vltra
In primo quòd nulla mihi ſit reddita menſe.
Præpoſitus ſtabulo domini negat hordea, fœnum,
Et ſtramen: negat ille mihi? negat improb⁹: ardet
Intus bile iecur: deſcendo ad iurgia: tandem
Poſt quartum menſem vilem metitur auenam,
Et putidum culmum, pudeat quẽ ſternere, & illa,
Quę in vacuas paleas, & purgamenta recedat,
Si cribro excutias: non aßignantur equilis
Aut locus, aut ſtatio. poſt tres cellarius horas
Dimittit puerum tandem. redit ille lagana
Dimidia. verùm ſic diluta, vt mihi Tibris
Fluctuet in ſtomacho, cùm credo hauſiſſe Falernũ.
Hîc ego, tot paream dominis? tot peßima liber
Facta feram? ſemper me impune poſte repellat
Ianitor implumis, roſea facie, cute leui,
Cirratáque coma? ſi non diſtringimus enſes
Fulmineos, liceat genuinum frangere more
Lucilî, generet rabies ne preſſa venenum.
Mitto quanta tuli, patiárque incommoda, mane
Summo proſilio ſtratis: & currimus vſque

In Vaticanum pluuiis,ſeu ſolibus æther
Sæuiat.hic ſtantes aliquot conſumimus horas,
Vt dominum videam,quem claudunt oſtia centũ,
Atque aditus centum:populis vt præbeat aures,
Egreditur tandem,quem nos veneramur aperto
Et capite,& genibus flexis,dum quiſq; videndũ
Præponit ſeſe,impellor,turbæq; procella
Iactor,poſtremus ne ſim.ſed viribus,auſu,
Et cubito aperienda via eſt. Si forte vehatur
Aut mulo,aut rheda,raptim ſequor, ilia equorũ
Tundens,poſt redeo perfuſus pallia cæno.
Poſtea cùm dominus diſcumbit: ſtans ego contra
Illi me oppono,vt ſi tollat lumina menſa,
Me videat,luſtróque oculis,ſi forte beatum
Me obtutu faciat:ſi me ſeruire parato
Vtatur,ſi ſponte aliquid mandet,iubeátve.
Sed fruſtra ante oculos verſamur: nãque ſecũdus,
Tertius,& quartus mihi menſis labitur,atque
Poſt quintũ ſextus,cùm nec mãdata,nec vllum
Accipio a domino verbũ:comis tamen ille
Omnibus arridere,ioco perſtringere,& vltro
Compellare:tamen ſolus dimittor,vt ille,
Quem vel relligio,aut morbus congreſſibus arcet.
Hinc nos ſollicitant curæ:indignatio flammas
Excitat,& rabies fundit nigrũ ore venenum.
Ergo ego,qui vt ſcribam,aut reſpõſem ciuica iura
Euocor,hic tantum ſpectator Laocoonti
Seruio marmoreo?præceptis Pythagoreis
Vincior? Harpocratis factus ſũ ad tẽpla ſacerdos?

Debebas illum tu compellare: egóne illi,
Quem tanta exagitant curæ, quem tãta fatigat
Congeries rerum, me auſim præbere moleſtum?
Exciuit, veni, ſto coràm, me videt omni
Luce vel inuitus: tu, Saulius, atque Maphæus,
Et Iouius profertis me: reſpondet at ille
Comiter, eſt cordi: memini, cũ tempus erit, tunc
Accerſam. at ceſſo: tentem Dandine quid vltra?
Quid faciam? patere. hîc nobis plus deperit vno
Mẽſe animi cultus, quàm quod profecimus anno.
Euolat e loculis æs: curis vrimur: vltra
Quòd mihi relligio eſt domini conſumere fruges
Segniter, & lecto, atque epulis traducere luces.
Ruſticus Aufidius, conducti cultor agelli,
Aſſuetus glebas curuo verſare tridente,
Et ſegetes ſarrire, boues & iungere, multo
Cùm frangi interdum ſentiret membra labore,
O fortunatum (dicebat) cui datur vrbem
Incolere, & duri vitare incommoda ruris.
Sors fauit: vocat hunc quidam heros magnus in vrbem:
Accurrit turgens ſpe, ac ambitione laborans:
Deliciis vrbis capitur: thermas, & cõpita luſtrat,
Atque forũ. Sed dũ dominus, nihil imperat illi,
Oſcitat, & vacuus ceſſat, luditq; canitq;:
Multa dies tamen & ſupereſt: tunc otia damnãs
Vrbis, conqueritur tardos procedere ſoles.
Hinc ſe ſe incuſans, quòd vitam ferre priorem
Neſciſſet, dominum conuenit, me mihi, dicens,

Me mihi redde precor, vita ne frangar inerti,
Et menti & neruis obducant otia callum:
Ne ſi forte tibi me inuiſum fecerit ætas,
Atque tuis domibus migrandum ſit mihi: ſerò
præteriiſſe dies doleam: quòd ruſtica nobis
Ars pereat, nequeántque aſſueſcere mẽbra labori.
Sic mihi, ne ingenium, aßiduo quod vomere feſſũ
Vix ferat exiguas fruges, ſi ceſſet opella,
Ad ſteriles redeat ſtipulas, ſecedere præſtat.
Nũ dominũ culpas? me accuſo, quòd nimis audax
Huic tanto ſeruire viro me poſſe putaui:
Fortunámque meam damno, quæ neſciat vti
Re oblata. dominũ culpem? quis mitior illo,
Munificúsve magis? cùm fulgeat omnibus æquè
Sol, ſi dureſcit cœnum, ſi cera liqueſcit,
Hæc potius ſolis radios accuſet, an ipſam,
Natura quæ non valeat dureſcere? comis
Omnibus eſt dominus. negat hoc quis? ſed mihi (noſtrum
Peccatum fateor) nimis eſt durus, grauis, aſper.
Has Dãdine putas cauſſas quòd linquimus vrbis
Mœnia, & armato ſtimulamus calce caballum?
Falleris vt mittam quòd cura domeſtica dudum
Me vocat, & niſi creſcat, ſaltem ne pereat res,
Vrget me maior ratio: nam cura ſalutis,
Et vitæ nobis præponitur ambitioni,
Atque opibus, licet illa aliјs ſit vilior alga.
Eſt mihi cara, ideo leti eripienda periclis,
Siue cibi vitio, ſeu cæli, ſiue falerni

Eueniat ſeu forte animis illuſtribus aër
Hic ſolitus, nutrire negat viles, & vti nos,
Degeneres: ego ſemper torqueor, atque laboro
Et ſtomacho, & capite: hoc ſemper vertigine circũ
Voluitur: at grauis hic heſterna pondere cœna
Aſſiduò turget: iam ſeptima præterit hora,
Quòd marceſcit adhuc: ſaltamus, currimus, at nil
Proficimus. Si cœnandum ſit, fercula ſordent
Languenti ſtomacho: haud obſonia lauta palato
Reſpondent: digito in guttur, ceu pharmaca, cœnã
Farcio: viuendum quoniã eſt: & pondere põdus
Trudimus hinc macies artus, hinc occupat ora
Pallor: tabeſcunt ſenſus, & lumina fœda
Caligant: crudóſq; cibos tuſſi excreo anhela.
Sic ego qui vaccas auias, proauóſque elephantos
Poſſem concoquere, offa nũc, mediõ & grauor ouo.
Contempti augentur morbi, præſenſq; minantur
Exitium, ſi nos paulum præcidere cauſſas
Differimus lenti, quas non lenire valerent
Pharmaca, vel ſucci, medicinæve auctor Apollo.
Viuere, commoditas magna eſt, ſumumq; bonum: ergo
Sedandæ ingentes curæ, quibus enecor: ipſi
Quòd ſim deſpectus domino fugienda Quirini
Infamis regio, & cælum graue: noſtra petenda
Eſt patria: hæc quòd nos dederit vitalibus auris,
Aut alet, aut ſaltem producet funera. Roma
Diſcedo, mihi quòd vitæ, quòd cura ſalutis
Haud ſpernẽda fuit, cauſſam hãc adducim⁹ vnã.

Quam ſi fortè probas tu, Saulius, atq; Maphæus,
Quos veneror tanquam noſtri tria numina ſæcli,
Non ego curarim quid latret cætera turba.
Hæc Dandine tibi Venuſina ſcripta camœna
Carmina dictabã Senis, dum ſedulus hoſpes
Curat equos, nobíſq; dapes apponit: vt iſtic
Siquis me accuſet, domino purgare valeres.
Plura loquuturum me pagina deſerit: hoſpes
Sollicitat: comites frigeſcere fercula clamant:
Ergo vale, inq; tui me ſcribe volumine cenſus.

LVDO-

IVDOVICI FENAROLI.

M*Ars Caroli in Lybicas magnus dum ful-*
minat arces,
Victoriq́; parat dum ſpolia ampla Ioui,
In Iouis vltoris magnus nunc fulgurat arces
Britonij Phœbus, facta tonans Caroli.
O facta æterna hæc, o numina magna Deorum
Et Phœbi & Martis Britonio & Carolo.

De Imperatore Carolo v.

A*Frica dum Carolũ patriis aſpexit in armis,*
Belligera aſpexit numina cum Carolo.
Mox cùm Aſia hunc Regem agnoſcet, tunc omnia
in vno
Omnes cognoſcent numina & imperia.
Dum Carolũ Europa aſpectat victorẽ & amicũ,
Pacifera aſpectat numina cum Carolo.

De eodem.

R*Oma olim imperio potitur dũ maxima rerũ,*
Omnibus illa Deis maxima templa facit.
Nunc latè Carolus dum maximus imperat orbi,
Templa omnes Carolo maxima dij faciunt.
Ergo ſi Carolo faciunt Dij maxima templa,
Non Carolo facient maxima ſacra homines?

De Paulo Pont. III.

CArmine facta hominum viuunt, & facta deorum:
Et ſemper ſacra viuitur hiſtoria:
Carmine & hiſtoria viuant licet omnia ſemper,
At Paulo viuunt carmina & hiſtoria.

In fontem.

NAturæ his Genius ſeſe miratur in vndis
Naturæ inſpiciens numen, & artis opus.
Huic fõti, huic Genio, huic arti mira omnia cedãt
Fontis aquæ, Genij numen, & artis opus.

Epit. Latini Vecciæ Romani.

ROmano priſcos æquas dum Marte Latinos
Romana ante annos morte Latine cadis.
Sed moriens, bello exemplum, morti addis honorẽ
Romanus factis morte, animo, & genere.

De eodem.

ROmanus Latio creſcẽs iam magnus Achilles,
Romulidum indueras arma Latine ducũ.
Atque vno in bello, & belli in diſcrimine primo
Romulidum æquaſti facta ducum moriens.

Quid ſi vixiſſes? priſcis obſcura Latinis
Fama foret, nobis clarior, & Latio.

De Victoria Columna.

MVſarũ, & Chriſti, & rerũ, Victoria donec
Nobis defuerat, gloria rara fuit.
Muſarũ, & Chriſti, & rerum, Victoria poſtquã
Nobis adfuerat, gloria ſumma fuit.
Donec erit victrix vitij hæc Victoria, rebus,
Et Chriſto, & Muſis gloria ſemper erit.

De eadem cùm in Monaſterio degeret.

FRanciſco dum læta ſuo Victoria nupta eſt,
Eſt data dos magno gloria magna viro.
Franciſco peperit Victoria læta triumphos,
Maximáque in iuncto eſt gloria parta toro.
Sed nunc nupta Deo Victoria ſacra, triumphos
Num paritura hominũ eſt, an paritura Deûm?

De Philippo Archinto Gub. Vrbis.

ROmulus antiquis fundauit legibus Vrbem,
Atque idem erexit mœnia & Vrbis opes.
Sed tempus leges, ſed fatum mœnia opéſque
Euertêre, Vrbis ſic monumenta ruunt.
At tu Archinte tuis renouas nunc legibus Vrbem,
Atque auges idem mœnia & Vrbis opes.
Vrbi viue igitur felix Archinte, vti leges
Viuant, atque vrbis mœnia, & Vrbis opes.

ANGELI COLOTII.

Epitaphium Laſcaris.

DIlectus Muſis, & rebus natus agendis,
Quem grauida imperiis protulit alta dom⁹,
Tot freta dum curris, totq; inuia regna pererras,
Auſonia tandem Laſcaris vrbe iaces.
Sed ſitus in patria es, Graio licet orbe remotus:
Nulla eſt virtuti terra aliena ſuæ.

Ad Tiberim.

TIbri pater, quis te ſopor occupat? aſpice quanta
Liris, quanta Atheſis laude ſuperbus eat.
Hic dum Tyrrhenum rapidus decurrit in æquor,
Sequanico infectas ſanguine vexit aquas.
Cæde illum Iſtriaca tumidum, & ſpolia ampla ferentem
Adriacus vidit pontus, & obſtupuit.
Quare age, rumpe moram, aut aliò tua flumina verte:
Inbellem Martis non decet vrbe frui.

PETRI CVRSII.

Ad Platanum in villa Roſcia.

ARbor clarorum hoſpitio dignata virorum,
Et regum ſacra ſæpe rigata manu
Salue, aruis longùm Latiis non edita, ſed quæ
Nunc patulis ornas Roſcia rura comis.
Huc ades, haud his orta iugis ſine numine amico es
Læta dabant Platani ſæcula, læta dabis.

Ad Paullum III.

QVi pacem vt terra atque mari des Paulle, ſubiſti
Mille ſenex terræ, mille pericla maris.
Quæ tibi pacata debentur præmia terra,
Quæ tibi pacato digna trophea mari?
Terra, mare his minus: at cælum noua procreat aſtra:
Dÿ, quibus hæc ſeruas regna, trophæa parant.

Tum. Campegij Card.

CAmpegÿ terra hæc viui tegit oſſa, viator,
Nam ſtupor eſt cælo lapſa putare mori.

De Tiberis inundatione poſt direptam a Cæſariano milite Romam.

ENſe hic, igne, fame paucis amiſimus annis
Longa dies quantum vix reparare queat.
Nũc mare Tyrrhenum fluctu hinc ſe opponit, & vrget:
Hinc Tuſcus ſubitis ingruit amnis aquis.
Vt quos tot nequeunt ſtrages abſumere flammis
Neptunus noſtri ſubruat amnis ope.
Rara domus tumidis, horrendũ, apparet in vndis:
Rarus & in cimbis vir iuga ſumma ſubit.
Vnde vrbem Roma Venetã ſpectamus in vrbe
Hac ruit heu, creſcit fluctibus illa ſuis.
Sed mage nos miſeros, quibus, hæc dũ funera flem⁹,
Vnda pedes iam nunc, nunc rapit vnda animã.
Quod tamen admiſſum tantũ ſcelus eſſe putemus,
Quantum opus vt ſociis abluat æquor aquis?
Certè hoc non noſtrum crimen: Dÿ ſanguine fœda
Non alio poterant tergere templa modo.

IO AN. FRAN. BINI.

Ad fontem.

QVi blando obſtrepitis circum nemora alta ſuſurro,
Glareola & quorum murmurat in gremio
Natura, o fontes arti concedite, veſtrum
Nec pudeat tremulos quemque referre pedes:
Nam (ſeu vos pariat tellus ſeu turbidus æther,
Seu mare, quo de omnes proſiliunt latices)
Vt rebus præſtant homines, ſollertia rerum,
Humano ſic iam vincitur ingenio.

Ad Benedictum Varchium.

EN tibi aprum Varchi, modò cui de iure calẽti
Noſtra pedes glacie docta ligauit anus.
Sed nec aper, nec te glacies, neque iura iuuabunt,
Rictum huic ſi admorit noſter, & ora Tryphõ,
Qui horridior glacie, qui apris dentatior, & cui
Dulcior Hybleo iuris amor latice.

TRYPHONIS BENTII.

SAnguineos magnæ pueros duo lumina Romæ,
Par quibus in toto ſol videt orbe nihil,
Depereunt Latiæq; nurus, iuuenéſq; ſenéſque,
In mediis ardet Tibris & ipſe vadis.
Tanguntur ſuperi inuidia, Ganymede quòd vno
Aſtra micent, iactet Roma ſuperba duos.

Ad Idmonem.

FOrtunate Idmon, nemorũ noua gloria Phyllis,
Nota tuis paſſim Phyllis arundinibus
Dat catulum tibi habere, ipſæ quẽ ſæpe rogantes
Nec potuit Chloris ferre, nec Hippolyte:
Illa licet magnos attingat ſanguine reges,
Sit potis hæc forma ſollicitare deos.
Phyllida Dametæ fit cõpia rara videndi,
At tu iam illius pignus amoris habes.

De ſe, & Aurora.

FRonte ego conſpiciens roſea fuluiſq; decoram
Crinibus Auroram, dum vehit illa diem,
Impetor, heu, pueri nunquam placabilis arcu:
Omnis & e noſtro diffugit ore color.

Túmque Deum mœſto ſuſpiria corde trahentes
Alloquimur: tecum noſtra puella venit.
Fortunate ſenex o tali coniuge, certo
Nam repetit croceum tempore fida torum.
Aſt ego quid faciam infelix? ſunt atra miſello,
Te vt videam mea lux, regna adeunda mihi.
Sors tua quàm noſtra melior! te nocte reuiſit
Coniux, nec canum deſpicit ipſa caput.
Per te ingrata dies nobis, ingratáque nox eſt,
Quæ mi animum moriens ſurripis atq; animã.

De Clælia.

DVm fluuiũ vinctis tranaret Clælia palmis,
Hæc fertur mediis dicta dediſſe vadis:
Eſte boni, & ſiqua eſt pietas, vos parcite fluctus,
Quos maiora meis viribus auſa ſeco.
Et tamen vt peream, moriens mox ſidera adibo,
Et veſtrum æternum mors mea crimen erit.
Quid non virgineus potuit pudor? vnda receptus
Ipſa deo tutos non renuente dedit.
Tarpeiæ probrum ſileas iam fama puellæ:
Non poterat facto nobiliore tegi.

Querimonia anſeris, quem ab arbore ſuſpenſum iaculis Romani petebant.

Quid bene facta iuuãt? quid vos ſeruaſſe Quirites
Et Capitolini templa ſuperba Iouis?
En iaculis ſumma pendens ex arbore veſtris
Poſtmodo victori præda futura petor.

Ergo non aliam tanta feritate decebat
Quàm veſtri altricem ſanguinis eſſe lupam.

Ad Molſam.

QVas pedibus paßim premimus nunc Molſa ruinas,
Romulidum quondam tecta fuere patrum.
Queq; Deûm eximios tunc teſtabantur honores
Aurea templa, boum paſcua facta vides.
Ad ſua cuncta hominum redeunt primordia: noſtris
Temporibus Roma eſt, quod fuit ante Remum.

ALOISII PRIVLI.

Vota Lyconis Neptuno.

HAEc Neptune tibi contrito retia lino,
Hos calathos, atque hæc ferrea tela Lycō
Dedicat: inq; altas ſupplex en porricit vndas
Iam ſenior tremula lacq; merumq; manu.
Dum licuit validis ſcrutatus viribus æquor,
His largè eduxit ſeq; ſuámque domum.
Nunc ſenio grauis exiguos vix litore piſces
Conſidens calamis captat arundineis.
Tu vero, vaſti cui parent æquora ponti,
Et quicquid magni continet vnda maris,
Fac vacuus redeat nunquam ſub veſpere præda
Ille domum: parua hæc munera parua petunt.

Ad puellam.

PVro ſplendidior ſole puellula, &
Longè Sithonia candidior niue,
Sed multò aſperior tigribus aſperis
Vndíſque acrior Adriæ,
Cur perſtas ſcopulis ſurdior Icari
Mathonis querulis vocibus, igneum
Cur pectus miſeri, cur iecur impia

Miris excrucias modis?
Nec te forma mouet, dura, nec integra
Aetas, non animus, vel genus, aut fides
Incorrupta viri, non amor aureus,
Non miſtæ lacrymis preces.
Nec quòd Threicio blandius Orpheo
Etruſco modulans carmina barbito,
Dat ſenſum rigidis quercubus, & capit
Tigres te capere impotens.
Pone atrocem animum, pone ſuperbiam:
Non bellas decet hæc fama puellulas:
Quòd cogant iuuenes duriter ad necem,
Si neſcis ſcelus impium eſt.
Et te dira manet pœna apud inferos,
Quæ natas Danai torquet inanibus
Vrnis, dum refluit nec ſemel vnda, nec
Paruis hauſta laboribus.

Ad Galeatium Florimontium Epiſcopum Aquinatem.

SI cupis ex animo cognoſcere quid ſit agendum
Nunc tibi, iam temet conſule, non alios.
Te nemo id melius poterit tibi dicere, ſi quæ
Sæpe aliis dixti, dixeris ipſe tibi:
Diceret & quæ Gibertus, ſi viueret: ah quid
Dic miſer, ah Romæ quid Galathee facis.
Oblitus decoríſque tui, ſponſæq; ſalutis,
Pro qua vel vitam ponere debueras?

Diceret hæc, inquam, tibi quæ ſi viueret ille
Increpitans, tute dic Galathee tibi.
Arreptáque fuga, ſponſam pete: quam licet ipſe
Spreueris, haud alium vult tamen illa virum.
Deperit illa vnum tantum, te te expetit vnum:
Tu pater & frater, túque maritus ei es.
Ruſtica ſit quãuis: tamẽ eſt vel amabilis vno hoc
Nomine, quòd te vnum diligit, atque vocat.
Rumpe moras, moneo, ſponſam ne ſperne vocantẽ:
Dic miſer ah Romæ quid Galathee facis?
Quid noua cum veteri diuortia coniuge tentas?
An non illa deo eſt auſpice nupta tibi?
An non Parthenopes quamuis deceptus amore
Illam liquiſſes: maluit illa tamen
In viduo mœrens tabeſcere frigida lecto,
Quàm ſpreto te, alio viuere iuncta viro?
Rumpe moras iterum moneo, ſemperq; monebo:
Rumpe moras: Romæ quid Galathee facis
Oblitus decoríſq; tui ſponſæq; ſalutis,
Pro qua vel vitam ponere debueras?

Ad eundem.

RVmpe moras, iterũ moneo, Galathee, ſupremũ
Hoc eſt, quod moneo: plura me nere vetor.
Pande aures monitis, quæ non mihi dictat Apollo
Vana nec Aoniæ numina Pierides,
Sed Deus ora mouet, Deus inquã hos edere verſus
Et fraternus amor pauca monere iubet.

Rumpe moras iterum moneo Galathee, reuerte,
Dum licet, ad ſponſam, ſi ſapis ipſe tuam.
Hoc te Flaminius, Gibertus & ipſe moneret,
Si campis reditus detur ab Elyſiis:
Et nunc cunctantem te miraretur vterque:
Nunc certè inſanit, diceret, iſte ſenex.
Num ne times vanos queſtus Amaryllidos? an te
Mœrens lacrymulis detinet iſta ſuis?
Ah quantò plures lacrymas effundit ocellis,
Quæ iacet in viduo frigida ſponſa toro.
Illa quidem ſeros reditus defeſſa querendo
Crudelem incuſat térque quatérque virum.
Méne diu ſolam ſine te Galathee manere,
Téne mei immemorem degere in Vrbe diu?
Crudelis Galathee diu quid in vrbe moraris?
Dic ſaue ah Roma quid Galathee facis?
Ruſtica ſim quamuis, an non tamen ipſa pudore
Egregio merui ſat placuiße meo?
Nonne ego ſeruaui intactum tibi caſta cubile,
Cùm tu Parthenopes captus amore fores?
Scilicet hoc egi, vt te nunc Amaryllis haberet
Poßideátque virum ſcilicet iſta meum.
Haccine pro meritis tantis ingrate rependis
Præmia? cum fida coniuge ſiccine agis?
Quod ſi nulla meæ tangit te cura ſalutis,
At ſaltem exigui commiſerere gregis:
Qui dum per ſaltus nullo paſtore vagatur
Heu miſer eſt auidis obuia præda lupis.
Hæc, & plura equidē audiui Galathee querentē

Sponſam ſæpe tuam vocibus horrificis:
At tu blanditiis formoſæ Amaryllidos eheu
Illectus, ſponſam deſpicis, atque gregem:
Oblitus decoriſq; tui, ſponſæq; ſalutis
Pro qua vel fuerat mors obeunda tibi.
Rumpe moras, iterum moneo, Galathee: ſupremũ
Hoc eſt, quod moneo: plura monere vetor.

IO. CHRYSOSTOMI.

Ad Iſabellam.

TRes vidiſſe Deas fertur Priameius heros:
In te vna video tres Iſabella Deas.
Iudice me cedunt omnes tibi; cedit honore
Ingenio, forma, Iuno, Minerua, Venus.

Iocus.

Exertam ad fontem ſuras nudare viator
Altius ancillam, quæ latuere, rogat.
Pacta meri pretiũ hæc vt erat Germana, reductis
Veſtibus ad tenerum detegit vſq; femur.
Accepto mox ære auertitur, inq; ſupinas
Prona nates, gratis hoc (ait) hoſpes habe.

FRANCISCI BELLINI.

DVm legerē hæc Amarylli tibi florentia ſerta
Vix potui inſtantes pellere tutus apes.
At mihi pro meritis tu nunc fragrantia redde
Oſcula, & Hyblæis tincta labella ſauis:
Inuideant vt apes capiti florentia ſerta,
Inuideant labris dulcia mella tuis.

BERNARDINI PARTHENII.

Ad Pium V. Pont. Max.

QValis tepenti cùm Boreas plaga
Lapſus, ſonanti flamine trux gemit,
Siluæ comantes cùm laborant,
Et volitant ſegetes reuulſæ:
Terramq́; inertem atque alta Ceraunia
Dextra rubenti e nube Dieſpiter,
Molémque Olympi corruentis
Et rigidam Rhodopem ſatigat:
Sternuntur altis ſedibus oppida
Turresq́; pronæ mœniáque ardua,
Vrbes ſuperbæ procidentes
Terrificis recubant ruinis:
Inſurgit imo e gurgite, & igneis
Infertur aſtris indomitum mare
Feruens procellis, hinc dehiſcens
Terra labat, trepidántque manes:
Se tale terras ah miſeras parat
Perflans venenum vipereum, truces
Dentesq́; obarmans e latebris
Threiciis furiale monſtrum.
Attollit iras, ob Meliten fremens
Siccis cruore faucibus, incubat

Germaniæ amens, & patenti
Diluuiem meditatur orbi.
Auditis auras horriſonas, cauas
Valleſq; equorum dira frementium
Hinnitibus terreri acutis,
Sub pedibus reboante terra?
Portenta fœda hæc barbaráque agmina,
Molem hanc nefandam Cæſaris in ſacrum
Labi feremus proruentem
Cum ſonitu caput immerentis?
Vos, queis ſecundo numine rex poli
Frenare bellacem Italiæ dedit
Gentem, nec vnquam ſæuientis
Turbinis imminuit procella.
Quid tot, quid atro ſcabra latent ſitu
Arma? indecori quid malè conditi
Enſes? quid haſtæ, quid minaces
Vulnificæq; iacent ſecures?
Deſes iuuentus indocilis iugo
Ceſſas? auiti nominis immemor
Iuuentus, Auroram Occidentemq;
Heſperiis opibus ſubactum.
Iram cruenta progenitam Styge,
Cognataq; arma & ſanguine ciuico
Enſes madentes irruentem
Vertite funereum in tyrannum.
Ductore rerum & præſide Cæſare
Armate dextras, dum licet: ignium
Regnis ſuperbis imminentum haud

Nomen tyrannus tollere ferreus
Chriſti [illegible]horat, ſacra recondita
Dei [illegible] patrum, atque acta auorum
Perpetuis abolere faſtis.
Inuicte Cæſar, ſemideûm genus,
Spes orbis, vnum quem dominum fremunt
Gentes, & Europe ſolutis
Crinibus illacrymans repoſcit:
Aude tumentes auſpicibus minas
Arcere diuis, maxime gentium
Cuſtos: trabales & cathenas
Excute terrificum minantis.
Votiua ſanctus en ſocialia
Ad templa diuûm ſacra facit pater,
Reſtinguat vt virus nefandi
Mortiferum penitus colubri.
Paßim canentes virgineis choris
Laudem tonantis, dum omnia odoribus
Halant Sabeis Regem Olympi
Sollicitis precibus fatigant.
Auctore tandem hoc eſt conſilio pari
Iuncto, timendum? dum excubias agit
Paſtor, laborantíque ouili
Conciliat ſuperum parentem,
Vindex venenis ſpicula Colchicis
Armata frangens, ſcutáque ahenea
Arcusq; aduncos: diſſipabis
Victor Amazonias pharetras.
De more opimis te ſpoliis ferox

Votis ſolutis flos Alemaniæ
Victrixq́; te onuſtum Vienna
Accipiet reducem triumphis.

VBALDI GENVENSIS.

De ſingulari certamine Federici Sauorgniani, & Martij Colloredi.

Cùm gemini iuuenes, peperit quos Iulia tellus
Ambo pares animis, inuictus viribus ambo
Effoderent nudum per mutua vulnera pectus,
Vidit, & ex alto veniens pax aurea cælo
Sanguine rorantes pugnantibus abſtulit enſes,
Ac tali ambiguum certamen voce diremit:
Eſte pares in amore, pares velut eſtis in armis.

IO. BAP. SANGÆ ROMANI.

In Britonium.

PRetor Grauiſcas mittitur Britonius
Ardente ſub canicula:
Vt peſtilenti comprimas præcordia
Auſter memento ſpiritu,
Contaminatam animam vſque dum malè euomat
Tricipiti habendam Cerbero,
Ne putidorum nos poëmatum necet
Vltro veneno, barbarus
Quibus pepercit enſis. An hoc Romuli
Vrbs perpeti monſtrum queat
Incedere ſuperbum, potentum limina
Et obſidere verſibus
Suffarcinatum? nam quid his nocentius
Letale quid magis ſiet?
At tu poteſtas cui per autumnos data eſt
Auſter, ſuprema ſupplicum
Ne ſperne vota: perditum nam ſi caput
Ad inferos detruſeris,
Mali poetæ liberatori ſacrum
Solemne, & aram, & victimas
Ponemus, Auſter, tu modo ad noſtras preces.
Felix bonuſq; vertere.

BERNARDINI BALDINI.

De Marchione Marignani.

IAcobus Medices,vel(ſi fas nomina diuûm
Impoſuiſſe viris) Mars iacet hoc tumulo.

In Obitu Io.Paulli Viceeomitis.

Portus fluctiuagi quò confugêre poetæ
Quaſſatus pelago terque quaterque, ruit.
Maior & anguiferæ ſobolis reſtincta furenti
Fax eſt incurſu,flatibus atque Noti.
Defuncto te Paulle ſophis ſpes magna,tuiſque
Lux ſublata,choris orta ſed eſt ſuperis.

In obitu Paullæ Viceeomitis Beccariæ.

Te genita noua lux terris exorta refulſit,
Quam tecum eripuit mors truculenta nimis.
Extincta te Paulla nouus nitor additus aſtris,
Demere quem ſuperis mors violenta nequit.
Sic vice terreſtris,potuit quam tollere fatum,
Lucis,inextinctum lumen in axe nitet.

IO. BAPTISTÆ PII.

In vitem malè feracem.

AGreſtem quis te vitem, vel inhoſpita Phœbo
Saxa aluere Scythas propter Hyperboreos?
Celtarum gelidæne alpes tumulique niuales,
An tellus ferri mater Ibera trucis?
Immatura acinis, triſti infœcunda racemo
Nil niſi duritiam, nil niſi virus habes.
Quæro Lycurge tuas falces, radicitus omnis
Turpis vt ancipiti pampinus ære cadat.

De Celtarum more.

Audaces rapido Celtæ noua pignora Rheno
Explorant: non hæc genitrix prius vbere largo
Alma fouet, vitreas fluuij quàm venit ad vndas.
Lympha nouũ capit alta genus, quod remigis inſtar
Vmbo regit, fluidique effulcit corpus alumni.
Et fœtum ſic vnda probat lectúmque iugalem.
Damnat adulterij, fœdo ſi decolor igne.
Poſt dubios genitrix caſus memor Ilithyïæ
Ancipitis, fulcit gelidis in fluctibus ortum,
Anxia diſpiciens cui mobilis annatet vnda.

In Teleſillam olidam.

Mæonides non tale malum ſpiraſſe Chimeram
Trigeminam, aut tauros credidit igniuomos.
Nō omnem Lemnum, volucrum excremēta ſororū,
Aut Philoctetæ vulnera dira pedis.
Quare iudicio populi Teleſilla Chimeram
Vincē, boues, ſanies, Lemniadas, volucres.

IANI LASCARIS.

Paruula ne temnas, paruis nam gratia iuncta eſt,
Paruulus et Paphiæ filius ales Amor.

De ſtatua Cupidinis.

Quis puerum Veneris poſuit prope fluminis hauſtus
Prouidus? hanc flammam ſcilicet vnda premet.

POMPONII GAVRICI.

De Statua Medeæ.

Quod natos feritura ferox Medea moratur,
Præſtitit hoc magni dextera Timomachi.
Tardat amor facinus, ſtrictum dolor incitat enſem,
Vult non vult natos perdere & ipſa ſuos.

OCTAVIANI MANINI VTINENSIS.

Ad Principes Chriſtianos, vt opem ferant equitibus Diui Ioannis contra Turcas.

QVæ vos longa tenet mora Reges? barbarus hoſtis
Vrget agens, equitéſque premit terraq́; mariq́;,
Qui pauci Melitæ clauduntur finibus arctis:
Cædibus abſumpti plures, dum fortia bello
Pectora barbarico opponunt, rutilantibus armis
Dum nullos ictus, & vulnera nulla feroces
Præmetuunt, non ſatum ipſum, dum ſigna tuentur
Inſignita crucis veneranda & imagine Chriſti.
Hoſtis habet primas arces, munitáque portus
Clauſtra ſuo victor numero: inſtantiq́; tumultu
Inuicti cecidere viri, noctesq́; diesq́;
Oppugnati vſque ab miſeri: cecidere frementes
Turcarum quoque iam ipſæ acies, peditesq́; ducesq́;.
Quidnam vos tandem expectatis? tempora pugnæ
Quæ opportuna magis? quænam momenta ſaluti
Sunt magis apta virûm, qui templa, Deosq́; tuetur?
Si pereant ope nunc veſtra, auxilioq́; carentes

Egregij bellatores, fortiſsima pubes
Vndiq; collecta, heu quæ vos infamia paſsim
Perſtringet cunctos? quæ vos maledicta ſequentur?
Quas demum clades: quæ damna extrema ſubire
Omnes inuiti cogemur? protinus oras
Inuadet Siculas, paruo diſtantia tractu
Littoráque, & mediis poſitas regionibus vrbes.
Immanis victor Scythica feritate timendus
Sardiniam, Cyrnúmque petet. Campania quis te
Proxima defendet? Calabras quis proteget arces?
Daunia quanta tuis tempeſtas imminet agris,
Quanta tuis Latium? quanta heu tibi Tuſcia? clare
Quanta Ligur tibi: ni latum iam claſsibus æquor
Cuncta tuens comples, & Turcas fluctibus imis
Obruis, hoſtiles demergens gurgite puppes.
Nec te perpetuò tutám Phæacia tellus
(Perpetuo tutam cupio) Dominóſque potentes
Crediderim: nec, quas longo ſua brachia tractu
Adria porrectus tot claras ſubluit vrbes.
Tot claras vrbes fallens tentare timebit
Publicus ille hoſtis, nunquam pacatus, acerbis
Inſectans odiis Turca: hanc Dij tollite peſtem.
Quare agite vnanimes Melitæ ſuccurrite cuncti.
Sancte pater, cui relligio nunc credita ſoli,
Cui pietas, & ſacrarum cuſtodia legum,
Tolle moras omnes, obſeſſoſq; eripe morti.
Et tu qui imperio flores, Germania ſummum
Quem colit inſignem proauorum ſtemmate longo
Inſignem, domitis tot gentibus, atque trophæis.

Induperatorum proléſque,nepóſque piorum
Immitte infractas in caſtra inimica phalanges.
Hiſpani.qui tot populos,tot regna,tot vrbes
Imperio ſubieciſtis victricibus armis:
Qui non contenti patria,terraq́; fretoq́;
Ignotos fines,incognita littora longo
Æquore quæſiſtis,quæſitas legibus æquis
Formaſtis gentes Chriſti,& ſtatuiſtis ad aras.
Effigies tu vera patris,ſuprema Philippe
Spes gentis Chriſti cultricis,maxima regna
Qui ſancta ditione tenes,patiere tuorum
Vſque dolos vitæ meditari impune furentes
Immanes Aquilone Scytas,& rupibus ortos
Frigoribus duris incultos,moribus aſpros?
Nec te immortalis nunc tanget gloria patris?
Quam non vlla dies Letheis obruet vndis.
Magna patris magni ſoboles, iam claſsibus æquor,
Nec mora longa,nouis iã comple, & finibus hoſtes
Sterne tuis:vel longinquas procul eijce in oras
Attritos alte,& tua iam, quæ neſcia vinci,
Arma animis poſitis ſemper ſine fine timentes?
Eſt Melitæ patris munus:nam Carolus olim
Hanc dedit eiectis longo poſt tempore bello
Turcarum Rhodiis ducibus,magnoq́; magiſtro.
Nunc quoq; ſit Melite munus Rex magne Philippe
Sit munus,Rex magne,tuum,florentibus armis
Militibus noſtris,tua quos nunc viuida virtus
Seruat ab exitio minitantis dira Tyranni.
Gallorum princeps,Galli proceréſque, duceſq́;,

Inuicti Gallorum equites, peditumq́; manipli:
Excidet exanimis vos Chriſti inſignia primos
Defendiſſe acres ferro, Solymosq́; receſſus
Infractos penetrare auſos, Sanctúmque ſepulcrum,
Supremi Regis cæli cultoribus olim
Reſtituiſſe piis, ſpoliis orientis onuſtos
Non ſemel in patriam claros retuliſſe triumphos?
Publica res agitur: Chriſti eſt iniuria veſtris
Vlciſcenda armis dubitabitis omnia adire,
Vt vetus egregiæ renouetur gloria gentis?
Æquoris Adriaci rectores, edita priſcis
Martigenis gens haud vlla merſabilis vnda,
Italiæ ſpecimen, lux libertatis auitæ,
Cuius geſta æuo nunquam obſcuranda futuro,
Ni vos firma fides ſeruandi fœderis arctis
Nexibus obſtringit, veſtras nunc promite vires,
Quæ toties Aſiæ vaſtarunt littora, & vrbes,
Quæ toties preßis ſatiarunt claßibus æquor,
Quæ toties ſancta pro relligione micarunt.
Veſter honos, veſtri hæc victoria muneris eſto.
Quot quot nunc eſtis dia virtute colendi,
Seu noti ditione patrum, ſeu fortibus auſis
Seu propè, ſiue procul, mediis vel finibus orti,
Terrarum, Oceani vel fluctibus interluti,
Si vos relligio, ſi cultus numinis alti
Permouet, & claris quæ debita præmia factis,
Obſeſſos equites nunc veſtro robore fortes
Eripite inſtanti leto, Turcamq́; fugate:
Barbarus eſt feſſus, facilis victoria Chriſto

Auſpice, & æternos victurum nomen in annos.

Ad lectorem.

Excitus antiquæ ſtudio pietatis ad auſus
Magnanimos hortor quo licet ore duces.
Claſsica ſint vtinam mea carmina, & arma miniſtrent
Pro ſancta inuictis relligione viris.

Ad equites Melitenſes.

Cælo alto demiſſæ animæ, digniſsima cælo
Lux inuicta virûm, lux nobilitatis, ab armis
Turcarum Meliten quæ fortiter auſa tueri
Territa non acie horrenti, non mille carinis
Sæuitia aut dira Scythicæ impietatis: ab alto
Mirantur ſuperi fortiſsima pectora, ab alto
Demittent (contemne minas, & barbara tela)
Speratum meritò auxilium. victoria tandem
Excipiet feſſos, claroq; reponet Olympo
Heroas inter, melior quos protulit ætas.
Quod ſi fata velint patriæ pro mœnibus acres
Pugnando tantos demum finire labores,
Quid melius, quam pro patria procumbere fortes?
Pro fanis, ariſq; ſacris? cui gloria maior
Contigit? aut vllo potis eſt contingere ſæclo?
Victores, victi ſemper viuctis in omne
Temporis æterni ſpatium: pérque ora virorum

Semper

Semper honos, ſemper clariſſima geſta ſonabunt.

Preces pro equitibus Diui I. obſeſſis a Turcis in Inſula Melita.

DIi Seruatores hominum, qui dura pericla
Semper ab innocuis auuertitis, illa ſupremo
Si pietas cælo quondam bene cognita viuit,
Si virtus, ſi cana fides, ſi cætera cordi
Sunt benefacta virûm, Melitam ſpectate fauentes
Obſeſſam innumeris Europæ, Aſiæq; maniplis.
Hic inuicta manus delecta ex omnibus oris
Conſtitit, & ſancta pro religione tuenda,
Pro templis, ariſque Deûm, pro luce piorum
Excubat, & nullis cedit fortiſsima damnis.
Sed non denſa cohors, ceciderunt fortibus auſis
Oppreſsi inſtantis Turcarum fraude Tyranni
Multi ſæpe viri, loca dum ſibi credita ſeruant.
Parua manus ſupereſt caſura heu mole malorũ,
Barbarus ah feſſos dũ nocte, diéque fatigat.
Ille Rhodo clara prius exuit omnia paſſos.
Ille etiam Melita coget migrare relicta,
Si modo qui migrent ſuperabunt, numine dextro
Cælicolæ adſitis reſtat ſpes vná ſupremi
Auxilij cælo miſsi: quando omnia deſunt.
Humana heu miſeris fruſtra ſperata, Deûm Rex
Reſpice placatus ſummo de culmine cæli,
Hunc equitum florem, noſtræ hæc inſignia gentis.
Roboris antiqui neu nigras ire ſub vmbras

Relliquias patiare Pater, tua dextera ſeruet
Aeterna dignos vita, æternisq; triumphis.

FRIZOLII.

In Lauretanam ædem.

O Grata regi cælicolum domus
In Nazaræis condita finibus
Quondam: volucres te miniſtri
Illyricas ſine labe ad oras
Vexere: terras rurſus & æquora
Supra ferentes te placidum Adriæ
Ad littus in Laureti opaca
Innocuam poſuere ſilua.
Votiuo vt auro, veſtibus vt ſacris,
Gemmisq; fulges! quæ te humilem ambitu
Latè tuetur ducta circum
Marmoreo, ferit aſtra moles.
Sanctam, potentem te Auſonidum pia
Viſunt cohortes. te Rhodani accola,
Tagiq; potor, te Liburni,
Te Armenij celebrant frequentes.
Audit precantes hinc propius Dei
Mater, periclisq; eripit: hinc leuat

Morbis laborantes. acerbi
Limine me quoque leti ab atro
Raptum paternæ reſtituit preci.
Huc ſolue vinclis ingrediens pedes:
Huc tende palmas: huc inertes
Tende oculos: domus hæc patentis
Reginam Olympi continuit ſinu
Auguſta paruo: hac nuntius explicans
Cæleſtis alas fulſit: orbi
Attulit hæc miſero ſalutem
Proles ſupremi numinis (o ſtupor)
Concepta in aluo virginis in egræ.
Tunc munerum vbertas ab alto
Axe pluens humilem breuemq;
Ditauit aulam: Flaminis imbuit
Hanc aura ſancti: filius hoc Dei
Plantis pauimentumq; preſſit,
Hos manibus tetigitq; muros.
Qua diua mater parte frequentiùs
Sedit? quo amarum fleuit in angulo
Nati innocentis queſta mortem?
Limite quo thalami e ſepulcro
Natus reſurgens conſtitit? o vbi
Sopore leti lumina condidit
Annoſa virgo? intaminatæ
Corpus vbi iacuit parentis?
Chriſti peractis quâ ſocij ſacris
Duxere funus? ſanctior an locus
Eſt hic an ille? an omnia æquè

Sanſta putem, venerérque ſancta?
Impreſſa ſaxis quâ quibus oſcula
Figam? quid o quid mentem agitat nouam?
Quod corda numen pungit œſtro
Aethereo? procul hinc profanæ
Abeſte curæ: nil ego, nil amem
Mortale poſthac: immemor omnium
Meiq́; vos complexu in vno
Nate colam, genitrixq́; virgo.

IOANNIS TONSI
Mediolanenſis.

Epiſtola ad Amicam.

QVæ mihi diſcedens mea lux mandata dediſti
Dulcis amor cupidis auribus ingeminat.
Vocibus illa quidem paucis comprenſa videntur
Paruula: ſed magni ponderis inſtar habent.
Sis memor abſentis noſtri: nec plura locuta es:
Quod mihi nunc querulo ſemper in ore ſonat.
Me miſerum, fallax cùm noſtro in corde Cupido
Impreſsit vultus, effigiemq; tuam,
Mollius id cera factum eſt, cùm ſole caleſcit,
Aut tepidi afflatu vere nouo Zephyri:
Rurſus poſtquàm eadem fixa altiùs hæſit imago,
Nec locus eſſe aliis quiuit imaginibus:
Durius id creta factum eſt, vbi Sirius ardet
Quam grauis in mediis æſtus aduſsit agris.
Immemor ergo meæ potero magis eſſe ſalutis:
Quàm non eſſe tui nocte dieq; memor.
Atque vtinam, o tantum memor: omnia nec Deus arma
Aliger in noſtrum ſtringeret exitium.

In me totus enim, torquens ferrumq́;, facemq́;
Irruit, & nudum ſauciat ille latus.
Quem non æquo animo caſum paulò ante ferebā,
Sed poteram tacitus diſsimulare tamen.
Hoc ego fortis eram quòd te quandoque licebat
Cernere mi, blandis alloquiisq́; frui.
Nam quoties curis ægro ſæuoq́; dolore
Ardenti forte es obuia facta mihi:
Tet mul ac vidi, valui, penitusq́; receſsit
Triſtior ex animo cura dolorq́; meo.
Quid fieret, cùm deinde prope exaudire licebat
Dulcia iucundis verba repleta iocis?
Nunc te rura tenent, vno hoc felicia, tecum
Rura quòd alma Venus, mitis Amorq́; colunt.
Sed mala ſunt eadē, ac inamœna, ac barbara rura,
Abdita quæ latebris gaudia noſtra tenent.
Ah pereat, ſi quem tantus tenet ardor habendi,
Rus miſerum caræ præferat vt patriæ:
Ah male ſit primo, qui ſe, & ſua pignora natos,
Vxoremq́; auidis, miſcuit agricolis.
Luciferi primo cùm ſidere rure colonus
Perducit tardos ſub iuga curua boues.
Aſpera vox aures ferit, & ſtridentia plauſtra
Abrumpunt ſomnos tum tibi languidulos.
Non rure fulgentem armis, auroq́; caternam
Cernis, quæ celeres calce fatiget equos:
Et nunc feruentis ſimulacra ſimillima pugnæ
Edat, tecum agili nunc pede pulſet humum.
Agricolam flexo ſed terram ſcindere aratro

Aſpicis, & dura vertere ſæpe manu.
Vel qui vile pecus numeret poſtquam occiderit ſol,
Vel lac diſtentis exprimat vberibus:
Quod ſi læta canas: audebunt rumpere voces
Verbaq; mugitu rumpere culta boues.
Et, ſi venandi ſtudio ſuccincta vageris,
Offendent teneros aſpera ſaxa pedes.
Sidereos vret vultus ſol inuidus, atro
Aureola horreſcet puluere cæſaries.
Diffindetq; furens ventus roſea illa labella,
Et teneras lædet candidulasq; manus.
Sin placido gelidi fontis te murmure captam
Sternere gramineo margine contigerit,
Et nemore in denſo pratis ve in mollibus arcte
Iucundus teneat languida membra ſopor,
Non ne latens poterit tibi protinus anguis in herba
Vulnifico tenerum ſcindere dente latus?
Quod tantum meminiſſe, mihi radicibus imis
Cor vellit gelido ſollicitóque metu.
Quid ſi capripedes Satyri Faunique bicornes
Ah miſeram rapiant, dum malè cauta iaces?
Dij prohibete malũ: mihi namque hæc cura priore
Triſtior accideret, conficeretq; magis.
An paterer mihi fata diu producere vitam,
Et poſſem ad certam non properare necem?
Si tua commiſcere fores mea vita coacta
Lacteola hirſutis pectora pectoribus.
Sed neutrum eueniet: neque tam ſibi ſæcula noſtra
Auerſos penitus ſunt habitura Deos.

Nec mea nunc doleo quòd ſit præſaga mali mens:
Triſtia vel quòd me ſomnia terrificent.
Sed (quod mo te mihi eſt ipſa infelicius) a te
Abſore tam longo tempore diſcrucior.
Et rurſus mala rura odi: rura execror, omnes
Quæ modo delitias, eripuere mihi,
Lætitiámque omnem ex animo, cælumq́; diemq́;,
Et ſolem ex oculis eripuere meis.
Quid mihi tunc animi credis, mentisq́; fuiſſe,
Cùm primùm occluſæ non patuere fores?
Tum victa eſt acri patientia noſtra dolore,
Quam prius aduerſi frangere nil poterat.
Mæſtáque cæperunt tabeſcere lumina fletu,
Pumice quæ fuerant aridiora prius.
Abduxti ſenſúsque meos, animumq́; recedens:
Et me a me ducis imperioſa procul.
Quòd ſi in tam ſæuo ſupereſt mihi vita dolore,
Vna tui dulcis ſpes facit hoc reditus.
Cogitat interea de te mens anxia ſemper,
Cùm grauibus curis excita peruigilat.
Et ſi oculos flendo feſſos, longoq́; labore
Ingratæ noctis clauſerit hora breuis,
Semper ades, nunc blanda ſatis, nunc aſpera, teq́;
Iam captam teneo, iam volucremq́; ſequor.
Vror, non ſecus ac flagrans Trinacria rupes:
Succenſóque ingens ardet ab igne rogus.
Vel quantum moriens arſit Tyrinthius heros,
Ater vbi infecit fortia mēbra cruor:
Nec rogo (quod fieri nequit) vt moderatiùs vrar:

Sed te etiam vt noſtri mutuus vrat amor.
Quid cupio ah demens? te circum ſepta niuali
Securam faciunt aſpera corda gelu.
Te nunquam lacrymæ triſtes, non pallor amantum
Flectere, ſollicitæ non potuere preces.
O quoties, tua nos raperent cùm pectora, noſtris
Inſidioſa nimis pectora luminibus,
Compreſſis labris mirantes diximus: hæc ſunt
Sythonia longe candidiora niue:
Perniciem in noſtram illa eadem mox ſenſimus eſſe
Pectora, Sythonia frigidiora niue.
Nec tantum præceps audacia creuerat in me,
Armanda vt glacie pectora caſta forent.
Nam quamuis miſerè cuperem dare brachia collo,
Et memores labris figere dente notas,
Exceptus niueóque ſinu longa oſcula ferre
Et tenero femori iungere poſſe femur.
Conſcia tu tamen es nil me tentaſſe: nec auſum
Vlla animi ardentis prodere ſigna mei.
Quod, ſi muneribus tantis me fata beaſſent
Aerumnas vitæ commiſerata meæ:
(Aequa nam quibus imperitat ſua gaudia lance,
Diſtribuit raro dulcia iniquus Amor:)
Salmacis vt caro eſt puero, coniuncta, fuiſſent
Sic mea corporibus corpora iuncta tuis.
Arctius atque ederis laſciuis ſtringitur ilex,
Hæſiſſem æternis nexibus implicitus.
Sed petere hæc abs te mihi non fas eſſe putabam
Tam veneri auerſa, delitiisq; ſuis.

Ardebam prudens igitur, tacitúsque, ſuperba
Mentis formidans lædere propoſitum.
Et ſi quando mihi fuerat data copia fandi
Hærebat nimio lingua retenta metu.
Conſilij mentisq; inopem deduxerat huc me
Tandem flagranti mixtus amore timor:
Non vt iuſta mei peterentur præmia amoris,
Sed tibi deſpectus ne meus eſſet amor.
Tangeret vtq; mei te ſaltem paruula cura
Difficilem, poſtquàm mutua non poterat.
Hoc ego pœnarum duxiſſem dulce leuamen,
Quas dederã immeritò, quasq; daturus eram.
Et tamen hic miſeras nondum peruenit ad aures
Optatus roſeo miſſus ab ore ſonus.
Immo me fateor non poſſe carere timore,
Ne tibi iam gelido pectore deciderim.
Nam tua mi ſemper parcè fuit æqua v. luntas,
Et nimis Idaliæ mens inimica deæ:
Queis dederit vires abſentia longa neceſſe eſt,
Deleritq; tuo me miſerum ex animo,
Hæc mihi nunc mæſtas eſt vnica cura medullas,
Et cruciat vitam, vix reliquamq; facit.
Nec quæ grata mihi dixiſti verba recedens,
Et blandus toties ingeminauit Amor,
Illa meo poſſint medicinam ferre dolori,
Aegra vel amenti ſoluere corda metu.
Nam tibi (ni fallax ſenſus me decipit) illa
Non dictauit Amor verba, ſed officium.

Genethliacon filij Veſp. Gonzagæ.

Qualis nitenti ceſpite floſculus,
Quando reducit vere nouo diem
Fulgens nitentem Aurora, pictum.
Purpureo os aperit colore:
Qui ſolis vt lux ſe extulit altius,
Compreſſa primò mox folia explicat,
Latéque per campos apricos
Spirat Achemonios odores.
Vel quale virgultum, arduæ ab eſculi
Radice quando naſcitur infima,
Tantum exerens telluris almæ
E gremio tenerum cacumen.
Iuſto ſed illud tempore maximam,
Spiſſamq; ramis ſurgit in arborem,
Quam fruſtra aquoſus certat Eurus
Flectere præcipites & Auſtri.
Veſpaſiano filius ortus eſt,
Qui vix adultus, nomen in vltimum
Orbem efferat, famamq; rebus
Excitet egregiis perennem.
Quem non inanes alliciant grauem
Spes, nec cupido peßima turpiter
Impellat, aut fortuna vultu
Terreat impauidum minaci.
Tali beatum iam ter, & amplius
O prole patrem: ſed magis, ac magis

Prolem beatam iure tanto
Dicimus vnanimes parente.
Quàm ſunt auorum facta potentium,
Summíque honores, atque recentia
Exempla virtutis paternæ
Parue puer tibi profutura?
Si bellicoſus ſpicula, ſignáque,
Haſtaſq; & enſes, & clypeos amas
Tractare, Mauortis ſecunda
Numina ſanguinei ſecutus,
Quid maius optes, quàm fieri tuo
Splendore laudum conſimilis patri
Claro triumphis, & reuictis
Hoſtibus, exuuiis onuſto?
Non te excitabit cernere fortium
Quà denſa feruent agmina militum
Vadentem eum, ſtragemq; edentem
Fulmineo gladio cruentam?
Aut ſuſtinentem fortiter agminum
Vim, denſa in ipſum mole ruentium,
Muróſve ſcandentem, & ſuperbis
Vrbibus excidium ferentem?
Sin pace parta, te populi iuuet
Iuſtè regendi fortè ſcientia
Formare pectus, publicas res
Aſpice compoſitè ordinantem.
Quis ciuitates amplificet ſtatus,
Et quis decoràs moribus optimis,
Probiſque reddat diſciplinis,

Atque ſacris beet inſtitutis,
Diſces ab illo: qui reuocat bonas
Artes, catenis atque licentiam
Compeſcit, & delicta iuſtus
Imperiis prohibet ſeueris.
Quod ſi Camœnæ te rapiant lyra
Plectróque captum, Virgilì, & Orphei
Prudentiùs Liniue cantus
Non imitabere, quàm paternos.
Cuſtode eodem patréque poſteri
Lauro videbunt te triplici caput
Circundatum ſplendere, cælo
Sidus vti radiat ſereno.
Dum, quæ decentes te modo Gratiæ
Nymphæq; alendum ſuſcipiunt, die
Circum excubent nocte &, ſiniſtra
Officiat tibi ne quid Ate.
Sic membra creſcent paruula, tempore
Creſcétque eodem vis animi, ſimul
Vt grande creſcat tandem vtrique
Præſidium Heſperiæ, decúſque.

Ad Veſpaſianum Gonzagam in obitu Annæ vxoris.

DVm Belga vires horret Ibericas,
Illata nondum ſignáque finibus
Formidat, & nomen Philippi
Iam poſitis veneratur armis:

Quæ cura mentem nobilior tuam
Exercet? an tu quo ſuperes modo
Vim barbaram, euitesq́; fraudes
Conſilio meditaris alto?
Tu verò auitis quæ imperiis tenes
Longeq́; latéque oppida, mœnibus
Intentus es munire, firmam
Vt ſtatuas populis quietem?
Quodcunque tractas, non niſi maximum
Dignumq́; virtute eſſe poteſt tua,
Quam luce pura clariorem,
Exitus efficiet ſecundus.
At me immerentem deſtituit leuis,
Fortuna, poſtquàm principio ſatis
Afflarat, & cælum fugatis
Reddiderat nebulis ſerenum.
Maiori vt eſſem ludibrio, mea
Cum portu in ipſo flutibus obruta
Et littori colliſa, ſæuo
Naufragio periit carina.
Nam non auaram quæ dederat manum
Præceps in auras ſuſtulit omnia,
Et terga vertit; ſe citato
Proripiens inimica greſſu.
Infeſta multis illa quidem, ſacris
Infeſtior ſed vatibus: optimum
Nam Iulianum incluſit atro
Carcere delicias ſororum,
Phœbíque amores: hunc decuit graui

Cura ſolutum fundere nænias,
Et coniugis deflere mœſto
Fata tuæ miſeranda cantu.
Ah prima & ah vix exorientia
Felicitatis gaudia maxima
Tecum fruentem falce preßit
Protinus inuida mors rapaci.
Non illa dulcis mollia filÿ
Adulta vidit membra, nec audÿt
Iam lacte depulſum, tenello
Ore leues iterare nugas.
Non crebriores edere contigit
Partus beatum qui facerent patrem,
Fortiq́; dextra ſubleuarent
Italiam miſerè iacentem.
Annam ergo nuper mors tibi ſurpuit,
Et ſurpuit cara oſcula coniugis,
Pectusq́; ſincerum, & pudicum
Ingenium lepidosq́; mores?
Queis illa donis non minus inclyta,
Quàm diues auro, ſtirpéque regia
Inſignis ornabat relicto
Eridanum Sicori tumentem.
Nunc ornat alti lumine viuido
Conuexa cæli: ſidereo & choro
Inſerta Dictæa Corona
Puriùs, Andromedaq́; fulget.
O, mitte molles fundere pectore
Firmo querelas: hocq́; age fortior

Partis triumphis vt ſuperbos
Strenuus accumules triumphos.
Iam nil tua non perficies manu
Virtute Mauors inſuperabili
Quem roborat, fortémque Pallas
Conſiliis regit alma fidis.
At nos ne amicè quod dedit auferat
Ingrata & expers conſilij Dea
Conabimur: quæ pertinaci
Quod dederat rapuit furore.

Ad Iulianum Goſellinum, De Veſp. Gonzaga ægrotante.

Tandem querelis pone modum tuis
Spémque occidentem fortiter erigens
Abſterge fletum Iuliane
Atque animum releua iacentem:
Plerumq; poſtquàm ſæuijt Aeolus
Voluens procellis æquora turbidis,
Soles renaſcuntur ſereni
Triſtia nubila differentes.
Morbo tenetur ſi nimium graui
Veſpaſianus, non tamen occidet:
Sed firmiorem tres benigno
Numine reſtituent ſorores.
Hunc Dij tuentur: quem neque naufragum
Extinxit æquor, cùm nigrioribus
Sæuiret vndis, nec tremendo

Plumbea

Plumbea grando ruens fragore:
Quæ, dum labantes firmat hic ordines,
Siſtitque verſam fœde aciem retro,
Latè patentem edebat, acta
Puluere ſulfureo ruinam.
Vix vna ſummum glans iuuenem tamen
Perſtrinxit, æternum vt pareret decus
Inſignis in vultu cicatrix,
Impauidi nota certa cordis.
Tum Phœbus, & Mars vnanimes, ſuum
Texere alumnum, nec ſecus omnibus
Poſthac periclis incruentum
Eripient Ioue comprobante.
Vt poſt triumphatum horribilem Getam
Parthúmq;, Pœnumq́;, & profugum Scythem
Diſcordiis iam iam probroſis
Fulciat Heſperiam ruentem:
Et rurſus oras orbis in vltimas
Nomen Latinum ſignaq́; proferat.
Cui laurea tandem virenti
Iuppiter impoſita laborum
Finem ſpopondit, tum vndiq́; claſſico
Ceſſante prorſus: lætaq́; ſæcula
Præſtabit: in lucem bonasq́;
E tenebris reuocabit artes.
Muſis amico principe, & ingenî
Virtute claro præmia frontibus
Doctis negatæ olim, celebri
Reſtituent ederæ corona.

Maiore plectro te decet interim
Sacrare ſummis nomen honoribus
Herois inuicti, decusq́;
Perpetua celebrare laude.
At nos ſcientes proſpera ſeráque
Manere eundem fata, procul metu
Omni repulſo hymnum ſaluti
Aeoliis fidibus canemus.

HIERONYMI VICECOMI-tis. in obitu Maximillæ.

AH cur tam noua, tam nitens
Lux vix orta cadit? cur ruit Heſperus
Auroræ? ah tenebræ impiæ
Iam vobis male ſit, quæ vmbriferis rotis
Mundo lumina demitis.
Vos, vos in Stygios abdico vortices,
Atque in Tartareos ſinus.
Sed cur in tenebras inuehimur bonas?
Quid Nox, quid tenebræ merent?
Sol Soli obfuit ac ipſa dies diem
Detruſit: quid ita? Hei mihi,
Maximilla nouo lumine ſparſerat
Terras Solis agens vices:
Sol ægrè tulit ac inuidia æſtuans
Pauca hæc dicta dedit Ioui.
Solus mundi oculus, ſoláque lux eram
Orbis publica, ſed nouus
Sol, lucem atque faces nunc ſibi vendicat.
Si inter ſidera ego mico,
Inter virgineos enitet hic choros.
Si obſtantes nebulas ego
Scindo, diſcutit hic nub ... am intu.m.

Si flores varios alo,
Hic multorum animos nutrit & educat.
Si Horæ ſunt comites mihi,
Huic adſtant Charites atque Cupidines.
Si feruent radiis meis
Agri, huiuſque oculis corda hominum calent.
Demùm quicquid ego paro
Et quicquid moueo, hic & parat, & mouet.
Ergo tu ſuperum Pater
Fers terras gemino Sole caleſcere?
Atque iſtum eſſe mihi æmulum?
Riſit Iuppiter, & talia reddidit.
Terras tu radiis tuis
Luſtrabis ſolito more vehens diem:
Maximilla ſua face
Ornabit ſuperas cælicolum domos,
Sic componere rem lubet.
Dixit. Tum noua lux occidit, & petit
Cælum clariùs emicans.
Et Sol ſolus equis luciferis diem
Ducit non ita lucidum
Poſtquàm victa rigens ora timor tegit.

IVLII ASCANII
Tuccij Cremenſis.
Duellum Scacchorum.

TE cum militibus geſtio buxeis,
Iam conferre manum Prætor amabilis,
Quanquàm Regibus Indicis
Contendas melius, ſeu
Tu ducas pedites, ſiue equites trahas:
Sint omnes niuei, ſintq́; licet nigri,
Proſternam tabulis tamen
Inſtructas acies, vel
Confundam cuneos agminaq́; omnia.
Quis tandem validis turribus obuiam
Accedet ſine ſanguine,
Quin ſaltem capiatur?
Rex lætus veniet prælia in ardua
Et tuto intrepidam tramite coniugem
Ducet non metuens minas,
Ipſos forte nec ictus.
Sic freti domini milite non pigro
Armorum ſubeunt magna pericula:
Imbellésque cadunt viri,
Et dant fortibus arma.
Si Regina ſuis ſepta cohortibus
In denſas acies ipſa ſuperbiens

Hoſtes per medios viam
Prorumpes faciet, tum
Quid dices? minimum ſignifer albicans
Conuerſis pedibus ſubſidium feret:
Cernes nanque meos duces
Punctim tela mouere:
Non tantam in Phrygios Aeacides ferus
Patrauit rutilans arma micantia
Cladem quando neci dedit
Diſtricto Hectora ferro,
Quantam per niueas gens mea copias
Ingenti ſtrepitu conficiet, nigra
Dum matrona potens ſuo
Irrumpet peditatu.
Ergo, quando mihi congredier voles,
Iam cautus pedites, expedies tuos,
Impelle celeres Equos,
Turritas quoque moles.
Bis fuſci pedites quattuor impetu
Binis ſigniferis, atque Elephantibus
Binis, indomitis Equis
Nec non cum duce fuſco,
Inuadent alacres caſtra tua, & viros,
Telluremq; tegent militibus tuis:
Et Regina decus feret
Nobis ſæpe triumphans.
Tum, Cernite, tuus Rex ſtupidus fuga
Conuerſa veniam fortè meo Duci
Deflexis genibus petet,

Se victum quoque dicet:
Quid rides ne? putas hæc fore ſomnia?
Plus centum proceres, crede mihi, graues
Nobis exuuias ſuas
Victi deſeruere.
Hiſpanus veniat miles & Aethiops
Ipſi terribiles vel cuneos ferent
Immitis Darij, abs Ioue
Artem qui didicerunt.
Vis promptum manibus forte Vicarium?
Aut tecum validum ducere iudicem?
Quid tu? noſtra manus premet
Certe albentia caſtra.
Nam foſsi pedites vulneribus fugam
Quærent, ſi poterunt: Iuſſus eques meus
Hos mucrone petet, vel hos
Haſta denique cedet.
Haud credas, oculis ni videas tuis
Cunctis quàm valeat gens mea prœliis,
Dum palmam referunt domum,
Nec non multa trophæa.
Nam campi in medio ſæpe capit ducem
Album noſter Eques, ponit & exitum
Magnis litibus hoſtium
Tendens ad noua bulla.
Thraſo ne videar, qui ſibi gloriam
Aſcribit nimiam; iam veniant cito
Ad certamen atrox tui:
Nam res verba ſequetur.

ANTONII SEBASTIANI MINTVRNI.

De Venere armata.

ARmatam Venerē aſpiceret cùm cæſia Pallas,
Vis Cypri iudicium ſic ſubeamus? ait.
Quæ tenerum ridens: clypeos attollere contra
Audes? ſi vici nuda, quid arma ferens?

De Venere Praxitelis.

Qui Gnidiam fecit Venerem, num viderat vnquā
In terris nudam Praxiteles Venerem?
An nitidi in cælo, clara inter ſidera Olympi
Cùm a mortali animus corpore liber erat?
An Dea mentem illi afflarit, ferrumq; manuſq;
Rexerit, atque animam pulcro operi dederit:
Vt Venerem credas miſſam cæleſtibus oris,
Piſcoſæ tumulos incoluiſſe Gnidi?

De Adoni ab apro interempto.

Adonin puerum puella Venus
Suas delicias ſuúmque decus,
Amantémque vt amans ſuis miſera

Mirata eſt oculis, ſuis oculis,
Qui rerum exhilarare cuncta ſolent
Extinctum, egregiæ indolis faciem:
Totos in lacrymas dolens ſoluit
Nitentes oculos: vtraque manu
Flauam ſciſſa comam genas roſeas
Ac pectus niueum petit: Cypriam
Se diuam haud meminit Iouis ſobolem.
Nequicquam Charites, Iocusq́, & Amor,
Ad quas triſtis amor rapit, tepidas
Solantur lacrymas: at illa, dolor
Vt voces miſerabiles agere
Dedit, cæruleo ſinu puerum
Amplectens vocat ore Adonin hians:
Adonin nemus vndecunque refert:
Et cælum omne Deæ dolore dolet.
Tum vero aßiduè vocans miſera,
Premensq́; oſcula dulcè pallidula,
Hicne, hìc ille, ait, oris eximius
Honos purpurei, mea ambroſia
Meum ſuauiolum meusq́; lepos?
Hocne, hoc cæſarie illud auricomum
Decus, quam his digitis ego, his toties
Depexi digitis, ſtudens nimium?
Vos o vos agedum mei pueri
Huc illud grauius malum huc trahite,
Illud dedecus omnium nemorum.
Tumq́; voce reſiſtit in media
Sæuus plura dolor loqui haud patitur

Illi,non mora,commodum volucres
Totum ingens peragrans nemus,ſonitum
Pulchris & humeris dedit pharetra.
Dolentem inueniunt ſuem: capiunt
Circum: terque etiam,quaterq; ligant:
Verbisq;, & manibus mali exagitant.
Hic illum prior horrido laqueo
Inuitum rapit,ille letifero
Vadit poſterior premens calamo.
Infelix tacitus,timensq; it aper:
Formidabat enim Cypri dominam.
Moxq; illum vt male vidit Idalia,
Tune,inquit,femur hoc mihi laceras
Omnes ante feras grauißima? tu
Dilectum hunc iuuenem mihi interimis?
Vitæ pernicies meæ immodica?
Illi innixa genu,timensq; nimis,
Reſpondit fera per tuum Cypria
Magnum numen, & hunc per egregium
Virum,per meaq; hæc manus validæ
Sancta vincula, & hos per,hos volucres
Venantes,iterum atque iuro iterum
Formoſum hunc iuuenem,tuum haud volui
Meis diripere his cupidinibus:
Verum dum ſpecimen nitens video
(Aeſtus impatiens tenella dabat
Nuda fœmina mollibus Zephyris)
Ingens me miſerum libido capit,
Mille ſuauia dulcia hinc capere,

Atque me impulit ingens indomitus.
Hos ergo capiens Venus domina,
Hos vlciſcere, demeq; hos penitus
Dentes, heu nimia aſperos acie.
Nam quid mi ſuperant ſuperuacui?
Qui nunc ſi tibi non ſatis fuerint,
Abſcinde hæc mea labra tam cupida,
Horum criminis hoc ſit indicium.
Quin & ſi mea vita nunc odio eſt,
En ſacram hanc animam Dea accipias.
Heu quales potero miſerrimus, heu,
Ego annos agere hoc ſine, hoc iuuene.
Hæc cum dicere viſus eſt, nimios
Infelix lacrymans dedit gemitus.
Tum vero miſerrimi miſerta Venus,
Suis dixit Amoribus, valida
Illa vt vincula ſoluerent ab apro.
Nouit, quò furor improbus rapiat
Dolens tam ſibi obeſſe vim propriam.
Profecturus aper Deæ inſinuat,
Qualis vita ſibi futura foret
Extincto Cynireio puero.
Saxum ventre cauo, arduo capite
Antrum immane facit ſituq; putri
Totum Cimmeriis nigret tenebris:
Circum ſilua patet, ſtrepitq; noto.
Huc ille haud ſolitum nemus petijt:
Ibiq; aßiduè gemens miſerè
Tabeſcit: vitijsq; cum proprijs,

Abſumpſit lacrymis calentem animam.
Iam vero pueri cruor roſeus
Flos eſt puniceus, rubens lepidè:
Pulcra Critius ipſe cæſarie
Sic enim dea iuſsit Idalia:
Vt qui iam fuerat nitens iuuenis,
Idem ſit quoque flos, & arbor, amans
Suæ delitiæ, ſuúmque decus.

De coma mariæ Sanſeuerinæ Medicorum iuſſu reciſa, cùm illa grauiſſimè ægrotaret.

Quis nouus hic dudum antiquis nitor additus aſtris
Quo diuûm hæc rapta eſt numine cæſaries?
Auſonidum iubar, & longe pulcerrima proles
Diuino Mariæ nomine digna Deæ.
Illa & principibus felix ab origine princeps,
Dis genita, & magnos progenitura deos,
Et forma egregia, & propriis virtutibus omnes
Inclyta per terras conſpicienda nitet:
Principe læta viro: valet indelebile gentis
Qui decus Vrſinæ candidus ingenio:
Cui prædiues agri pulcro vicina Veſeuo
Nola perantiquo ſubditur imperio.
Non ſic Oenidæ lætata eſt munere coniunx,
Quem lacrymis patriæ non tetigere preces:
Non ſic Tyndaridæ miro Leucippis amore,
Non Iphiclea Laodamia domo,

Non Ida, non vitreis Eueni fluctibus orta:
Non Phrygia gaudens Hippodamia face:
Nec tantum Alceſtis Phæreo cara marito,
Cuius in hunc ſtudio victus vterque parens.
Illam viſuri qui non venere Deorum?
Quis non ex certis aduena cardinibus?
Venit ab Iſmariis, thyaſo plaudende per arua,
Collibus, inflectens Iraphiota caput:
Omniuagusq́; puer, pulcra ludente chorea,
Idalium liquit fronde virente nemus.
Liquit acerſecomes lauro decoratus Apollo
Ortygiam, atque antri ſaxa Lycore tui.
Vndipotens Helicona pater Neptunus, & Ægas:
Tritonumq́; dedit buccina rauca ſonos.
Quin & ab Æthereo magnus deſcendit Olympo
Iuppiter, & diuûm turba ſecuta Iouem.
Ipſa autem miſit Taprobane Antichthonas orbis,
Túque ab Hyperboreis vltima vorticibus.
Obſtupuere omnes admoto pollice dextræ
Oribus, auguſta vt viſa fuit ſpecies.
Pars venerem dicunt cœleſti ſemine natam,
Pars Iunonem, alij Pallada magnanimam.
Sunt quos non ipſis pigeat præferre deabus,
Tanta illi & vultus ſunt animiq́; bona.
Quippe oculis ſolem referebat, & ore ſereno
Auroram, & flauis ſidera pura comis.
Iamq́; æther Mariam, Mariã omnis terra ſonabat:
Iam magnæ deerat nil, niſi templa, deæ.
Quanquam nec tanto ſe dignabatur honore,

Nec tanta diuûm laude ſuperbierat.
Ilicet inuidia flagrarunt corda Dearum:
Inuidia infelix, vipereumq́; malum.
Te propter, ſcabra veluti rubigine ferrum,
Quæ mens affecta eſt inuidia afficitur.
Te duce cuncta magis pereunt, quā Marte ſuperbo
Quod malè ſana taces perpetuumq́; furis.
Qui rerum Aeneadæ ceciderunt ſumma poteſtas?
Qui Macedum nomen? regia qui Babylon?
Qui quoq́; Perſarum quondam vis maxima regum
Nulla eſt? qui virtus occidit Agricolæ?
Tu minime iuſtus ſimul, & iniuſtiſſimus vnus
Morborum, inde bonis inſtruis inſidias.
Et ſequeris quocunq́; illuſtris gloria ducat,
Vmbra velut, quiſquis lampade ſolis eat.
Quid referam, vt ſua Beliden clariſſima virtus
Te comite ad geminos duxerit interitus?
Vtq́; Neoclides patriis procul actus ab armis?
Vt Sophiæq́; parens atra uenena bibit?
An vero vt magni in Pœnos ardentia Martis
Fulmina Scipiadæ ſuccubuere dolis?
Occidit vt primus Romanæ conditor arcis
Romulus? vt ſummi conditor imperij.
Hinc vero ingentis meritò das improba pœnas,
Ipſa tibi ſola es peſſima pernicies.
Haud ſecus ac temerè ferientis pectora, duro
Tela repercuſſa e marmore concutiunt.
Cum nihil inuiſis noceas virtutibus horrens
Sed tua nec bona te, nec mala viſa mouent.

Alterius vero pingui macreſcis in aruo:
Mox tamen arenti lætior efficeris
Ecce ferus Stygio manans de gurgite morbus
Candida pallidulo membra fluore rapit.
Inde ereptus honor facie capitiq́; decoro,
Quem mirata Deûm eſt ſæpe virûmq́; cohors.
Quid morbo obſtiterit? cedant cui fortia bello
Corpora, quæ ſæua non domuere manus.
Ille quoque hoc victus, qui vicerat omnia, ferro,
Aelius, Italicæ gloria militiæ.
At pereat, morbus quæ totum infecerit orbem
Principio, humanæ cauſſa dolenda necis.
Ah malè caute parens, quæ te tam dira cupido?
Siccine Pandoræ captus es illecebris?
At ſator omnipotens Cælus non aſpicit æquis
Hæc oculis: tantum viderat vnde malum.
Omnia nanque vides Cælus pater, omnibus idem,
Cuſtodisq́; tuis omnia ſideribus.
Munde parens, rerum finis, rerum omnium origo,
Naturæq́; vices, quodq́; neceſſe regis.
Cum primum nitido ceciderunt vertice crines,
Quos toties docta pexuit hora manu:
Vni vnguentorum biberant qui millia multa,
Ne decus hoc pereat, ſic ait ipſe Deus:
Ex Ariadneis variato in limite noſtro
Aurea temporibus fixa corona micat.
Ex Berenicæo pulcræ deuota Dionæ
Vertice diuino munere cæſaries.
Hic Neptune tuam qui vexerat Amphitriten:

Hic mediis iuſta eſt lucida luminibus.
Quin etiam Andromedæ ſpectantur brachia latè:
Et triquetræ facies littora Tinacriæ.
Denique quodcunq; eſt prudens venerata vetuſtas,
Ex alto fulgens æthere conſpicitur:
Et præclara mihi liceat quoque in aſtra referre
Flauentis Mariæ verticis exuuias.
Dixerat: actutum variis Thaumantia proles
Multicolor pennis nuntia miſſa Deûm:
Quæ flauos raperet crines, cæloq; locaret
Vndique & æterno ſidere conſpicuos.
Proq; his, & radiis diuinæ lucis, & auro,
Inſignem capiti poneret inde comam.
Oraq; pallentis cæleſti afflaret honore:
Amiſſum ſpecimen pulcrius efficeret.
Vt ſit, quam magis admiremur, gratia formæ:
Ipſáque ſe carpat ſæuius inuidia.
Haud mora dehinc ſtellis, fulſit redimita corona,
Aſpice, contingens ante Coronâ feram:
Huic, ſeu felici teda, & Iunone ſecunda,
Iuncta viro caſti iura cubilis habes:
Seu Veneris vinclo cuiquam ſocianda iugali,
Lecta tuus libet munera carus onyx:
Ipſa immortali ante omnes clariſsima dono
Et caput, & faciem pulcra magis colere.

De

De Maria Sanſeuerina & eius marito.

Cum decus Italidum velut inter ſidera Phœbe
Hinc diuûm Maria prædita muneribus.
Hinc iubar Auſoniæ magni ceu Phœbus olympi
Fulgeret Heroicus gloria Romulidum:
Alterum & alterius fulgenti lampa, de mundi
Clara magis niteant lumina, iunxit amor.
Coniuge fælices coniunx & principe princeps,
Viuite fælici viuite coniugio.

Ad Elyſium Caraciolum. Epiſcopum Catanenſem, Elyſius.

Forte puellares ludens per prata choreas
Duxerat, ac molli tandem conſederat herba
Frigus & obtentu ſyluæ captabat opacum
Turba ingens Tryadum pictis admiſta Napæis,
Iamq; inter corylos ingentem ſideris æſtum,
Et curas animi vario ſermone leuabant,
Auratam citharam tum pectine pulſat eburno
Euryale ad ſeptem fundens diſcrimina vocum
Carmina: dulciſono reſonant nemora ardua cantu,
Mirantur pecudes: mirantur agreſtia Panes
Numina: duratæ flexêre cacumina quercus.
Nam canit inſigni ſuperos qui prole parentes,
Mortales fecere, poliq; auxere penates:
Vtque Ioui Herculeas peperit Tirynthia vires

Alcimene decepta viri ſub imagine falſa:
Vt puerum Cadmea parens, qui primus Eois
Quadriiugos victor currus agitauit ab Indis:
Vt diuum interpres pulcra ſit Atlantide natus,
Ingenioq́; potens ſacro Cyllenius antro.
Tum canit Heroas, Diuæ quotcunque ſuperbo
Connubio genuere viris ſimilesq́; Deorum:
Iaſio quem flaua Ceres, venerata Marica
Quem Laertiadæ, quem Dardanio Anchiſæ
Alma Venus, quos Nereides, Pſamatheq́; Thetisq́;
Pulcra Thetis: quis enim fama non nouit Achillē?
Quanta viro virtus, teſtis quæ læta per arua
Terra Phrygum toties vndauit ſanguine: teſtis
Vnda cruore nouo tam ſæpe coacta Scamandri:
Teſtis qui correpta virum tot ſcuta ſub imo
Gurgite tot galeas Simois tot corpora voluit:
Teſtes Iliades natorum in funere matres
Vngue caput lacerum fœdantes, pectora palmis,
Pallida cum crebris rorarent fletibus ora.
Qualis ab ætherea Mauors dimittitur arce,
Fulmineas rapido ſpirant cum turbine vires:
Siue per Aemathios incendat prælia campos,
Siue in Agenoreis renouet certamina Thebis
Purpurea inſignis criſta & fulgentibus armis,
Quem ſequitur loris minitans Bellona cruentis,
Nec non Threicio ſtridens Aquilone procella:
Talis erat, talem ſeſe mittebat in hoſtem
Vulcani clypeo, & multo ſpectandus in auro
Pelides, animóque ardens ſic bella petebat.

Quid referã? aut raptatũ hoſtilibus Hectora loris?
Hectora, quo nunquam cecidiſſent Pergama viuo,
Aut Martis ſobolem, Scythico quæ venit ab orbe
Auxilio Teucris, fœdatam puluere crines.
Aeacidæ telo Troiæ cecidiſſe ſub altis
Mœnibus? aut te materno iam numine Memnon
Fidentem heu nimium? Eois quem miſit ab oris
Diua parens, magna Aethiopum comitãte caterua,
Vlturum Priami clades, grauumq; paterno
Facturum generi, contrà ni fata tuliſſent,
Iamdudum Antilochi exuuiis lætatus Achillem
Ah malè caute petis, quo non præſtantior alter
Decertare manu, atque hoſtem præuertere curſu.
Ah malè caute, genus, quo non præclarius vllum,
Magnanimi heroes contemnis, & inclyta facta.
Quo ruis infelix? quo te dementia ducit
Imprudens iuuenis, fatisq; & viribus impar?
Quanquã non alio vndiſonis tremuere ſub antris
Nereides bello, nec tam adduxere tonantem
Altera in ambiguum feruentia prælia regum:
Inſonuere poli, & ſtrepitum dedit vndique põtus.
Te vero extinctum crudeli funere venti
Corripiunt, vectúmque obſcura in nube per auras
Frigida pernicies Aeſapi ad flumina ſiſtunt.
Te Nymphæ ad patrias flebant Æſapides vndas,
Te Sol purpureum tectus ferrugine vultum,
Te Solis natæ, te ſidera matutina,
Pleïadésque, Hyadésque & claro lucifer ortu,
Ipſæq; ætheree Themidos pulcerrima proles:

Quæ Cæli obſidunt portas, quæ tempora rerum,
Quæ noctéſque dieſq; ferunt & quicquid vbique
Exoritur quodcunq; viget quodcunq; mouetur,
Ingeminant horæ lacrymas, crinéſque reſoluunt.
Te mater complexa ſinu miſerabile corpus
Heu gemit illacrymãs & queſtubus omnia cõplet
Auricomum velata caput ſub nubibus atris,
Crudeleſq; Deos, crudelia & aſtra vocabat:
Quam miſerata parens Stygias tum protulit alas
Nox atra, & totum texit caligine cælum.
Illa peroſa Iouem, & lumen candentis Olympi,
Infernos penetrare ſinus, manéſque profundos
Certa, vel obſcuros inter ſe condere nimbos,
Abſtulerat ſuperis lucem & mortalibus ægris:
Nec dum purpureis retuliſſet vecta quadrigis
Alma diem, nec ſidereum repetiſſet Olympum,
Ni pater inuitam reuocaſſet fulmine torto.
Dant gemitum comites, & fletibus ora rigabant.
Æthiopes tum præpetibus ſe tollere pennis
Ante rogos viſi (dictu mirabile) regis,
Et latè extemplò ingenti ſonuere volatu:
Ter circum volitant volucres, luſtrántque ſepulcrũ
In numerum, ter conueniens ferit æthera plangor,
Dehinc veluti adductũ ſtudia in contraria vulgus
Bella gerit latis pluſquam ciuilia campis.
Sic ſeſe in partes diuerſáque in agmina ducunt
Aduerſiſq; ruunt celeres in prælia roſtris,
Pectora pectoribus quaſſant, atq; vnguibus ungues
Impediunt, diramq; petunt per vulnera mortem

Has cineri dant inferias, hæc ſacra quotannis,
Perficiunt regiq; ſuo de more parentant.
Hunc nato implorat (ſic Dij voluiſtis) honorem:
Hoc ſe Aurora dolens ſolatur munere tandem.
Quin etiam ſæui ſeruant nunc ſigna doloris
Imperio Diuûm Phrygiæ ſub collibus Idæ
Flumina Memnonio (mirum) collecta cruore:
Seruatoq; die, quo iam Tithonius heros
Ceßit Achillea traiectus cuſpide terris,
Annua ſanguineo perfundunt gramina fluctu,
Halitus it cælo graue olens: vt putrida dicas
Vulnera adhuc ſanie tetrum diffundere odorem,
Hæc Thetidos referẽs laudes tũ Nympha canebat:
Hisq; recens addit Diuûm genus, edita cælo
Italiæ decora alta: iubar tum deniq; pulcræ
Parthenopes canit Elyſium: vt fouere cubili
Naſcentem Charites, vitaliq; vbera rore
Naides infanti admorunt: vt rupe ſub alta
Parnaßi Aonides puerum docuere ſorores:
Fonte Meduſæo perfuſum vt maxima vatem
Colliope fecit diuino fluminis hauſtu:
Vt iuuenem lauro ornauit Parnaßide Phœbus,
Exceptumq; choro ſuprema in ſede locauit.
Tum vero hæc illi: Tu longa in veſte ſacerdos
Aetnæos populos diuina lege tuendos
Ante diem accipies, te fertilis ora Symætin
Præſide iam latè lætabitur ipſa, Sicanis
Terra ferax largo plures dabit vbere fruges:
Aurea te ſuperum cuſtodem ſæcla videbunt

Sectantem patrui veſtigia paßibus æquis:
Ornatum roſeo felix te Roma galero,
Augentemq; ſacros ritus & templa tuentem
Adſpiciet, Latium ſummo qui cardine rerum
Magnarum ſubeas orbem, ſi verus Appollo eſt.
Cætera me prohibet genitor prædicere diuûm:
Multáque præterea cecinit doctißima virgo
Omnia quæ pulſæ referunt ad ſidera valles:
Donec & inuito deceßit Phœbus Olympo,
Et magnæ inuitis cecidere e montibus vmbræ.

ANDREÆ DACTII.

Quam ſibi fatidicus votis depoſcat Apollo
Candidior niuibus eſt tibi cæſaries,
Frons nec lata nimis, nimium nec longa breuíſve,
Grata colore ſuo eſt, grata ſupercilio.
Quos Venus & volucer cupiat cum matre Cupido,
Sideribus ſimiles fronte micant oculi.
Purpureus ridet naſus, frontemq; ſerenat,
Infelix quem non carperet inuidia.
Quasq; iuuenta genas, & quæ velit ora venuſtas
Diuorum cuiuis æmula habet facies.
Omni perſpicuo coniuncta eſt gratia mento
Paruáque de modico labra rubent minio.
Stant ebori ſimiles tenui diſcrimine dentes
Et micat e paruo plurimus ore nitor.

Dulce repercuſſo lingua modulante palato
Vox ſonat, Hermæo dulcior eloquio.
Ipſa teres ſpatio ſeſe gula porrigit æquo,
Quam ſibi venatrix Delia percuperet.
Lati humeri: latum pectus: molléſque lacerti:
Longa manus, teretes vngue bono digiti.
Exiguo mediam gyro ſed baltheus ambit,
Ilia dum iuſto lata tument ſpacio.
Mollia laſciuo crura exultantia ductu
Diuinum inceſſu neſcio quid redolent.
Pes breuis, & quæ non ſub veſte latentia dicam,
Concedat Venus his & Puer Idalius.
Omnibus his moueor, quis enim tam ferreus eſſet
Iſtorum vel quem ſingula non moueant?
Qua tamen haud vlli te poſſe placere putares
Hac vna fateor tu mihi parte places.

Epithalamium.

Pronus Atlantiaco rutilantes æquore currus
Condidit: & celerum curſu deuectus equorum,
Oppoſito luſtrat Titan Antichthonas orbe,
Veſper adeſt, Phœboq; prius cælata propinquo
Apparent medio fulgentia ſidera cælo.
Huc ades Vraniæ proles hymenæe, recenti,
Flore caput, roſeaq; comas euincte corona.
Tæda maritali ſplendeſcat pinea flamma,
Ducenda in thalamum teneri noua nupta mariti,
Octonos decies qui iam tranſegerit annos.
Iamdudum pictis patuit domus ampla tapetis,
Grande nitens, atramq; fugant ſua alia noctem:

Hic caſtæ lauri & Veneri gratiſſima myrtus,
Arcadiique nemus Panos, nigræque cupreſſus,
Serpentesq́; ederæ, atque abiegno e ſtipite frondes,
Mixta corymbiferis prætexunt atria ſertis
Pomifer Alcinoi quibus intertexitur hortus:
Aurea regifico ſplendeſcit menſa paratu.
Iam docti cælata manu non vna Myronis
Pocula flauenti diffulgent eminus auro.
Tum modus argento nullus. Quas Mentoris artes
Aſpicis in pateris? Concedat prodiga regum
Luxuries Aſiæ: & ſignis laudata Corinthus,
Túque ſuperba tuis quamuis Aegypte ſepulcris.
Inuitat vario fumans nitore culina.
Iam fluuiis præbere manus celerate miniſtri,
Quos honor aut ætas primos iubet eſſe: venite,
Hîc ſedeatis: & in primis diſcumbite menſis:
Hîc ex aduerſo ſedeat noua nupta mariti.
Quid ſtatis matres, verecundáque turba puellæ?
O iuuenes quænam iſta mora eſt? accumbite menſis,
Et ponant famuli primæ bellaria menſæ
Mox ſerie quæcunq́; ſua, tuceta potentum
Eſca virum, & pannis pauo precioſe ſuperbis,
Tum perdix: aſſusq́; capo: pinguesq́; columbæ:
Turdiq́; & moriens nimia pinguedine turtur,
Aurea nectareo diſpument pocula ſucco.
Quid lætis permixta iocis dicteria ceſſant?
O iuuenes laſciua manus: prouectior ætas
Vosq́; ſenes miti ſoliti iuueneſcere Baccho.
Da coniunx da dona, tuæ da dona maritæ,

Túque viri noua nupta manu cape munera turdi
Selectas clunes, & dona remitte viciſsim.
Quid verecunda ſiles ſpectantibus ima puellis?
Vir tuus eſt. nugæ:noctis timet illa timorem,
Scilicet hoc ipſum ridet?quid tum obſecro,ploret
Tam bello coniuncta viro?quantumlibet imo
Rideat.at qui ploret erit ſub nocte ſilenti.
Sed bibite,& patulas epulis detergite quadras.
Diis grates reſonant conuiuia feſta tumultu.
Iam ſatis exhauſtum eſt epularum : ſurgite menſis,
Laſciuire libet ſaltu feſtisq; choreis,
Et mediam cantu inſomnem perducere noctem.
Dicite legitimos Hymenæo,dicite verſus,
O iuuenes,mixtæq; nurus coëatis in orbem,
Alterius læua dextram premat:incipe carmen
Vna prior reliqui repetent quod dixerit illa.

Carmen.

Humani generis ſator ſalusq;
Huc adſis Hymenæe,dexter adſis.
Huic omnes iuuenesq;, virginesq;
Laudes dicite conſonis labellis.
Votiuasq; Deo preces potenti
Puro fundite corde ſupplicantes,
Vt nuptæ facilis nouæ viroq;
Vitæ tempora præbeat ſecunda.
Humani generis ſator, ſalúſque
Huc pulcerrimus omnium Deorum

Idem maximus es, ſacerrimuſq́;.
Tu cæli reſidens in arce ſumma,
Saturno prior omnibuſq́; Diuu,
Gaudenti face nuptialis ignis
Ipſi cælicolas polo paraſti.
Humani generis ſator ſalúſque.
Hinc pennis roſeis volans iacentis
Telluris petis arua dexter ales,
Ac totum volitans vagaris orbem:
Armatus face dexteram iugali,
Et tecum Charites ſimul: Venuſq́;:
Riſus: lætitiæ: ioci, lepores:
Humani generis ſator ſalúſque.
Arridet venientibus ſerena
Aethra temperies: humuſq́;: & vda
Omnis germinat herba, floret aruûm
Rident frondibus arbores tenellis,
Exultant viridi feræ ſub antro,
Et piſcis liquida natans in vnda.
Humani generis ſator ſalúſque.
Te parui pueri, puellulæq́;
Lætis vocibus acciunt, vocantq́;.
Te propter iuuenes, nuruſq́; lætas
Feſtis cantibus innouant choreas.
Incumbunt epulis ſocrus, patreſq́;,
Atque omnis tibi gratulatur ætas,
Humani generis ſator ſalúſque.
Tu ſanctiſſimus igne nuptiali
Humanum ſocias genus, ligaſq́;,

Tu das nomina ſanguinis propinquis:
Per te coniuge læta degit vxor.
Tu matrem facis & facis parentem,
Per te filia dicitur, nepóſque
Humani generis ſator, ſalúſque.
Mortalis ſine te breui propago
Leto deficeret furente tota.
Tu cultoribus abſque ciuitates
Præberent vacuæ feris cubile.
Squalerent fruticoſa vere in ipſo
Duris ſentibus arua vepribuſq;.
Humani generis ſator, ſaluſq;
At te præſide lætus omnis orbis
Felici fruitur perenne riſu.
Et nos ergo alacri benignitate
Has feſtas tibi ludimus choreas.
Vno pectore & ore ſupplicantes,
Vt ſaluos facias tuos perenne.
Humani generis ſator ſalúſq;
Huc adſis Hymenæe, dexter adſis:
O Hymen o Hymenæe Hymē Hymen o Hymenæe.
Ecce furens iuuenum clamat manus oſtia circum:
O Hymen, o Hymenæe, Hymē, Hymen o Hymenæe.
Huc iuuenes huc ferte trabem coeamus in vnum,
Incuſsíque procul procumbant cardine poſtes.
Quin domus ipſa patet venientibus, ordine ludos
Inſtituamus, agat feſtiuum Tantalus agmen,
Iam ſcutica inſequitur, ſubter veſtigia ponè
Reptantis iam morſus aqua ridetur Alethes,

Iamq; ſuperſcandunt humeros & vertice celſo
Aurea ſublatis tangunt laquearia dextris.
Ecce ſuper genibus curuata fronte ſedentes
Percutiens veteri renes circundat aluta,
Neſtor & effugiēs ſequiturq; fugitque ſequentem.
Nox fugit, & nullus ludis modus additur: eia
Luſiſtis, ſatis eſt, tandem concedite nocti.
Prona polo ſuadent iamdudum ſidera ſomnos.
Impotos abigis, quin hos precioſa Lyæi
Dona cados, & mellitas has ſumite baccas,
Imus & e thalamo, coeant feliciter: ite.
Ingredere o thalamum coniunx noua: tuq; marite.
Vóſque alij (vocat hora) prementi cedite ſomno.
Hactenus o Hymenæe tuo ſulcauimus æquor
Remigio: nunc vela nouis oſtendere ventis
Vrget opus tu tranſtra tuæ ne deſere puppis.
Non te abigo. cōmune Deis modo munus agēdū eſt
Quos prohibet ſpreuiſſe pudor, pietáſque timórque.
Ergo adſis Erycina Venus, nunc deprecor adſis:
Vt vereor ne forte tuo ſine numine noctis
Tranſeat hoc: prohibe quæſo, nec tempore tali
Deſere legitimi ſocialia fœdera lecti.
O cuſtos horti, cuſtos rubicunde Priape
O cuſtos, audis ne precor? languere videris,
Et langues fortaſſe: veni ſecurus: agendum eſt
Cum modico. potes huic quouis ægreſcere morbo,
Nulla quidem merces de te (mihi crede) petetur.
Ergo ades, & qualis fueris iuuenilibus annis
Ede ſenex, veteremq; tuum ne pone rigorem.

Cum ſolo eſt iam ſola ſuo noua nupta marito,
Nudaq́; iam ſtrato poſuerunt corpora lecto.
Quid refugis mea vita tui pudibunda mariti
Oſcula & a tenero diſiungis brachia collo?
An dubitas? vel forte pudet? dubitabile nil eſt.
Cur pudeat? ſoli ſumus, & cum coniuge coniunx.
Ergo mane, iuſſuq́; tui pareto mariti.
Quid faciã? mea vita mane, quid deinde? quid oro
Sic iaceas paulũ ſublata parte ſiniſtra,
In dextrum ſubnixa latus. iacet, ecce parata eſt
Altera pars. reſtat grauioris cura pericli,
Indiga præcipui conaminis omnis abeſto
Segnities, torpórque procul, ne ſperne iacentem
Sollicitare manu: & molli attrectare ſaliua,
Si nihil erucæ proſunt, Venerisq́; miniſtri
Bacchus & extremo merces oriente petita:
Inſere blanditias molles laſciuáque verba,
Illecebráſque ordire nouas: quæ ſingula ſi non
Arrexiſſe valent, poterunt ſimul omnia forſan.
Vicimus, arrecta eſt validis antenna ceruchis.
Scilicet eſt aliquid medica fore in arte peritum.
Iam coit in venerem complexus vterque viciſſim:
O mea vita & ocelle & mens mea ſola voluptas
O animæ pars magna meæ, mea gaudia, coniunx
Oſcula da centum, linguæq́; interſere linguam.
Ecquid amas me ſponſa tuum? quid triſtis anhelas?
An te aliquâ lædo? haudquaquã cariſſime coniũx,
Ipſa tibi cuſpis in te conuerſa minatur.
At quis odor crepitusve meas peruenit ad aures,

Proiectis Hymenæus abit vaſto impete tædis.
Accinxit ſe Erycina fugæ, naſumq́; reducta
Occuluit dextra: & vultum contraxit. io quid?
Quid fugis? o maneas, fugit: fugiamus & ipſi.

Ad Amicum.

Quamuis officio non perfungaris amici,
Nil mihi reſcribens, vacuum quod ſponte decebat
Munus obire prius, ne dum ſermone ſoluto
Ante laceſsitum diuerſo tempore ſæpe:
Quod tamen ardenti ſæuóque Cupidinis arcu
Læſus amas, ardentq́; tepentibus oſſa medullis
Flector, & ex aliqua fieri tibi parte benignus
Impellor magis ac deceat, me ſcilicet olim
Haud ſecus ardentem memini, primáque iuuenta
Quid ſit amor memori deprehenſum pectore ſeruo.
Quatenus ergo alias grauior de pectore curas,
Cura fugat facile ignoſco culpámque remitto.
At quia ſecuris puppis naualibus hæret
Iam tua, nec fluctus pauet exarmata marinos,
Non aliqua ſons eſſe nequis culpáque vacare.
Vtq́; vaces aliis admiſsis omnibus, vnum
Non leue commiſſum eſt ſanctæ temerare ſilendo
Fœdus amicitiæ. ſed ne prolixior æquo
Ambitioſa ſuas tranſmittat epiſtola metas
Huc venias: ſeruéſque fidem, promiſſáque ſoluas
Ocyus, vt victu pariter lætemur agreſti.
Hoc ſat erit dixiſſe. Vale noſtríque memento.

Ad Amicam.

Vt reuocat pulſam nutricem fœtibus infans:
Sic ego quam fugi quæro tuam faciem.
Nutricem te fecit amor, me fecit alumnum,
Quæ potes o miſerum ſola beare bea.

De amore glacie torpente.

Iunxerat adducto reſtantia cornua neruo,
Vulnera iam miſero, iámque daturus Amor.
Dumque locum iaculo ſemihulco ſigna ocello,
Torpuit & caſſo vulnere dextra riget.
Extinctæ cecidere faces & chorda reductis
Cornibus ingenti fracta iacet ſtrepitu.
At tibi frigida hyems inopinæ cauſſa ſalutis,
Addant perpetuas Numina magna niues.

Ad Lycorim.

Quantum vix facibus iugata ſacris
Dotem noſtra dedit parens parenti,
Tantum nocte petis pecuniarum
Mercedem Veneris tuæ Lycori.
Quid ſi nulla tibi inde ſit voluptas,
Aut formam pretio tuam paraſſes?
Sed vendas licet huic, & iſti & illi
Quanti vis Venerem tuam Lycori,
Venalis modo ſis meo mutoni,
Vnum non emo pœnitere tanti.

Ad Fuluiam.

Conantem me ſæpe loqui pudor ipſe repreſsit,
Nec tibi, quod volui, dicere adhuc potui.
Me facies, moreſque tui cepêre, tenentque.
Sit meus o facias iſte perennis amor.
Malueram coràm tibi dicere, ſed pudor obſtat,
Hæc tibi quam mitto charta pudore caret.

Ad eandem.

Tentaui coram tibi Fuluia dicere ſæpe,
Quàm mea ſæuus amor ignibus oſſa cremat.
Haſerunt imo verba intercepta palato,
Et vetuit, qui nunc ſcribere cogit, amor.
Ergo amo te quãtum non eſt comprehẽdere cuiquã,
Qui quãtum ſcit amat, non bene prorſus amat.

De Amicæ vultu & moribus.

Odi & amo: & nequeo non illud amare, quod odi
Rurſus habere odio, non nequeo quod amo.
Sic odio miſcetur amor, mulcetur amore
Sic odium, atque odio, ſic maculatur amor.
Te fateor moreſque tuos mutabilis odi:
Depereo rurſus te, faciemque tuam.
Magna tibi, toties ne me contraria lædant,
Immutent mores numina, vel faciem.

Ad Gallam.

Ne mihi prœterito ſueuit quod flore iuuentus,
Debueras, dicas Galla, rogare, rogo.

Ad Alexium Lapacinum.

Ardes, vœ miſero, impiis Alexi,
Nec quenquam ſuperum pudet Deorum,
Ardes prò facibus (nephas) amoris.
Quem ſperes hominum, inferumve diuûm
Laturum rapidis opem ſagittis
Infenſo Ioue, cœlitúmque turba?
Me? quem perpetuis Venus cathenis
Vinctum carceribus domat tremendis,
Aerumnœ, gemitus, noui dolores
Aeterni hoſpitium: perenne planctus.
Idem vel pelago minaci habenas,
Vel cœlo iniiciam manus profundo
Inuitis ſuperis, Deûmq; rege.
Ah quœras alias opem per oras,
Cui plus quam mihi ſit ſpei, petendus.

Laus.

Quiſquis agit formœ tantum de laudibus in te,
Ignorat verœ nomina laudis adhuc.
Non ſecus ac Venerem ſi laudaturus Apelles,

Ad conchæ laudes rettulerit ſpeciem.
Dicturusve Iouem, maieſtatémque ſupremam,
In forma Laudis triuerit omne decus.
Quæ quamuis eſt iuſta, tua eſt quota portio laudis,
Nec ſecus illa tibi conuenit, atque Ioui.

In Amorem.

Auſa cupidineis ignarum exurere flammis
Fama, prius noſtris res noua temporibus,
Quam dedit & noſtram cuperem peccaſſe puellā,
Rurſus ait ſpretis me, pietate, fide.
Isq́; adeo incertus cura grauiore popellus,
Peruacat vt vanis hæreat vſque iocus?
Quæ me ſcire negem, cupiam ſi vera fateri,
Qui de me gratis aſſerat, iſta mihi eſt.
An quenquam ſua cura latet, refugitq́; quod intus
Perpetuo clauſum nocte diéque gerit?
Et videt alterius latitantes pectore ſenſus,
Vt ſua qui neſcit vota aliena tenet.
Vt qui clam ſummo poſitum fert vertice fœnum,
Pendula vel cuius chartula terga notat:
Prorſus ita eſt, neſcit dominus, vicinia furem
Nouit & arcanum ſi quid in æde malum.
Fur amor eſt, furti latebras, arcanáque cordis
Ingreditur, furtim mentem, animámque rapit.
An cantata rapi ſe mens non ſentit, & alto
Capta velut ſenſu, merſa ſopore iacet?
Vt quos ſaxificæ mutarunt ora Meduſæ,

Aut Cyllenea virga ſuperba manus.
Perlege quot ſuperant veterum monimenta virorum,
Pagina cælicolûm crimine rara vacat.
Arſit amore Deûm toties pater, arſit, & ardens
Defluit in Danaes aurea gutta ſinus.
Candidus Europen taurus per cærula vexit,
Candidus in Ledæ Cignus erat gremio.
Ales & Aſterie cum te decepit & ales
Idem cum puerum traxit ad aſtra Phrygem.
Quid referam Inachiæ toties mutata Iuuencæ,
Ora vel Arctoi ſidera fixa poli?
Cur doleat Iuno, tellus, mare, ſidera præbent
Ni contenta ſui parte ſit illa Iouis?
Quid Neptune tuos dicam, quid fratris amores?
Signata eſt flammis Siculis ora ſuis.
Haud immunis abis Mauors, nec prælia tantum,
Fama canit, notus quam tuus extat amor.
Quid Phœbus? Maiáque ſatus? reliquiq; Deorum?
Aut amat, aut nihil eſt quiſquis in orbe Deus.
Si pater omnipotens hominúmque deúmq; creator,
Cuius ad imperium quicquid vbique tremit,
Si numeroſa Deum toties ignara propago
Exarſit flammis vſta cupidineis,
Tale pati iam turpe nihil mortalibus ægris,
Me vincat, dum ſic vicerit ante Deos.

In amicam fugientem.

Fugiſti ſatis, o ſatis ſuperq́;.
Sum longe ſatis, ac ſatis ſecutus.
Iam iam deſine, non ſequar volentem,
Nolentem modo iugiter ſecutus
Expectas cremer & ſequar perenne,
Quod paßim cupidi ſolent amantes,
Cælo cum Ioue teſte polliceri
Dura vt pectora molliant amantis.
Non ſum qui fueram, color nec idem,
Nec vultus tibi, nec vigor, nec ætas.
At tu ſollicitam ſecutionem
In ſola poſitam fuga putabas.
Sic olim lepores q; capreæq;,
Sic ceruus mihi longius placeret.

In amicam ingratam.

Tempore, amore, fide, precibus, lacrymisq́;, perenni
Seruitio nunquam flectere te potui.
Quid non perfeci? quid non te propter omiſi?
Redditur officiis haeccine palma meis?
Quæ pietas? hominis quid in iſto corpore regnat?
Thrax flexit Stygios mole minore Deos.
Et dubitabit adhuc quis contingentia rerum
Nomina, naturæ nec ratione dari?

De ſeipſo.

Diffitear ſi forte mea me laude moueri,
Mentiar, humano ſum quando ego ingenio:
Præcipue laudante viro, qui iure meretur
Laudari: qualem te mihi fama dedit.
Quem Muſæ, quem Phœbus amat, cui fonte relicto
Idalio, comes it & Venus & Charites.
At mihi cum eluſit nihil eſt, natura negauit
Carmen Apollinei munera ſacra chori.
Vberibus tibi vernat humus, parnaßia glebis
Prouenit, & nullo multa labore ſeges.
Nos ſterilem colimus obtuſo vomere terram,
Raráque defeſſas ludit ariſta manus.
Hæc animo ductante ſibi mens conſcia ſentit,
Et damnat vires debilis inde ſuas.
Inde tuos animos afflatáque pectora cernens,
Neſcit iudicio non dare cuncta tuo:
Perq; vices animi varias huc fertur, & illuc,
Vt leuis aduerſis flatibus acta ratis.
Parce ferire nouis trepidantia pectora telis,
Sit tibi cedentis terga videre ſatis,
Obuia forte meo dum ſit Venus aurea Floro:
Nate refert molli quò pede tendis iter?
Arcus pharetraq;, facesq;, leuesq; ſagittæ?
Quæq; tuos oculos vitta tegebat, vbi eſt?
Verſicolor quò penna abiit? quid veſtibus artus
Contegis? hac hominem, vel petis arte Deum?

Ille ſub hæc, aliena refers, nec tela nec arcus
Nouimus, aut ullas tendimus inſidias,
Tunc Venus: haud homini cedet qui numina fallit,
Non alius cælo regnat inermis amor.

Ad amicam.

Vnde tibi tantos veniam nouus inter amantes,
Si vacat haud dubiis accipe vita notis.
Fortunis confiſa ſuis ruit irrita amantum
Turba, ego perpetui fretus amoris ope.
Hos facies peritura mouet, me forma ſuperſtes:
His modo pulcra: mihi pulcra pudica places.
Quod nihil eſt illi, ſatis eſt mihi, quia non licet unà
Eſſe, loqui, miſtis ſeria ferre iocis.
Voti hæc ſumma mei tamen huic uti ſeruiat omnis
Quantulacunque mea eſt ſors, manus, ingeniũ.

Ad Theleſinam.

Si te habeo, Theleſina, habeo omnia, ſi omnia præter
Te Theleſina habeo, nil Theleſina habeo.

Ad amicam.

Promittis, promiſſa negas, offersq́; negata,
Qui ſequitur refugis, quique fugit ſequeris.
Spreta àrdes gratis ſpernentem, ſpernis amatum,
Dilexit, ſperno, diſpercam niſi amas.

DE FRANC. FRANCHINO.

Tam dulci teneros cantat Franchinus amores
Carmine, plus nulli vt debeat alma Venus.
Ille tamen Veneri plus ſe debere fatetur,
Auſpice qua in tepidos venit amica ſinus.

FRANCISCI FRACHINI.

Ad Leuciam.

NVmquid adhuc rabida perſtas immanis in ira?
Et iuuat Hyrcanæ pergere more feræ?
Horribilis niueo feritas in pectore turpis,
Turpis formoſo toruus in ore furor.
Nec ſemper Tygris, nec ſemper ſæuit hyena,
Sæpe lupæ mites, ſæpe leæna pia eſt:
Et quid erit turbâſſe comas, rupiſſe capillum?
Méque oras tunicæ diſſoluiſſe tuæ?
Nonne potis tibi ſum tunicas & tradere pallam,
Quales ferre omnis culta puella ſolet?
Ad tua qua veni ſecreta cubilia nocte,
Quáque velim claudos nocte habuiſſe pedes,
Aedibus ex ipſis mecum noua iurgia traxi,
Quin & mentis egens, & malè ſanus eram:
Túque minis fatui grauibus commota mariti,
Oppoſita trudis corpora noſtra manu.
Cumq; ego, quæ noua res? quid nam facis improba clamo?
Quæ clamore nouo nō maledicta iacis?
Sed non vlla meam poterit diuertere mentem
Rixa, nec ex imis vellere viſceribus:
Quin te ſemper amem grato deuinctus amoris
Vulnere, quin placido tactus ab igne ſequar.

Iurgia concordes gigni, iuuat inter amantes
Pectora vt amborum fortius vrat amor.
Iurgia ſunt blandi non parua alimenta caloris,
Vtq; diu faciunt iurgia duret amor.
Hæc ſtimulos tardis, hæc frena furentibus addunt,
Hæc querulo frangunt aſpera corda ſono:
Iurgia quin viduos vidi coniungere amantes.
Pacem perpetuis & peperiſſe toris:
Finge ab amore minas, liteſq;, iráſque, metúſque
Eſſe procul, terris non erit vllus amor.
Me miſerum, ſi facta velim, ſi dicta referre,
Quæ fuerim regnis paßus amara tuis.
Sæpius & crines, & vultus vngue reciſos
Sæpius, heu nulli probra ferenda tuli.
Libera lingua tibi ſemper fuit, & manus & dens,
Multa ego, tu ſolum hoc ferrea ferre nequis.
Quid facis o decus, & Romanæ gloria formæ,
Nonne viri ſpect[illegible] gaudia ſumma tui?
Nunc tacitis quicquid votis optauerat olim,
Victor habet, dum nos bella fouere videt.
Noſtro, age, ſic hoſti nunc aſſentire precanti,
Perpetuum nobis Leucia dißidium:
Forſitan & de me narrat tibi multa, vocátque
Infidum, atque odij ſemina mille iacit.
Quæq; hominis quõdam contemnere dicta ſolebas,
Nunc facili vereor ne ſatis aure bibas.
Atque odium crudele reor te pectore duro
Exercere diu, pulſus vt excrucier:
Iam non poſſe diem ſine te me viuere, noſti,

Me noſti imperio ſuccubuiſſe tuo.
Vror amore tui (fateor mea Leucia) amore,
Maceror & toto pectore diſcrutior.
Non aliter quàm tu noſtram cum ſæpe ſubibas
Sola domum ignaro, nocte ſilente, viro,
Sub mediumq; diem mutata veſte petebas
Cum me ſollicito ſemirecincta pede:
Mutuus eſt, & erit nobis dum vita manebit,
Inſitus amborum mentibus vnus amor:
Nec contra pugnare licet, nec tollere vis eſt,
Quo premimur, cui ſunt ſubdita colla iugo:
En mitis, rediensq; tuum complectere amantem,
Quáq; ſoles hilari ſuſcipe fronte Dea.
Quas ego delicias video cum pace perenni,
Quæ video æterna fœdera iuncta fide.

De Leucia ad Hieronymum Corregium.

Qui noſtros perſæpe doles Hieronyme caſus
Et malè fers animi vulnera dira mei
Affer opem, mihi da dextram, ſuccurre labanti,
Me noua cura coquit, me ferus vrit amor.
Curæ aliæ in terris nullæ niſi amoris amaræ,
Solus perpetui eſt cauſſa doloris amor.
Clauſtra tenent arceſq; meam, turreſq; puellam,
Nec licet egregio me ſemel ore frui.
Tu cui Dij dederunt claro cum ſanguine mentem,
Ingenium, & culto qualibet ore loqui:

Dic mihi quæ ſit iter, quid ſit mihi cõſule agẽdum,
Quo poſsim optatos victor adire toros:
An dignam rem forte putas luſúque, iocóque
Et rides & me tu quoque flere vetas?
Scis tamen inuictum capta Briſeide Achillem,
Fleuiſſe & madidis ora rigaſſe genis:
Si mihi forte forent vires Hieronyme Achillis,
Parerentq́; acies ſi mihi Mirmidonum,
Aſpiceres æquata ſolo, & diſiecta per agros
Mœnia dura quibus Leucia clauſa mea eſt,
Cuſtodemq́; arcis cæſum, & ſine nomine truncum,
Et multo Tiberim ſanguine purpureum.
Ille ſenex olidus tremulúſque in turribus altis
Detineat noſtras ſpes & inultus opes?
Nec ſinat is dominam ſacras accedere ad aras,
Nec ſinat affines poſſe videre ſuos?
Quin referunt non tam ferratis poſtibus olim
In turri Danaen detinuiſſe patrem?
Hĩc lacrymis madefacta breuis modo littera furtim
Miſſa mihi eſt, perij, tu mea vita vale.
Me vitam appellat ſe iam periiſſe fatetur,
Me valeatque vt non ipſa, valere iubet.
Scripſiſſet fors plura, metu ni dextra labaſſet,
Longius infelix ſcribere non valuit:
Capta puella dolis tenebroſo in carcere viuat?
Ipſe ego per campos otia liber agam?
Me me hilarem triſti te Leucia nemo videbit,
Semper ero ſine te Leucia lucis inops,
Verum tolle animos mea lux, iam deſine ſegni

Turpiter in luctu degere & in lacrymis:
Audendum, tentanda via eſt, qua dulcibus Argũ
Poſſimus vigilem fallere ſæpe dolis.
Ipſe ego me in varias conuertam, vita, figuras,
Auri forma mihi, vel mihi oloris erit.
Ledan factus olor, Danaen mutatus in aurum
Iupiter e ſummo fertur adiſſe polo:
Scilicet hanc, vt auis tacitóque citóque volatu,
Præteriens nullo tramite viſus adit.
Aurum grande dedit Danaes cuſtodibus, auro
Et tacuere fores & tacuere canes?
Sic ego more Iouis, magnorum more Deorum
Tecum quo minime tempore reris ero:
Iam iam adero, & pontes, & propugnacula, & arcis
Ferrea turrigeræ limina tranſiliam.
Túque face vt viſat tua te cariſſima mater
Quæ roget in dulcem te ſinat ire domum,
Aut referat caram ſeſe malè habere ſororem
Optantem vultus poſſe videre tuos.
Illi promittas horam non amplius vnam
Abfore, ne longas te putet ire vias:
Diuertes ad me ſola comitata parente,
Quæ penitus toto corde colenda mihi eſt.
O quæ læta manent nos gaudia, queue dabuntur
Oſcula cum longa blanda & anhela mora.
Ludendus ſic ſemicaper, ſic hircus adulter,
Fallendi tacitas vult amor eſſe vias.

De ſuo ab vrbe diſceſſu.

Lætus eram & blandi captabam munera amoris
Et mihi delitias Roma ſuperba dabat:
Cum duce Ranuto Romana palatia cogor
Et dominæ amplexus deſeruiſſe meæ.
Perq; niues, perq; aſpra gelu iuga currere cano,
Et permutatis ſubdere calcar equis.
Cauſſa potens iuuenem mouit, namq; illius aures
Nuntius attonitas percutit horribilis.
Fratrem vno, & fratris grauiter languere maritã
Tempore, & occultum virus vtriq; datum.
Surgit & arreptis nocturno tempore loris
Iam conſcendit equum, iam celeramus iter:
Deſeritur Tyberis, Nar linquitur, arua voramus,
Clitumnus placidis quæ rigat albus aquis.
Per Thanain ferimur, conſcendimus Appenninũ,
Luceolos curſu vincere cura fuit.
Raditur hinc præceps ſaxoſi ripa Metauri
Tenditur ad ripas flaue Piſaure tuas.
Tranantur Rubiconis aquæ, fora peruia Liui,
Et fora Corneli poſt cita terga damus:
Ad vada prouehimur ſtagnantis lubrica Rheni,
Cœnoſum Mutinæ vix ſuperamus iter:
Vrbeq; præterita Lepidi de nomine, tandem
Te petimus dura Martia Parma via.
Afferimur, paßimq; tulit quæ ſe obuia, fratrem
Coniuge cum carã, viuere turba refert:

Vimque omnem ſæui ſumpto cecidiſſe veneni
Antidoto, & vana toxica miſta manu.
Heu mihi cui liceat tantum ſcelus, addere crimen
Criminibus, nullos eſſe putare Deos:
Non ſatis eſt ſpoliare ſacris delubra deorum,
Cura ſed iniecta eſt illa, cremare faces?
Ingredimur, Parmamq́; foro plaudente ſubimus,
Et caro dextras iungimus hoſpitio.
Illo forte die fratri ceſſura cubanti
Febris erat, viſo frigida fratre fugit:
Quis tenuit lacrymas ſpectando mutua fratrum
Gaudia, & amplexus, & ſine voce ſonos?
Tota domus reboat lætanti plena tumultu,
Ranuti aduentum concaua tecta ſonant.
Lætitia ante alios exultat filia magni
Cæſaris, attollens vix malè ſana caput:
Fratris ope allata, certámque ſecura ſalutem
Sperat adeſſe viro, ſperat adeſſe ſibi:
Verùm hilari qua fronte ſolet Ranutus vtrunque
Ne timeant, animis fortibus eſſe iubet:
Quicquid opis medicæ, quicquid res poſtulat artis,
Expedit, & ſumma cum pietate calet.
Vtque ambos ſeruent longæ per tempora vitæ
Incolumes, diuûm numina magna rogat.
Eia, agite illuſtres animæ dignæ altius almum
Caſibus humanis exeruiſſe caput.
Viuite, præſtanteſq́; animos, viréſque valentes
Sumite, voſq́; altis tollite verticibus.
Tuq́; prior, tu ſurge toro fortiſſima coniunx,

Ipſe tuus te vir ſoſpite, ſoſpes erit.
Tunc natus tremulo dulciſſimus atria riſu
Complebitque ſuis mollibus ampla iocis.
Nunc mœret, queritur, ſubtriſtis obambulat, & flet,
Nec ſcit cur lacrymas ſundat ab ore puer:
Hinc ego lætitia ſublatus ad æthera pangam
Carmina, non vobis, non malè grata deis.
Tu vero quid flamma facis mea? fallis amantem
Læta dolis? noſtri cura nec vlla ſubit?
An promiſſa fides manet incorrupta? ſacrámque
Caſta pudicitiam ſeruat Himera domus?
Sta rogo promiſſis, adero, fera bella mouentur,
Quæ mihi ſunt celeri diffugienda pede.
Et tecum & Romæ certũ eſt mihi viuere Himera,
Inq; tuo vitæ ſoluere fila ſinu.

Ad Himeram.

Nupſiſti tandem, mentiq; expleta libido eſt
Dira tuæ, & Moſco candida Himera data es:
Nec mea crudelis (pro dij) ſuſpiria curas,
Nec lacrymas madidis quas damus vſq; genis:
Iuraras me velle loco fratrisq; viríque,
Nec ſi te peteret nubere velle Ioui:
Hæc promiſſa fides? hæc noſtri fœdera lecti?
Siccine credenti tot bona dicta dabas?
Ah iuuet a cara diſcedere protinus vrbe,
Et te Tibri pater deſeruiſſe iuuet.
Hic maneat Moſcus, quẽ diligit improba Himera,

Cuique ſuum fallax ornat Himera caput.
Quid mihi cum ſeptem pulcræ nunc collibus vrbis?
Quid mihi cum muris Romule magne tuis?
Scilicet vt ſpectem viridanti limina myrto,
Sparſaq; odoratis tecta ſuperba roſis?
Et videam in niuea quam ſit palláue rubenti,
Quámve coronatis conſpicienda comis?
Non animus nobis tantum ſpectare dolorem,
Et perferre noui parta trophæa viri:
Ibo ego per ſaltus, per inhoſpita littora Ponti,
Luſtraq; & inculti vaſta per antra ſoli:
Hic & facta querar triſtis tua, & alloquar auras
Solus & vt pœnas des mihi, vota dabo.
Non tamen vt fias deformis Himera rogabo,
Vtq; artus macies occupet atra tuos.
Te nec vt inuadat pallentem turpis egeſtas,
Vtq: tuas rapidus deuoret ignis opes:
Sed deſiderium vt noſtri te tangat amoris,
Vt ſubeant animo baſia noſtra tuo:
Diſpliceantq; tibi mores & facta mariti,
Nec poſsis olidi tædia ferre capri:
Diua Erycina damus cui maſcula tura tot annos,
Quæ facili votis annuis aure meis,
Igne vides quanto me perfida Himera perurat,
Quo foueat Moſcum mollis amore ſuum:
Tu nos alma tuo vinxiſti rete receptos,
Atque erat in laqueis lætus vterque tuis.
Vincla illæſa mihi tua ſunt Dea magna Cytheris,
Fœdera cum vinclis rupit & illa fidem:

Fac

Fac Dea quæ nunc his inita eſt concordia, qui nũc
Mutuus eſt paruo tempore duret amor.
Fac odiis certent, ſere lites, iurgia necte,
Illam non vir amet non amet illa virum:
Tunc ego victor ero tunc noſtri cura ſubibit,
Méque erit huic ingens deſeruiſſe dolor:
Quod ſi etiam perges miſerum me prorſus Himera
Deſpicere & Moſcus iam tibi carus erit:
Quo tendat mihi monſtrat iter Pelopeus Oreſtes,
Exemplum a magno ſumere Oreſte licet:
Hermionem toto quam pectore amabat Oreſtes,
Vxorem duxit Pyrrhus Achilleïdes:
Impatiens iræ Pelopeius, arma capeſſit,
Et Pyrrhum abducta perdidit Hermione:
Si nec amare velis, nec Himera immitis amari,
Aggrediar Moſchi fortiter enſe latus:
Sed potius placide iuncti flagremus amore,
Qui rogo non obitus deſinat ante meos:
Ipſa Venus thalamo Vulcani ſæpe relicto,
Ibat ad Anchiſæ nocte ſilente thorum:
Tithoni amplexu depulſa aurora, petebat
Aeolidæ Cephali brachia lenta ſui:
Tu quoq; de veteri magnarum more Dearum,
Curre, age, in amplexus dulcis Himera meos.

Ad Leuciam.

Quo magis inſidias placidi vitamus amoris,
Hoc magis inſidiis nos petit acer amor:

Ille tuis latitet cum Leucia blandus ocellis,
In me mille iacit ſpicula, mille faces.
Ah vicit, lætorq́; dolis deluſus opertis,
Magna tua eſt facti gloria nulla Dei.

Ad Leuciam.

Floribus intextam variis tibi mitto corollam,
Quos auida legi picta per arua manu:
Sunt nigræ violæ, ſunt lilia candida, ſunt &
Purpureæ gelido non ſine rore roſæ:
Sperne tamē cuncta hæc, mea Leucia, ſcinde coronā,
Lilia tu terris, tu roſa, tu viola es.

De amore ad Ianum Vitalem.

Me iaculis pete, me flammis, me Iane ſagittis,
Et me præcipitem mitte, vel in pelagus.
Ante ſuo quam ſæuus amor me vulneret arcu,
Illo Iane, nihil ſæuius eſſe poteſt.

De Leucia.

Pulcra manus Hebe, Iuno vlnas, Cynthia ocellos,
Ora Venus, pectus vertice nata Iouis:
Vt faciem videre meæ, formamq́; puellæ,
Qua non in terris altera pulcra magis,
Hebe optat digitos, pectus ſibi Pallas, ocellos
Cynthia, Iuno vlnas, illius ora Venus.

In ſtatuam Veneris.

Vnde decus tantum ſaxo? quis nam indidit ipſam
Saxo animam? e cælo quis tulit huc Venerem?
Praxitelis fecere manus: illuſtris olympus
Ater erit, terras ſi colet alma Venus.

Aliud.

Egregiam pulcræ Veneris formam aſpice, dices
Laudo equidem ſani iudicium Paridis.

Aliud.

Marmoreã aſpiciens Venerẽ Venus, & tamen auſæ
Sunt certamen (ait) mecum iniſſe duæ.

Aliud.

Te Venus vt Iuno & Pallas videre, querentes
De Paride, exclamant, immeritò querimur.

De ſeipſo.

Me ſine Romulides nymphæ duxere choreas,
Nam neſcire choros ducere faſſus eram:
Sed qui non duxi choreas, ſuſpiria duxi,
Et quem non duxit tibia, duxit amor.

De Leucia ad Hannibalem Carum.

Me bene nolle meæ iuraram Care puellæ,
Extinctaſq; mei pectoris eſſe faces.
Ilicet hæc acri pallet concuſſa dolore,
Et ſtupet, & largis fletibus ora rigat.
Improbe amor, dextra ardebam quã perdere, perdit
Me fletu & lacrymis illa repente ſuis:
Flēti ego dum lacrymas abſtergo, atque oſcula figo,
Illius in gremio decidi & interij.

Ad Leuciam.

Quòd dederim tibi cana hyeme violaſq; roſaſq;
Res noua res mira eſt Leucia viſa tibi.
Deſine mirari, Latio violæq; roſæq;
Sæuæ etiam brumæ tempore proueniũnt:
Res noua res mira eſt hac tempeſtate, vireſcunt
Quòd tot in ore tuo lilia miſta roſis.

Ad Gyrenem.

Ornatas auro geris aures blanda Gyrene,
Pulcrior ante alias vt videare procis:
Improba blanditiis præſtas, auro allicis aurum,
Et componis opes artibus auriferis:
At noſtrum allicias ne voce, & inauribus aurum,
Auribus obducam cerea clauſtra meis.

Ad Leuciam.

Leucia ſcis quoties fuerint mihi prælia tecum,
Pax quoties, & quàm nos agitarit amor:
Sæpe fui victor, ſum victus, ſæpe dediſti
Et mihi ſæpe manus, & tibi ſæpe dedi.
Verum poſthabitis cum me delegeris vnum,
Omnibus, æternum tu mihi numen eris.

De Leucia.

Iane coronatæ venêre ad templa Calendis
Et mea, & Æmilij cara puella tuis:
Tabuit extemplo quam fronte corona gerebat,
Næuia, turpis erat cui comà, turpe caput:
Quæ vero cinxit ſua tempora pulcrior auro
Leucia, viſa fuit flore nitere nouo:
Leucia tu viridi iucunda corona coronæ es,
Hinc vigor vſque tuis perſtat honóſque roſis,

De Lyſæ gemma dono data Aloyſio Gonzagæ.

Hæc ego crediderim formoſæ lumina Lyſæ?
An vulgo artificis munere facta putem?
Tam ſimiles oculis oculi ſunt illius iſtis,
Quam nitidis cæli ſidera ſideribus:
Sic fulgere mihi ſic arridere videntur,

Talis ineſt illis gratia, tantus honos:
Ah fallor, ſic vno ardent, ſic torua tuentur,
Tantus in his rigor eſt, tale ſupercilium:
Hi dominæ ſunt veri oculi, nil verius ipſis:
Ipſi adeo nec flent, me neque flere vident.
Quã bene de lapide hæc miſit mihi lumina cũ ſint
Lumina & ipſa mihi dura magis lapide.

Aliud.

Non aliter Perſeus, poſtquam abſcidit ora Meduſæ,
Maior & in lato clarior orbe fuit:
Quam tu nunc Gonzaga, geris qui lumina Lyſæ
Quæ pulcra eſt ipſa Gorgone pulcra magis:
Quin plus laudis habes, ſomno nanque ille ſepultæ
Abſtulit auxilio Palladis enſe caput.
Hæc virtute tua, & præſtanti pectore capta,
Meq; meóſque oculos tu tibi dixit, habe.

De Leucia.

Nox erat & mihi cum domina prope Tibridis vndas,
Rixa erat & terris lumina Luna dabat.
Quid facis exclamat Tibris pater? aſpice Lunam,
Pulcra magis Luna Leucia ſtulte tua eſt.

Ad Hier. Theodulum.

Quo male ſuæe fugis, tendiſq; Theodule? Romã

Tempore quo ſæuus Sirius ardet abis?
Verte fugam, caræ linquis ſi mœnia Romæ,
Non tua ſollicitus pectora linquet amor:
Non ſi etiam Gades tua regna per humida adibis
Aequora, poſſeſſum deſerit ille latus:
Quin ſero quamuis redeuntem, fortius vret
Improbus: & dicet, ſic tibi turba leuis?
I pete nunc Latium & latebras, amor acer amœno
In Latio, in latebris, & latet in latere.

Ad Leuciam.

Qui ſomnos faciles carpere non poteſt,
Cui non grata domus, ſed grauis eſt ſua,
Fas eſt otia quærat,
Fas eſt qua iuuat ambulet.
Hinc ad te celeres Leucia me pedes
Perducunt toties noctibus horridis:
Nocte heu quam bene laudes
Heſterna cecini tuas.
Vtq; admittar o improba quas preces,
Non fudi miſeras flebilibus modis?
Me quiſq; eſt miſeratus
Qui me proximus audijt:
Non tu. quod ſi aliquis tecum erat (vt puto)
Me appello miſerum, ſin viduo in toro
Sola & ſurda cubabas,
Lætor: pande fores dea.

De Leucia.

Eſt ſoror, eſt frater, pater eſt & mater amicæ,
Virq́; meæ, qua nihil pulcrius orbis habet:
Leucia non horum per nomina, ſed mea iurat,
Vtpote quæ præfert me ſine fraude ſuis:
Aſt ego non tantum coniunctis ſanguine, ſed diis
(Sit fas) poſthabitis, te dea magna colam.

De eadem.

Nudus eram & niueis me nuda amplexa lacertis
Leucia, anhelanti baſia blanda dabat.
Obſtupui decus aſpiciens, formamq́; puellæ,
Et dare delitias eſt mihi viſa Venus:
Cui dixi merito exultans: mihi pulcer Adonis
Cedat, & Aeneæ tu mihi cede pater.

In Cinnam.

Conquereris quod bis puerum te Cinna vocarim,
Ingenio tanquam ſis puer atque rudis:
Non equidem ratione ſenex hac improbe dixi,
Hac etenim ſemper viſus es eſſe puer:
Bis puerum dixi, quod des annoſus, vt olim
Nunc quoque ſulcandas fœde cinæde nates.

Ad Leuciam.

Quæ nocte fulgent lucida ſidera,
Et Luna vultu ſplendida candido
Terram & plagas cæli ſerenat,
Leucia, Luna, meumq́; ſidus.
Vobis voluptas non minima eſt, leues
Audire cantus, ſub Ioue frigido
Quos ore facundo vſque amantes
Non ſine dant fidibus canoris.
En profer alta de ſpecula caput,
Aurésque pronas arrige, ſenties
Quæ pruriant, quæ ſit faceto
Sparſa ioco & tenero lepôre.
Armatus ad te cum cithara & lyra
Et barbito, & cum carminibus nouis,
Me confero, Ciſſa inuidebit:
Anna premet tacitum dolorem.
Quas comparari ſe tibi non pudet:
Eia Lycota, Lide, Dinotete;
Dum Leuciam canto, huc adeſte,
Vósque ſonora mouete plectra.

Ad eandem.

Mobilitas animi ſumma eſt tibi Leucia, verum
Nobilitas formæ Leucia ſumma tibi eſt:
Dicam igitur, ſed pace tua, te Leucia non eſt

Altera nobilior, altera mobilior.

De Fruſinone, ad Leuciam.

Leucia me retinent colles Fruſinonis amœni,
Me campi dulces, & Fruſinonis aquæ:
Nec me Roma mouet, nec tu: te quiſque fruatur,
Dum gelido liceat me Fruſinone frui.

Ad Paulum Philonardum.

Anna datur Priſco: miſeret me Paule puellas
Cum ſene nupta, nec eſt nupta, nec (heu) vidua eſt.

De Leucia ad Iulium Landum.

Quid faciem formámque meæ laudéſque puellæ,
Vt lepido celebrem carmine laude mones?
Forſitan inuenies benè qui mortalia laudet,
Sed bene qui cantet numina, nullus erit.

De Leucia ægrotante.

Febre laborabat mea Leucia, febris anhelam
Cogebat gelidi poſcere fontis aquas:
Has ego, ne miſeræ afficerent dare poſſe negaui,
Grataq; feruenti pocula nulla dabam:
Sed lacrymis ſuffuſa genas cum ſæpius amnes

Poſceret impatiens laſſa puella ſitis:
Et flens ipſe, petis dixi quid fluminis vndas?
Has bibe quas largo lumine do lacrymas:

De obitu Leuciæ.

Quem tumulum ſpectas humilẽ ne ſperne viator,
Exigui non eſt numinis hic tumulus.
Huc ades, & manibus violas, & lilia plenis
Da tumulo, tumulis munera danda ſacris:
Hic vna integitur Charitum, ſi credere durum eſt:
Aſpice nanque duæ ſunt reliquæ in lacrymis.

Aliud.

Morte tua doleo tantum mea Leucia, quantum
Non dolet ipſa parens, non dolet ipſa ſoror:
Nanque parens natam deflet, germana ſororem:
Nata, ſororq; mihi, tu mihi mater eras.

Aliud.

Quas tibi ſæpe fero inferias, quæ dona quotannis
Leucia, pallentes ſunt violæ & lacrymæ.
Delitiis violas ſpargo pro mollibus, & cum
Reddere non poſſim gaudia, do lacrymas.

Aliud.

Delitias inter molles, luſuſq́; iocoſq́;,
Ex oculis miſero Leucia adempta mihi eſt:
Non ego morte puto raptam, Proſerpina Pluto
Aut Europa tibi Iuppiter illa fuit.

Aliud.

Non mihi te frater, non vir, materue, parterue,
Eripere & centum non potuere proci:
Sed quæ ſola poteſt mihi te mors abſtulit, at mors
Non potis eſt, ne ſis mortua viua mihi:
Noctes atque dies mecum vna agis, vna diéque
Ac noctu luſus delitiáſque facis:
Sis felix, cui viua pari mea Leucia amore
Viuebas, viues mortua, viuet amor.

In ſtatuam Veneris dormientis, ad Rodulphum Pium Card cognomento Carpum.

Mars Venerem vt vidit carpentem in gramine
ſomnos,
Feſtinat lateri iungere poſſe latus.
Accubat, at ſaxo vt ſenſit ſe vana dediſſe
Oſcula, deluſus riſit, & erubuit.

Aliud.

Excutere inſtabat Veneri de pectore ſomnum,
Diuûm cœtus egens artis opiſque dea:
Cùm non ipſe etiam ductam de marmore matrem
Eſſe videns, nemo ſuſcitet, inquit Amor:
Abſtinuere omnes, decepti marmore, credam
Vt quandóque oculos non habuiſſe Deos.

Aliud.

Captus amore nouo Gnydia de gente vir olim,
Marmoream Venerem nocte proteruus init:
Carpe tuam, caue ne Venerem magis ore nitentem
Romanus medio tentet inire die.

Aliud.

Oppreſſam Venerem ſomno, ſolámque iacentem
Viderat ad murmur lene Priapus aquæ:
Cùm dixit, nunc vector ero, Venus improba ſola eſt.
Hic neque Sileni vector aſellus adeſt:
Hinc adit, & Venerem aggreditur tentigine ru-
ptus:
Verum vbi ſe vidit ſaxum iniјſſe, pudet:
Et nunc ſaxa obſtant, obſtant nunc, clamat aſelli,
Ah me Amor, ah quantis ludis imaginibus?

Aliud.

Aura veni, Venus alma dedit per membra quietem
Dum Venerem ſomnus detinet, aura veni,
Ne ſine, quòd Venerem præter quæ labitur vnda,
Forte tuo currat murmure blanda magis.
Quin propera flatus Veneris quæ ſpirat ab ore,
Plus tibi ſuauis erit, quam tuus aura deæ.

Aliud.

In te hominum quod tãtus amor Rodulphe, deúmque eſt,
Non iam cauſſa latet, ſcimus: habes Venerem.

In Effigiem Cypriç puellæ.

Vt Cypriam vidit pictam nomenq; tabellæ
Inſcriptum, dixit diua repente Venus:
Picturæ quid pictor opus fuit addere nomen,
Non mea me notum ſola facit facies?

Aliud.

Quid tibi Mars mecum eſt? non ſum Venus, aſpice non ſum:
Nomen ego & formam tãtum habeo Veneris.

In Velliam Luſitanam.

Vellia quæ rigidis cunctorum, vellera vellis
Vnguibus, & vulſo de grege condis opes.
Me quoq; (inauulſum ne quid ſcelerata relinquas)
Sacrilega incumbis vellere velle manu?
Falleris: a me vnum non villum Vellia velles,
Vilior es rudibus tu mihi velleribus.

Aliud.

Hanc fuge quiſquis ames, vnco non Vellia tantum
Vngue, ſed effræno vellicet ore procos.

Aliud.

Vale puella defututa millibus,
Patensq; cum ioco & lepôre cuilibet
Facillimè, vel hic vel ille te petat
Ineptus, aſt identidem omnium lupa,
Acerba peſtis omnium, omnium lues,
Vale, deis bene adiuuantibus, calor
Et ignis ille Vellia occidit meus,
Nec amplius caleſcet vnquam, aquarum enim
Ego attigi, bibiq; Leucados ſatis:
Prius ſceleſta non abiſſe me piget,
Piget me amaſſe tandiu, & nimis pudet:
Vale puella defututa millibus.

Aliud.

Ad templum & ſacræ celebrãda ad ſacra Mineruæ
Seſe ferre ſuam Vellia dixit auem:
Non tamen ad caſtæ ſe contulit oſtia diuæ
Improba, ſed lenæ limina turpis adit:
Illi igitur nimium debes quæ numine læſo
Palladis, obſeruat, magne Priape, tuum.

De Himera.

Intentata mihi via cum non vlla fuiſſet,
Qua poſſem dominæ vincere duriciem:
Nec precibus nec miſta minis me dona iuuarent,
Effudi lacrymas illius ante pedes.
Fregerunt lacrymæ duræ fera pectora Himeræ,
Et ceßit lacrymis victa puella meis.
In ſolis igitur lacrymis ſpem ponite amantes:
In lacrymis ingens vísque ſalusq; latet.

In Effigiem Himeræ ad Auguſtum Coccejanum.

Iuſſu Auguſte meo meos amores
Vmber tam bene pinxit Hadrianus,
Vt me muneribus ſuis bearit.
Mihi tantum erat vna Himera nuper,
Nec ſemper cupido frui licebat:

Nunc eſt altera munere Hadriani,
Viua & pulcra manus genas comáſque,
Formámque alterius ferens decúſque.
Quæ noctes hilari dieſq; vultu
Mecum ducit, & aſsidet loquenti,
Cui do baſia, baſiationes
Danti arridet, & accubat cubanti.
Quare me nimis & nimis fatendum
Debere artifici pio proboq;:
Nunc ſum ditior, vna Himera deerit
Si quando mihi, ad alteram recurram.

De connubio Victoriæ Farneſiæ.

QVam Roma ante alias gaudet peperiſſe puellas,
Virgo datur regi magne Metaure tuo.
Romanúmque tenet nomen victoria, vincit
Quæ forma Venerem, Pallada conſilio.
Ille igitur felix coniunx, victoria ſemper,
Cui fauet, & ſemper quem Dea magna fouet.

AD ANT. FRANC. RAINE-
rium de legibus Nuptialibus.

Quis o quis autor primus extitit legum
Duriſsimarum nuptialium? primus
Quis tam ſeuerus lator? ille veſanus
Fuitq; prorſus ante ceteros demens:

Non constitutæ ſunt eæ quidem rectè.
Felicem oportebat hominem Raineri.
Quam plurimas habere coniuges poſſe,
Expellere vt malam e ſuis foras tectis,
Tenere verò prouidus bonam poſſet:
Nunc quando ad vnam res redacta ſit tantum,
Viri periclitantur admodum, vxorem
cum quiſq; paßim ducat, inſcius morum:
Præſtent vide quàm Barbari, quod his plures
Sint coniuges: hæ ſemper inuicem certant
Viro placere & obſequi, atque honeſtate
præſtare: vir dominatur, imperátque vnus,
Nullo labore vxoribus licet centum.

Ad Himeram.

Vt ſurgens aurora fauet mortalibus ægris,
Sic mihi fulſit amor primus Himera tuus:
Vtq; die torret medio Sol igneus orbem,
Sic mea nunc ſæuus pectora torret amor:
Vt demum extinguit rapidos nox atra calores,
Sic fera mors ignes auferet vna meos.

De diſceſſu Liuiæ ab vrbe.

Quæritis vnde cadant alieno tempore nimbi,
Vnde tot effuſis Roma redundet aquis?
Liuia diſceßit, colléſq; ſuperba Quirini
Liquit, amatorum cura nec vlla ſubit:

Hinc lacrymæ & luctus miſerorum, & fletus amantum
Demergunt toties vrbis vtrunq; forum.
Quin ego perpetuam timeo per ſecula noctem,
Secum etenim currus Liuia Solis habet.

Epitaph. Penelopes meretriculæ.

Penelopes tumulum, fractóſque Cupidinis arcus,
Extinctáſque faces aſpice quiſquis ades.
Et lacrymæ, lacrymis extinctæ triſtibus ornant
Et Venus & Charites, funera Penelopes.

De Polluce.

Immenſas tolerare moras Vallëia virgo
Cum non poſſet amans, fugit ab vrbe, tuus:
Verum vbi per nemora & valles, & littora & amnes
Errantem nunquam deſeruiſſet amor:
Auræ, ait, o volucres ferte hæc ſuſpiria Romam,
Et miſerum in dura dicite valle mori.

De Himera.

Pectora nuda meæ poſtquam conſpexit Himeræ,
Cum Iunone Iouis vertice nata Dea:
Ne videamur, ait, Paridis ſententia nota eſt:
Vinci rurſus, erit turpius opprobrium.

Ad Himeram.

Quacunque incedis paßim pulcerrima Himera,
In te oculos hominum vertis, & ora Deûm:
Ille hominum verò, & lætißimus ille Deorum eſt.
Tu ſemel in quo oculos figis Himera tuos.

DE LIVIA COLVMNA oculis capta.

Geſtabat ſine luce faces, fractáſque ſagittas,
Mæſtus Amor: cur hoc? obuia mater ait:
Cui puer: alma parens mihi cùm de more libebat
Vrere mortales vrere cælicolas:
Vnius ex oculis accendere vtraſq; ſolebam
Lampadas, & certa tendere tela manu:
Nunc quoniam capta eſt oculis mea Liuia, vis eſt
Ignibus & calamis omnis adempta meis.

ALIVD.

Ardentes animæ, quæ caſtra Eyrcina tenetis,
Lugete & madidos imbre rigate ſinus:
Quis teneat lacrymas? oculis nunc Liuia capta eſt,
Queis homines, & queis ceperat illa Deos.

ALIVD.

Vt nox nube caua texit tua lumina, ducens

Ex imo gemitum pectore, duxit Amor:
Sola meæ vires, mea gloria Liuia pulcris
Pulcra oculis orba eſt, orbus & orbis erit.

ALIVD.

Flebat Amor, ſtabátque Venus, lacrymáſque ciebant,
Cùm quæ ſit luctus cauſa Minerua rogat:
Tu quoque fle mecum ſoror, & vos flete Camœnæ,
Et cultæ Charites, aurea Cypris ait:
Quæ noſtrum decus in terris, quæ noſtra manebat
Gloria, nunc capta eſt Liuia luminibus.

ALIVD.

Ante alias forma pulcerrima Liuia Nymphas,
Ipſa eſt in terris inſidioſa Venus:
Quòd ſit capta oculis caueat ſibi quiſq;, Cupido
Cæcus erat tantum, nunc quoq; cæca Venus.

ALIVD.

Mos duci canibus cæcos per ſtrata viarum eſt,
Cúmque oculis nuper Liuia capta foret:
Eſt data languenti Melitæa catella puellæ,
Omine quæ triſti tacta, repente refert:
Quam bene conueniunt noſtræ tua munera vitæ,
Iam cane cæcæ opus eſt, Didace, grata canis.

Aliud.

Ter tibi dũ venas ferit ægra columna Machaon
Sanguinis & riui fluminis inſtar eunt:
Quid facis exclamat vultu pallente Cupido,
Siſte manum, non eſt Iphigenia, Dea eſt.

De luce eiuſdem oculis reſtituta.

Læta erat vt ſenſit tua lumina mater Eoi
Memnonis obſcura Liuia nocte premi:
Non tulit inuidia flagrantem Phœbus, ocellis
Non medica lucem reddidit arte tuis:
Atque ait: vna diem mihi Liuia nunciet, vna
Qua ſit iter noſtris Liuia monſtret equis.

Aliud.

Improbe Amor, tu lucis egens orbaſſe putabas
Ipſam etiam matrem? falleris, ecce videt.

Aliud.

Quicquid tibi tuíſque ocellis vidimus
Mali accidiſſe, ne deorum aut ætheris
Ira fuiſſe ſuſpicari te velim
Columna noſtri ſeculi clarum decus.
Te curua Pronome, edentula & procax male

Ventana vetula faſcinauit, vt genas
Tuas tueq́; frontis aſpexit iubar,
Ipſáque forma te anteire Naiades.
Quin ſaga, vt oculos habuit in ſuis tuos
Cæli quidem ſideribus aureis pares,
Repente reddidit hebetes veneſita.
Quòd nube nunc abeunte, lumen lumina
Suum reſumant, effici ſcito mea
Prorſus opera, nam peſſima ni faſcinum
Horrenda ni mox deſtruet cantamina,
Interminatus cum ſecuribus feris,
Faſceſq́;, fuſtéſq́;, horridámq́; ſum necem,
Hinc me daturum protinus te ſoſpite
Pollicitus equidem aranda ad eius viſcera,
Suffarcinata ſum pedale faſcinum.
Sceleſta turpi cum cachinno tuſſiens,
Erexit ad verba tremulum ſtatim caput,
Et ſpem futura lucis annuens dedit.

De Himera.

Spectatum innumeri accurrunt decus oris Himera,
Seu ſacra templa ſubit, ſeu redit illa domum:
Hæc ouat, & curru fertur laudata ſuperbo,
Nec me nec magnos æſtimat eſſe Deos:
Hei mihi, me perdit populi concurſus, Himera
Viue domi, & tu gens ſiſte proterua pedem.

Ad Felicem Vrſinam.

Quod forma, quod ſis opibus, quod ſanguine felix,
Iure datum Felix hoc tibi nomen habes.
Iure etiam ante alios vir feliciſſimus ille eſt:
Cui fas felici coniuge poſſe frui.

De Himera.

Siue ſedet, ſiue incedit, ſeu fatur Himera,
Quicquid agit Veneres ſecum habet & Charites.
Sed cùm dat tremulos lætanti pectore riſus,
Ridet & alma Charis, Ridet & alma Venus.

In laudem Ioannis Bapt. Saluiati.

Corporis egregij formam, vultúſque nitentis,
Vt videre decus, dijq; deæq; tuum:
Exarſere omnes: calet hic, illa æſtuat: adſunt
Blanditiæ, dantur munera, feruet amor:
Felix Iane, potes tua ſi bona noſcere, magnum eſt
Ius tibi: te poſcunt numina, terra colit.

Aliud.

Atticus ille puer dulcis fuit ore venuſto,
Cuius in os liquidum, mel vaga fudit apis:

Iane puer puero longe tu dulcior illo es:
Sedula ab ore tuo mel ſibi ſumit apis.

Aliud.

Vt vidit te Iane Venus, mirata lepôrem,
Et magis in roſeo quod nitet ore decus:
Quis puer hic, inquit, noſtrũ qui præſtat Adonin.
Abſit Adonis, ades tu mihi, Adonis eris.

Aliud.

Ardebat te Iane Venus ſed amore Lupillæ
Audijt vt captum te dea, triſtis ait:
Tu victrix, tuus eſt Ianus: tibi cedo Lupilla,
Romulea præſtant ſemper in vrbe lupæ.

Ad Martiam.

Martia vere nouo formoſior, arua colorant
Cùm violæ, & blandis lilia miſta roſis:
Poſſe frui da vere tuo: laus nulla liguſtris,
Cùm cecidere ſuis lapſa cacuminibus.

Ad Iuliam Columnam.

Spina pedem Veneri pupugit, tibi Liuia dextram
Effuſúſque cruor tinxit vterque ſolum.
Ex alba rubram ille roſam: tuus iſte Columna

Purpurea e niueis lilia tacta facit,
Iure igitur tam tu Veneris me iudice præſtas,
Quàm præſtant pulcris lilia pulcra roſis.

De Himera.

Sole comas, vt ſæpe ſolet, ſiccabat Himera,
Sol fulgore comæ tactus & oris, ait:
Conde comas, auerte oculos pulcerrima Himera
Spicula ſunt oculi, retia torta comæ.

De Himera.

Mane erat, & mecum qua ſe ducebat Himera,
Nondum flos hortis editus vllus erat:
Cum tremulos alacri riſus dedit ore puella,
Suſtulit ad riſum Caltha, Thymúſque caput:
Narciſsi riſere, ſimul riſere hyacinthi,
Ridentéſque comas explicuere roſæ:
Solo igitur ſi prata facit florentia riſu,
Oſcula cui dederit, dijs facit illa parem.

In næuum Himeræ.

Non procul a mento niueũ pulcerrima Himera
Næuum habet, & pulcro næuus in ore decet
Nec macula eſt, picea inſignis nigredine næuus,
Sed lumen, tanquam ſidus in arce Iouis:
Lucifer eſt igitur merito mihi næuus Himeræ:
Tuq; aurora mihi, tu mihi Himera dea es.

Aliud.

Neſcio quis de plebe hominum dānarat Himera
Quem pulcrum næuum vidit in ore tuum.
Irridens, ſalis eſſe nihil, nihil eſſe leporis
In facie næuo quæ caret, inquit amor.

Aliud.

Iſte tuus quàm ſit tibi næuus Himera decori,
Accipe: ſponte ſua næuus in ore tuo eſt:
Vt ſimilem vero næuum ferat, omnis aduret
Igne ſibi & ferro culta puella genas:
Cúmque labore graui curant decus addere formæ:
Quæ ſpecie vera non nitet, arte nitet.

Aliud.

Oſcula libaram dominæ, verum ore relicto
Hærebam & næuo baſia preſſa dabam:
In næuo furtiuus amor fruticante latebat,
Hinc meritò torret me ferus hauſtus amor.

Aliud.

Quod vitio eſt aliis, tibi candida Himera decori,
In næuo Charis eſt, & Venus alma tuo.

Aliud.

Qui næuum mendam eſſe tuo contendit in ore,
Fallitur, & næui neſcit Himera *decus.*
Ipſe tuo, cùm vult magnis dare vulnera diuis,
Quo latet, e næuo ſpicula torquet Amor.

Aliud.

Obuius in terris cùm ſeſe ferret Himera
Blandus Amor, *matrem credidit eſſe ſuam:*
Cùm tamen e næuo quo matris forma carebat,
Non matrem, matri ſed vidit eſſe parem:
Ore meæ mærens exclamat Himera parentis,
Neſcio quid facies hæc tua maius habet.

Aliud.

Tarpeij ſacra templa Iouis mea Himera petebat,
Illius e cælo Cynthius ora videt.
Inceſſum & formam miratus & ora puellæ,
Aeſtuat, atque nouo carpitur igne Deus.
Palladáque & Venerem & Iunonem conuenit, vtque his
Mortali oſtendit quod decus ore nitet.
Cedite, ait, facie næuoq; inſignis Himera,
Cedite, tres ſuperat pulcrior vna Deas.

De Euphemia Iozola Neapolitana.

DVm mouet inſignis dulces Euphemia cãtus,
Integrat & molli carmina culta ſono:
Siſtit equos Phœbus, medióq; e vertice Olympi,
Miratus liquidæ flumina vocis, ait:
Cedat olor, cedat philomela, huic cedite Muſæ,
Vincit aues, vincit docta puella Deas.

Ad Himeram.

Paluillum caſia farctum coſtóq; roſáq;
Quo caput inclinem mittis Himera mihi:
His ego me aſſidueq; oblecto, & ſuauibus herbis
Sæpius inuoluo méque meúmq; caput:
Sed cum nulla magis mea flamma & ſumma voluptas,
Quàm tua me moueant munera miſſa manu:
Te mihi da facilem, non paſcor odore roſarum,
Suauior iſte tui me capit oris odor.

De Himera.

Capta Tyros Macedum regi laudémq; decuſq;
Attulit, & Thale capta Metelle tibi:
Et tibi Capſa Mari, tibi Cæſar Alexia: verũ
Plus benè parta tulit laudis Himera mihi:
Hi multorum armis adiuti opibúſq; fuere,
Expugnata mihi eſt viribus illa meis.

LVDOVICI AREOSTI.

Epithalamion.

SVrgite, iam ſignum venientis tibia nuptæ
Concinuit procul, ecce venit formoſa iugato
Qualis olore Venus cum Memphim, aut alta cythera
Aut nemus Idaliū, aut Amathuntis tēpla reuiſit,
Cernitis vt circúmq; oculos, circúmq; decorum
Oſq; genáſq; humeróſq; & circū virginis omnem
Laudatam ſpeciem volitet Charis, vtq; ſerenos,
Vibratis leuibus pennis illi afflet honores.
Cernitis vt circum tenerorum luſus amorum
Obſtrepat, vt calathos certent inuergere florum
In comptum dominæ caput, vtq; hic lilia fronti
Componens niueæ, hic immortales Amaranthos
Purpureáſque roſas malis, mirantur eandem
Formam diuerſos florum ſuperare colores.
Cernitis vt iuuenes obducta fronte Latini,
Queis eſt dicta dies reditus, pilenta ſequantur,
Cur non audimus tacita quid voce volutent?
Reddere & argutis meditamur cōmoda dictis?
Sic ad regales thalamos Hymenæa citantes
Blande Hymē, iucunde Hymē, ades o Hymenæe,
Aſpicite Herculeos iuuenes procedere contra

O ſocÿ iam iam numeris certare paratos?
Sic certè haud temerè veniunt, victoria nobis
Difficilis, lætas nam poſcunt carmina mentes,
Nos triſtes, quid enim niſi triſte efferre paramus,
Culmine deiecti tanto, pulcerrima cùm te
Externi inuideant thalami Lucretia nobis,
Dure Hymen, Hymenæe piis inuiſe Latinis.
Aſpicite Auſonios meditata requirere vates,
Victrici qui ſæpe caput preſſere corona.
Quare non facilis ſtat nobis palma ſodales.
Qui prima alterno cantu certamina inimus,
Gloria ſed maior quæ multo parta labore
prouenit, hoc agite, huc animum conuertite, ne qua
Sit mora cum docto deceat ſuccedere cantu.
Blande Hymẽ, iucunde Hymẽ, ades o Hymenæe.
Omnia vertuntur, quæ quõdam maxima Roma
Auſonias inter tantum caput extulit vrbes,
Quantum abies inter graciles annoſa geniſtas
Aut quantum tenues inter vetus Albula riuos,
Seu claris hominum ſtudiis, ſeu mœnibus altis.
Nunc deſerta vacat veteri depreſſa ruina,
Atq; vbi templa Deûm, & Capitolia celſa fuere,
Curiáque, & ſancto ſubſellia trita ſenatu
Flexipedes ſurgunt ederæ, fruticéſq; maligni,
Et turpes præbent latebras ſerpentibus atris.
Eſt leuis hæc iactura tamen, ruat hoc quoq; quicquid
Eſt reliquum, iuuet & nudis habitare ſub antris:
Viuere dum liceat tecum pulcerrima virgo.

Dure Hymen, Hymenæe piis inuiſe Latinis.
Omnia vertuntur, modicis quæ mœnibus olim
Hinc viridi ripa, hinc limoſa obducta palude
Anguſtas capiebat opes Ferraria pauper,
Anguſtaſq; domos, anguſtáq; templa deorum:
Apta tamen tenui populo, tenuique ſenatu,
Finitimas inter tantum nunc eminet vrbes,
Quantum inter Bacchi colles pater Appenninus,
Eridanúſve inter fluuios, quos accipit infra,
Quoſq; ſupra e tota Heſperia Neptunus vterque.
Nunc vbi piſcoſo pellebant gurgite lintrem,
Aut vbi in aprico ſiccabant retia campo,
Regia templa, domus, fora, compita, curia, turres,
Herculeíque decent muri, portæq;, viæq;,
Vixq; ſuo populo ampla potēti, & moribus æquis,
Et paribus ſtudiis generi contendere Martis.
At nullos tantum iactat Ferraria cultus,
Quâm quod te dominam accipiat pulcerrima virgo.
Blādc Hymen, iucūde Hymen, ades o Hymenæe.
Qualis in Ionio magno bacchantibus Auſtris
Nauta, vbi vel Syria, vel Thyna merce grauatā
Illiditq; ratem, ſcopuliſq; relinquit acutis
Naufragus, & multū per cærula voluitur expes,
Nudus & ignota tandem iactatur arena,
Dum vacuam querulis contriſtat fletibus oram
Haud procul informi in limo radiare coruſcam
Intuitur quam vertit atrox ad littora, gemmam,
Tempeſtas, ſeq; illis opibus ſolatur ademptis:

Ecce autem mirantem ignes, rutilúmq; decorem,
Incautúmq; potens manus occupat obuia, & illũ
Dimittit maria implentem, & nemus omne querelis.
Talis Roma diu caſus vbi fleuit iniquos,
Optauítq; dolẽs veterũ decora alta Quiritum:
Dum Vaticano flexiſſet lumina colli,
Te vidit clari ſoboles Lucretia Borgæ:
Pulcro ore, & pulcris æquantem moribus aut quas
Verax fama refert, aut quas ſibi fabula finxit:
Atq; nouo veteres ſolata eſt munere curas.
O ſeptem colles, Tiberis pater, altaq; priſci
Imperij monumenta graues intendite luctus.
Nuper Ateſtini fratres, proceréſque propinqui,
Herculeus iuuenis patria quos miſit ab vrbe,
Quod pulcri fuerat nobis impune tulere,
Externóque decus veſtram vinxere marito.
Dure Hymen, Hymenæe piis inuiſe Latinis.
Vt qui perpetuis viret hortus conſitus vmbris,
Mobilibúſque nitet per quadrua compita riuis,
Laudetur licet Idææ ſub ſidere capræ,
Seu cùm libra oritur, ſeu cùm ſata Sirius vrit:
Eſt tamen egelidos tauro referente tepores
Gratior, erumpunt tum lento e vimine frondes:
Tum pingunt variis, decorántq; coloribus herbas,
Liliáq; violæq;, roſæq;, breuéſque hyacinthi.
Sic quæ regali fulſit Ferraria cultu
Aedibus aut ſacris, aut aucta molibus vrbis,

Aut mage priuatis opibus, lux uq́; decenti,
Vel ſtudiis primum ingenuus iuuenúmq; ſenũq;,
Nunc pulcra eſt, nunc grata magis cùm Borgia tauro
Vecta tuo reſeres auratis cornibus annum.
Vere nouo inſuetos ſummittit terra colores,
Herculeíque nitent natiuis floribus horti,
Arte tibi qua quiſq; valet blanditur honeſta:
Et nos qui teneris Muſas veneramur ab annis,
Alternis lætos numeris canimus Hymenæos.
Blande Hymen, ades o Hymẽ, ades o Hymenæe.
Dure Hymen, Hymenæe piis inuiſe Latinis,
Qui potes e lacrymis miſerorum auferre parentum,
Ardentíque viro trepidam donare puellam.
Et procul a patria longinquas ducere ad oras,
Dure Hymẽ, Hymenæe piis inuiſe Latinis,
Blande Hymẽ, iucunde Hymẽ, ades o Hymenæe,
Qui cupido iuueni cupidam ſociare puellam
Tendis, qui tacitos quæſtus miſeraris amantum:
Qui Nymphã haud pateris viduo tabeſcere lecto,
Longinquáſque vrbes geniali fœdere iungis.
Blande Hymen, iucũde Hymẽ, ades o Hymenæe.
O quondam gratæ pulcro candore puellæ
Quæ Phaëthontei colitis vada conſcia caſus,
Quid Latiæ nuptæ iucundo occurritis ore?
Nec ſenſiſtis vti potioris luminis ortu
Veſter hebet, languétque decor ſpectabilis olim,
Arctos vt Eoo veniente Hyperionis axe.

Dure Hymen, Hymenææ piis inuiſe Latinis.
O longum incultæ, tenuique in honore puellæ
Pinguia quæ colitis teſtantia culta labores
Herculeos, vbi multiplicem Dux inclytus Hydrã
Contudit ignauis fœdantem flexibus agros,
Virginis aduentu Romanæ, exporgite frontem:
Nam pulcra vt rerum facies celatur opaca
In nocte & picea ſordens caligine nullos
Oblectat, torpetq́; alienæ obnoxia culpæ,
Quæ mox cũ thalamo Thitonia ſurgit ab Indo.
Apparet, meritáſque audit clariſſima laudes:
Sic vos ingrata reſides latuiſtis in vmbra
Heroe Herculeo poſt vincula prima tot annos
Cælibe & aurora nunc exoriente Latina
Gratæ eſtis, capitúrque decor non viſilis ante.
Blãde Hymen, iucunde Hymen, ades o Hymenææ.
At vos Romulei vates ne tendite contra:
Iam numeris ſatis eſt luſum: iam tecta ſubimus
Regia nec pigeat concordi dicere cantu,
Blande Hymen, iucũde Hymẽ, ades o Hymenææ.

Ad Petrum Bembum.

Me tacitum perferre meæ peccata puellæ?
Nec mihi riualem penituiſſe pati?
Cur non vt patiárque fodi mea viſcera ferro,
Diſſimulato etiam Bembe dolore iubes?
Quin cor, quin oculóſque meos, quin erue vel ſi
quod,

Carius eſt, ſi quid carius eſſe poteſt.
Deficientem animam quoduis tolerare iubebo:
Dum ſuperet domina me moriente fides.
Obſequiis alius faciles ſibi quærat amores,
Cautius & vitet tetrica verba nece.
Qui ſpectare ſuæ valeat ſecurus amicæ
Non intellecta liuida colla nota.
Quique externa toro minimè veſtigia pendat,
Dum ſibi ſit potior, par ve in amore locus.
Me potius fugiat nullis mollita querelis,
Dum ſimulet reliquos Lydia dura procos.
Parte carere omni malo, quam admittere quemquam,
In partem: cupiat Iupiter, ipſe negem.
Tecum ego mancipiis, menſa, lare veſtibus vtar,
Communi ſed non vtar amice toro.
Cur ea mens mihi ſit, quæris fortaſſe, tuáque
Victum iri facili me ratione putas.
Ah pereat qui in amore poteſt rationibus vti,
Ah pereat qui non perditè amare poteſt.
Quid deceat, quid non, videant quibus integra mens eſt,
Sat mihi, ſat dominam poſſe videre meam.

De Lydia.

Hæc certè Lepidi *ſunt Regia mœnia, ‿ue ſic*
Grata mihi paucos ante fuere dies.
Lydia dum patrios coleret formoſa penates,

Redderet & forma cuncta ſerena ſua.
Nunc vt ab illis immutata quid illius eheu,
Illius amota luce decoris habent?
Illius a cara qui me genitrice, domóque
Tot valuit meſſes detinuiſſe procul.
Tu ſine me tacitus excedere Lydia portis,
Tu ſine me potis es rura videre tua?
Cur comitem me dura negas admittere? cur ve
Sarcina ſum rhedæ viſa oneroſa tuæ?
In tua non adeo peccarem commoda demens,
Arctius vt premerem terga latus ve tuum.
Conductus non deerat equus, non deerat amicus
Iuuiſſet mannis qui mea vota ſuis.
Ipſe pedes validis potui decurrere plantis,
Siue terenda breuis, ſeu via longa fuit.
Ah ego (vita modo ſineres) quàm fortiter irem
Siſteret vt nullus crura citata labor.
Corruptum nec iter hyeme, & pluuialibus auſtris
Feciſſet iuſtas te properante moras.
Sum ſine te biduum, an me vltra patieris abeſſe?
Heu miſerum me, me, queſo, venire iube.
Ecquid habent gelidi montes, & inhoſpita teſqua,
Ecquid habent ſine me deuia rura boni?
Queſo venire iube, placeant tum luſtra ferarum,
Atque feris arces montibus impoſitæ.
Tum placeant ſiluæ, tunc ſint gratiſſima ſaxa:
Dum latus ipſe tegam dúxque comeſque tuum.
Tunc iuuet audaci lepores agitare Lacone,
Cecáque nocturnis ponere vincla lupis.

Inq́; plagas turdum ſtrepitu detrudere edacem,
Et quacúmque hyemis gaudia rure ferunt,
Quæſo venire iube, quod ſi mala murmura vulgi
Ne cieam veniens eſt timor, ipſa redi.

De diuerſis amoribus.

EſT mea nũc Glycere, mea nũc eſt cura Lycoris
Lyda modò meus eſt: eſt modò Phyllis Amor.
Primas Gaura faces renouat, mouet Hybla recentes,
Mox ceſſura igni Gaura, vel Hybla nouo.
Nec mihi diuerſo, nec eodem tempore ſæpe
Centum veſano ſunt in amore ſatis.
Vt ſum ſi placeo, me me ſic vtere virgo,
Seu grata es, ſeu iam grata futura mihi.
Hoc olim ingenio vitales hauſimus auras,
Multa cito vt placeant diſplicitura breui.
Nõ in amore modo mẽs hæc, ſed in omnibus impar
Ipſa ſibi longa non retinenda mora,
Sæpe eadem auroræ roſea ſurgente quadriga
Non eſt, quæ fuerat ſole cadente mihi.
O quot tentatas illa eſt verſata per artes
Feſtiuum impatiens rettulit vnde pedem,
Cùm primum longos poſui de more capillos,
Eſtq́; mihi primum tradita pura toga.
Hæc mihi verboſas ſuaſit perdiſcere leges,
Ampláque clamoſi quærere lucra fori.
Atque eadẽ optatam ſperantem attingere metam,
Non vltra paſſa eſt improba ferre pedem,

Méque ad Parnaſſum vocat, Aoniáq; Aganippē,
Aptáque virgineis mollia prata choris.
Meq; iubet docto vitam perducere cantu,
Per nemora illa auidis non adeunda viris.
Iámque acies, iam facta ducum, iā fortia Martis
Concipit æterna bella canenda tuba.
Ecce iterum malè ſana, inquit, quid inutile tento
Hoc ſtudium, vati præmia nulla manent.
Meq; aulæ cogit dominam tentare potentem
Fortunam obſequio ſeruitióque graui.
Mox vbi pertæſum eſt malè grati principis, illam
Non tulit hic reſides longius ire moras.
Laudat & æratis vt eam ſpectabilis armis,
Et mereamn forti conſpiciendus equo.
Et mihi ſunt aptæ vires, patiénſque laborum
Corpus, & has poſſunt tela decere manus.
Nec mora bellator ſonipes, & cuncta parantur
Inſtrumenta acri commoda militiæ.
Iratúſque pio, celebri ſub principe miles
Expecto horriſonæ martia ſigna tubæ.
Iam neque caſtra placēt, rurſus nec claßica nobis,
Ite procul Getici tela cruenta Dei.
Humanóne trucem fœdabo ſanguine dextram,
Vt meus aßiduo ſub boue creſcat ager?
Vt breue mortis iter ſternam mihi, vt horridus vmbram
Horreat immitem portitor ipſe meam?
Atque aliquis placida aſpiciens a ſede piorum
Me procul Eumenidum verbera ſæua pati.

En qui muſarum liquit grata otia, dicat,
Anxius vt raperet munere Martis opes.
Manibus & ſocijs narret me digna ſubiſſe
Supplicia, haud vlla diminuenda die.
Antra mihi placeant potius, montéſq; ſupini,
Vuidáque irriguis gramina ſemper aquis.
Et Satyros inter celeures Dryadáſq; puellas
Plectra mihi digitos fiſtula labra terat.
Dum vaga mens aliud poſcat, procul eſte Catones,
Eſte, quibus parili vita tenore fluit.
Quos labor angat iter capientes limite certo
Ire ſub inſtabili cuncta nouante polo.
Me mea nobilitas ſenio deducat inerti,
Dum ſtudia haud deſint quæ variata iuuent.
Me miſerum quod in hoc non ſum mutabilis vno,
Quando me aßidua compede vincit amor.
Et nunc Hybla licet, nunc ſit mea cura Lycoris,
Et te Phryna modo, te modo Lyda velim.
Aut Claram aut Glycerem, aut vnam, aut ſæpe ducentas
Deperea, igne tamen perpete ſemper amo.

De Eulalia.

Vt bella, vt blãda, vt lepida, vtq; venuſtula ludit
Eulalia Hiſpanæ filia Paſiphiles.
Vt bene maternos imitatur paruula mores:
Incedit ſpectat, ridet, agit, loquitur.
Omnia vt illa facit tandem: iam fingere nouit,

Et ſibi de tenero quos amet vngue legit.
O bono ſectatrix matris nata, o bona mater,
Tam bene dilecta in quæ inſtituis ſobolem.
Vt tibi quandocúnque obrepat inertior ætas,
Cùm meretrix nequeas viuere, lena queas.

De Veronica.

ES *Veronica ne? an potius verè vnica? quæ me*
Vris, quæ mihi me tam cito ſurpueris.
Vnica nimirum cui ſoli eſt forma, decórque
Gratiáque, & quantũ eſt, & ſalis & Veneris.
Quæq; ſimul caſta es ſimul & pulcerrima ſola
O ſola, o vero nomine digna tuo.

De Glycere & Lycori.

An Glycerem pluris faciam, plurisne Lycorin
Si Cherinte ſcio dicere, diſperеam:
Moribus hæc, atque hæc placet: & placet vtraque cultu,
Párque illis lepor eſt, gratia, párque Venus.
Hanc amo, depereo illam, quin amo depereóque
Vtramque, & rurſus vtráque vita mihi.
Quæres fortaßis, qui poßim: neſcio, tantum
Noui ego, quod geminas ardeo, amo, pereo.

De Iulia.

O rarum formæ decus, o lepidißima verba,

O bene deductum pollice, & ore melos,
An Charitum quarta an Venus altera, an addita Muſis
Eſt decima? an ſimul hæc, Gratia Muſa Venus:
Iulia quin ſola eſt, qua cantu Muſa, lepôre
Gratia, qua longe eſt victa decore Venus.

De Triuultia.

Quod genere & ſenſu præſtes Triuultia multis,
Eſt decus, at decus id pluribus eſſe vides.
Quod prior innumeris tua ſit nullique ſecunda,
Forma, tamen non eſt vnica, rara licet.
Quod ſcis caſta, & ſi non eſt te caſtior vlla,
Tecũ alia, atque alia eſt caſta puella tamen.
Quod docta, atque ſciẽs Muſarum es ſola ſed olim
Deiphobe, & fidicen Lesbia talis erat.
Quod generoſa eadem, diues formoſa pudica,
Doctáque ſis, nulla eſt par tibi, nulla fuit.

De Puella.

Has ne roſas, an te vendes, an vtrúmque puella?
Quæ roſa es, atque inquis vendere velle roſas.

De eadem.

Vendere velle roſas, inquis, cum ſis roſa: quæro,
Tene roſasne velis Virgo an vtrum que dare.

De Venere ſe Armante.

Arma, Venus; Martis ſunt hæc, quid inutile pŏdus,
Mortali bellum ſi meditare, ſubis?
Nil opus eſt ferreo, ferri cùm nuda potentem
Exueris ſpoliis omnibus ipſa Deum.

De puero formoſo.

Exanimum Paphiæ puerum miſerata pheretro
Eheu talis (ait) noſter Adonis erat.

De Megilla.

Illius timidis ſpes ſit amoribus,
Qui formæ comitem ferre ſuperbiam,
Centenámque repulſam
Lèni pectore quiuerit.
Qui ſurdos tulerit tot querimoniis
Poſtes, dum glomerat trux Boreas niues,
Miratúrque ſuam vim
Tantis vincier ignibus.
Qui riualem animo viderit integro
Offenſum, totiens limen amabile
Noctu prætereuntem,
Quod vel iurgia ſpreuerit.
Iras, nequitias, inſtabilem fidem,
Et quicquid dominæ ſæuities tulit,
Illum mater Amorum,
Mater blanda Cupidinum

Tandem audit precibus victa diutius,
Et finem tepidis luctibus imperat,
Dura corda puellæ
Diuino inſiliens pede.
Non oblita facis, quam Cinareius
Exciuit iuuenis, quam Phrygius prope
Idæum Simoënta
Quam Mars bellipotens pater.
Illi fert gremio pleno Amatuntia,
Luſus, illecebras, delicias, iocos,
Riſus, quicquid & almo eſt
Regno dulce Cupidinum.
En me, quem lacrymis, quem miſeris modis
Sæuus ludibrio longum habuit puer,
Spretor Diuûm, hominúmque,
En hac luce beat Venus.
O ſignanda dies, non modo candida
Nota de veteri more Cydonio,
Sed ſacro celebranda
Nobis iugiter annuo.
Lux, qua plena meis, ampláque gaudia,
Commuto lacrymis, quáque laboribus
Munus grande reporto,
O ſolatia ſuauia.
Fallor ne? an placida ſomnus imagine
Ludit me, vt miſeris queſtibus obuiet?
An hæc vera Megilla
Cuius detineor ſinu?
Hæc, hæc vera mea eſt, nil modo fallimur

Mi anceps animule, en ſume cupita iam
Mellita oſcula ſume
Expectata diu bona.

Ad Philiroem.

Quid Galliarum nauibus, aut equis
Paret minatus Carolus aſperi
Furore militis tremendo
Turribus Auſoniis ruinam.
Rurſus quid hoſtis proſpiciat ſibi,
Me nulla tangat cura, ſub arbuto
Iacentem aquæ ad murmur cadentis,
Dum ſegetes Corydona flaua
Diuum fatigant Philiroe meum,
Si mutuum optas, vt mihi ſæpius
Dixiſti amorem, fac corolla
Purpureo variata flore
Amantis vdum circumeat caput,
Quam tu nitenti nexueris manu,
Mecúmque ceſpite hoc recumbens
Ad citharam canito ſuauè.

De Iulia.

Qualem ſcientem carminis, & lyra
Sappho ſonantem molliter aurea,
Expertem amorum, atque integellam
Floris adhuc nimium caduci

Vocauit altis e penetrabilibus
Pubentis agri conſpicuus nitor,
Herbæq; floſculique hiantes
Flatibus egelidis Fauoni.
Mox dithyrambos Aeoliæ impulit
Teſtudini committere ſpiritus
Strepens per altas ilices, &
Murmur aquæ prope defluentis
Qualémue doctam Calliopem modos,
Cui rex Deorum ſiſtere tinnula
Permiſit amnes voce flauæ
Iuppiter ob meritum parentis
Audiuit olim libera cælitum
Iam iam fugatis menſa gigantibus
Manum tonantis & Deorum
Præſidium ad citharam canentem.
Audiui eburno pollice Iuliam
Chordas mouentem Threiiciæ fidis,
Et arte iucundos magiſtra
Ad numerum ſtrepitus citantem.
Et ora vernis æmula floribus
Soluentem acutis vocibus in modum;
Neruóſque vocales decenter
Carminibus ſociantem Etruſcis.
Cantúſque preſſo gutture mobiles
Ducentem ad auras, per tremulas prius
Flexáſque, conciſáſque fauces,
Murmure nunc tacito volutos,
Nunc plena in aurem voce refractulos,

Quibus nigranti cedit ab arbore
In roſcidis quicquid viretis
Vere canit volucrum tepente.
Vt vt canoros quæro iterum modos,
Vt vt mihi me ſurripuit melos,
Nec mecum adhuc ſum, adhuc hiulco
Neſcit abire animus labello.
Nec ſi ſciat, vult mitti, adeo & bona, &
Grata tenetur compede, iam mihi eſt
Adempta libertas, nec hauſtu
Elyſiæ reparanda Lethes.
Si tale Syren ſtirps Achelöia
Nautis canebat prætereuntibus:
Nil miror auerſas carinas
Sponte cauas adiiſſe rupes.
Neſcis tu Vlyſſen qui fugis illitis
Cera Pelaſgi remigis auribus,
Inter puellarum choros tam
Dulce canentium obire felix.

De Triuultia.

Sis diues, generoſa bella, caſta,
Docta, & ſi vlterius potes quid eſſe,
Si Triuultia non ſimul benigna es,
Nulli bella places, pudica nulli,
Nulli docta videris, & beata
Nullos diuitiæ mouent, genus ve,
Et ſi his vlterius pote eſt quid eſſe.

Quæ ſequuntur duæ elegiæ Marij Molſæ, ſerius ad nos miſſæ ſunt: ideóque ſuo loco inſeri nequiuerunt, nempe ſuperioris Tomi, folio 56.

F. M. MOLSAE.

Ad Herculem Ducem Ferrariæ IV.

OTia Muſarum ſacris & Apolline digna
Quærebam curis liber, & vrbe procul.
Et nunc quà gelidis immurmurat aura viretis
Errabam tacito per loca ſola pede.
Nunc nemorum exceptus dorſo, & viridantibus vmbris,
Pergebam Aonios laſſus inire choros.
Hinc magnum Alcidem victuris condere chartis
Mens erat & ſummi facta referre Ducis.
Scilicet vt puero Phœbi chorus adſtitit omnis,
Ad cunas primos dum ciet ore modos.
Fulſerunt nitidis circum plectra aurea gemmis,
Et dulces cantus Calliapea dedit.
Diuinum ambroſiæ Charites ſparſere liquorem,
Quo languor teneris artibus omnis abit.
Ecce tibi ſuperos inter lis orta repente eſt,
Munera

Munera quis puero nobiliora ferat.
Ipſa oculis Cytherea nouum mellita decorem
Afflat, & inſolitum ſpargit in ora decus.
Mars pater immenſum robur venientibus annis
Spondet, & inuictas ad fera bella manus.
Regna Deûm genitor, rapido quæ interſecat amne
Hinc Padus, & tumidus alluit auctus aquis:
Hinc ſale Thyrreno clauduntur plurima, at illinc
Hadriacis latè fluctibus icta ſonant.
In medio Eridani ſurgit Ferraria ad vndas
Aureáque inuictum tollit ad aſtra caput.
Qualis ſepta ardet bacca Gangetide gemma,
Atque puellares nectit honore comas.
Talis culta inter vicinas enitet vrbes
Clara hominum ingeniis ſemideumq́; domus.
Quamuis nulla queant, non ipſe excindere ferro
Iupiter, aduerſum ſi ferat arma Deus.
Quin & auis atauíſque potēs, & ſanguine Ibero
Miſta Deûm ſoboles, id mihi carmen erat.
Externiq; iterum thalami, queis Regia coniux
Gaudet, & Herculeum ſuſcitat alma genus.
At mihi liuor edax Muſarum ſacra ferenti
Obſtitit, & cœptum linquere iuſſit opus.
Ignotas ſubito Nymphæ petiere latebras
Et flentem Phœbus deſerit ipſe pater.
Nil nemora aut ſaltus miſerum iuuere, latentem
Inuenit, effuſo cuncta labore cadunt.
Quid referā obſcœnos vultus, quid ſanguine fœdo
Suffectos viſus, quos meminiſſe piget?

Canities inculta genas, color obſidet ora
Buxeus, aurata pallidior ſtatua.
Hoc ego nocte ſatas monſtrum ex horrere ſorores
Crediderim, & ſiquid triſtius Orcus alit.
Tu mihi ſeu feſſis Italum ſuccurrere rebus,
Seu perſtas regnis conſuluiſſe tuis:
Auſoniæ columen quo nunc Ferraria gaudet
Principe, & irati vix timet arma Iouis:
Huic monſtro occurras pernix, & vindice dextra
Fac Stygios repetat, te feriente, lacus.
Herculea lætere diu ſic optime fronde
Aeternùm, terror hoſtibus vnde cadat.
Sícque tibi placido delapſus in æquora curſu
Eridanus famulis littora pulſet aquis.
Abſtineat noſtros olim ſi inuadere fines
Peſtis, & hæc telis concidat icta tuis,
Non mihe te potior fuerit Ioue natus ab ipſo
Alcides, cæli fulſerit aſtra licet:
Strauerit aut dirum Nemees ſub rupe leonem,
Traxerit & Stygium cæca per antra canem.
Sæuius his quando monſtrum eſt, quo iactor, opémque
Numinis imploro térque quaterq; tui.

Ad Venerem.

Alma Venus frondoſa colis ſeu littora Cypri,
Seu petis Idalij florida culta ſoli:
Si te, ſiq; tuum colui, mea numina, natum,

Déque meo vobis carmine venit honor:
Adſis, & teneræ ſenium defende puellæ,
Et quæ damna ferit ſerior hora, veta.
Venit ad extremi (heu facinus) iam tempora veris,
Hæc mihi non vano nomine dicta Dryas.
Tu dominæ, tu diua precor, per ſiqua ſalutis
Eſt tibi cura meæ, protinus affer opem.
Scis dea, cum libeat diuos exurere, vt huius
Accendas nitidis lampadas ex oculis.
Sentiat illa prius raptæ diſpendia formæ
Cui riget in gelido pectore dura ſilex.
Cedere quæ neſcit lacrymis, precibuſq; moueri,
Ingenti pretio cui placet emta Venus:
Huic macies niueos deformet turpiter artus,
Occupet & roſeas ruga, ſitúſque genas:
At mea perpetuo lætetur vere puella,
Quam tantum pietas, quam benefacta iuuant.
Illa quidem vatum obſeruat pia numina Muſas,
Et cupit vt de ſe fama loquatur anus.
Muneribúſque ſacros nouit præferre Poëtas,
Poſcit amatorem nec grauis ara ſuum.
Ergo fluant molles humeris voliténtq; capilli,
Stillet & Aſſyrio myrtea rore coma.
Nulla queat nitidam labes corrumpere frontem,
Néue mihi tantis ſit ſupereſſe malis.
Neu videam obſcuras oculos inducere nubes,
Neu ſparſa indignis candida colla notis.
Quid precor ah demens? venti temeraria iactant
Vota: Venus noſtras negligit ipſa preces.

Iam cedit niueo tam grata e corpore forma,
Iam iam puniceus deſerit ora color.
Quare age tu mea lux, Veneris mihi gaudia iũge,
Dum properat tacito curua ſenecta pede.

IOANNIS CASPAREI MANTVANI.

De Hyla & Euriale.

DVm coëunt, pugnántque ſimul genialibus armis
Pulcer Hylas, & Hyla pulcrior Euriale,
Emiſere animam linguis vibrantibus, inter
Oſcula, nam ex hauſit dulcis vtrumque Venus.
Mæſtus Amor flammas perfracto ſubdidit arcu:
Et pharetra, atque vſtis fleuit arundinibus.
Hinc & odorata cineres contexit in vrna,
Atque animas campos duxit ad Elyſios.
Felices ambo, cùm non potuiſſet vterque
Dulcius extingui, nobiliuſq; tegi.

IOANNIS ANTONII TAYGETI.

Ad Cupidinem.

HÆc mihi qui adducto renouat fera vulnera cornu,
Ecce noua indicit prælia,ſæuus Amor.
Deſine magne precor miſerum cruciare Cupido
Sic faculas ſemper certáque tela geras.
Non me diue modo nectis metuende tenaci
Compede,nec nuper ſum tibi præda recens:
Sed tenera incautum domuiſti ætate,tulique,
Heu heu ſub laqueis plurima damna tuis.
Aſpice quam veteri flagrent mihi viſcera flãma,
Aſpice vt antiquo vulnere pectus hiet.
Maxima magnanimo victori eſt gloria,victis
Parcere,captiuis parce benigne tuis.
Quod ſi tantus amor laudis,ſi poſtibus optas
Figere victrici parta trophæa manu,
Quin tu quin potius crudeli armatus Hyellæ,
Quæ tua non ſenſit ſpicula,bella moues?
Illa quidem cunctis forma prælata puellis
Diues opum,& Thuſcam tangere docta lyram,

Durior at pelagi ſcopulis, tua numina temnit
Impia, nec lacrymas curat iniqua meas.
Ergo age rumpe moras, pœnáſq; vlciſcere noſtras,
Téque ſimul: toruæ retia tende feræ.
Magnificum pariet victori hæc præda triumphum,
Creſcet & hinc titulis gloria ſumma tuis.
Victa tibi ſolido ſtatuet de marmore templum,
Sublime, aurata te trabe finget ebur.
Illuc Nympharum veniet pulcerrima turba,
Ad numerum rapidos docta mouere pedes.
Nuptarúmque chorus pariter, iuuenúmque caterua,
Vret odoratis tura Sabæa focis.
Te citharæ arguto celebrabunt carmine vates,
Atque dabit Phrygios tibia grata modos.
Ipſe tuos etiam plectro teſtatus honores,
Effundam longum voce manúque melos.
Nam referam vt magno quondam confuſa tumultu
Diuidis antiquo ſemina prima Chao.
Te duce concordi remeat modulamine cœlum,
Atque nitent fauſtis ſidera luminibus.
Te propter floret tellus, te propter & arbor,
Germinat ae fruges parturit almus ager,
Tu pictas mulces volucres, mulcéſq; natantes,
Squamniferóſque angues, horribiléſque feras.
Tu genus humanum reparas, & te ſi ne matris

Naturæ, immenſum iam periiſſet opus.
Ille idem ſumma es Diuûmq; hominûmque voluptas,
Ille idem ſummus Diuum hominumq; timor.
Sæpe tuo omnipotens transfixus Iuppiter arcu,
Depoſuit rutila tela triſulca manu.
Igne tuo mediis ardet Neptunus in vndis,
Ardent & fluuiûm numina cornigerûm.
Quin etiam ſæui dirus moderator Auerni
Expertus vires maxime Diue tuas.
Teſtis formoſas inter Proſerpina nymphas,
Formoſa ac matris vnica cura ſuæ.
Illa quidem Siculis miſeranda errabat in agris,
Texeret vt flaue florida ſerta comæ.
Caſta ſoror Phœbi comes it, innuptáq; Pallas,
Conſciáque inſtantis Cypria pulcra doli.
Cum ſubito (horrendum viſu) concuſſa remugit,
Sub pede, dum pariter ſciſſa dehiſcit humus.
Ille aderat, ſceptrumq; gerens immane ruebat,
Terribilis vultu terribiliſq; coma.
Quadrupedes ſæuos emittunt naribus ignes,
Diráq; flammantis lux micat ex oculis.
Ac veluti pedibus præceps Iouis ales aduncis
Ima petens, cygnum corripit, aut leporem.
Sic ille: intentam calathis, floréſq; legentem
E ſupero ventis ocyor orbe rapit.
Impoſitámq; tenet curru, nec verba puellæ,
Triſtia, nec comitum iurgia crebra mouent,
Mater io, conclamat io, ſuccurre relictæ

Mater io, æternas deferor in tenebras.
Illa querebatur, ſed præda diuite lætus
Patruus ardentes acrius vrget equos.
Te ne ille indomitus, ille implacabilis, acer,
Qui nunquam precibus flectitur, aut lacry-
mis
Cui Furiæ ac Phlegeton famulus, cui maxima
regnum
Tartara, cui triplici Ianitor ore canis.
Te ne amor ille colit? propriόſque Hymenæon ad
ignes
Conuocat, atque humilis ſub tua iura venit?
Salue magne puer, qui diuo antiquior omni,
Ac rerum genitor, quicquid in orbe domas.
Salue iterum, atque tuas populus dum pronus ad
aras
Tura adolet, felix ad tua ſacra veni.
Hæc ego, tu gelidæ iam tandem accende puellæ
Pectora, me flammis parcius vre tuis.

Ad Barbaram Callinam.

Quæris cur iaceam? cur febribus vrar anhelis?
Cur miſeranda notet pallidus ora color?
Sidere non iſtos læuo mihi Sirius ignes
Attulit: ipſa mei cauſa puella mali eſt.
Vt taceam quæ longa dedi ſuſpiria quon-
dam,
Si quando eſt precibus aſpera viſa meis,

Nunc heu nunc latos ſine me migrauit in agros,
Deliciáſque meas durus arator habet.
Illic nunc gratas agitat Charis alma choreas,
Illic nunc cautus retia tendit Amor.
At mihi perpetui gemitus, lacrymæq; ſuperſunt,
Eſt & nox ſemper triſtis, amara dies.
Atque nouus medicis quamuis Epidaurius herbis
Pæoniæ ſolers afferat artis opem,
Non datur amiſſam miſero ſperare ſalutem,
Qua redeat feſſi corporis ille vigor.
Sic quicquid de me nuper ſperare licebat,
Auferet inuiſi funeris atra dies.
Quæq; mihi cœptis fuerant ſuſcepta camœnis,
Omnia ſunt rapidis diripienda Notis.
Non ego nunc rerum conabor dicere cauſas,
Aut memorare meis prælia carminibus.
Ipſe tuas tantum percurrens Barbara laudes,
Tentabam plectro nobiliore lyram.
Nam quis te fama præclaro e ſanguine natam,
Neſciat atque animi tot bona rara tui?
Illa es quæ ſexum vincis, veſtigia cuius
Componunt Charites, ſubſequiturq; pudor.
Maxima cui Pallas mater, Prudentia nutrix,
Cuius & in labris mellificauit apis.
Quam propter redeunt vates, Muſæq; reſurgunt,
Ferrea quas tenebris ſecula condiderant.
Hæc ego, cum ſineret fatum, memorare parabam,

Heu heu quàm celeri ſors mea pulſa rota eſt.
Nunc mea Calliope quod cæperat, interrumpit,
Quæ mihi mors rapidas inijcit atra manus.
Iam video Infernos manes, noctémque profundam,
Me tenet & Stygij concaua cymba ſenis.
Proh ſuperi, luſtris rapiar vix quinque peractis,
Atque erit ætatis tam breuis hora meæ?
Sic flos vix natus pedibus calcatur euntis,
Sic auido implumes angue vorantur aues.
Attamen & lætor, nam ſi mihi Parca minatur;
Finiet & pœnas Parca benigna meas.
Ac (ſi curæ homines optata in morte relinquunt)
Tunc mecum inſanus tunc morietur amor.
Quod ſi me audieris gelidum liquiſſe cadauer,
Contigerítque vrnam forte videre meam:
O decus, o noſtri nitidiſsima gloria ſecli,
Diua precor celeres Barbara ſiſte rotas:
Talibus & noſtros mœrens teſtare dolores,
Atropos huic rupit ſtamina, iuſsit amor.

Ad Lucrinam Nympham.

Inclyta Nereidum, ſuperis æquanda propago
Lucrina, Adriaci gloria prima chori,
Quæ lac atque roſas vincis candore rubenti,
Nigra oculos, flauis conſpicienda comis,
En tibi ſeu Phrygio ſpectanda incedis amictu,
Siue ſalis, gracili ſub pede geſtit humus.

Si rides, rident Charites, ſi Nympha loquaris,
Manant ex labris dulcia mella tuis.
Tu modo iam facilis pulcerrima Neptunine,
Ne videare mihi ruſtica, pande fores.
Quæris cur facias? ingens tibi fama paratur,
Præcipuum in noſtro carmine numen eris.
Talia iactabam ſurdas male ſanus ad aures
Ad loculos lumen rettulit illa meos.
Quos auri optato vt vidit ſine pondere laxos,
Fugit vt inſtanti territa cerua cane.
Quid mihi nunc proſunt Muſæ? quid magnus Apollo?
Ah pereant verſus deficiántque lyræ.
At tibi quæ pretium venali poſcis amori
Improba, vaneſcant quas male quæris opes.
Cumq; tibi rugas inducet cana ſenectus,
Inſultet damnis fœmina virque tuis.

Ad Iacobum Aquaneum Patritium Brixianum.

Bacchus adeſt Iacobe, cadis vindemia plenis
Effluit, agreſtes Orgia læta canunt.
Te nunc cinge edera, nunc patri indulge Lyæo
Sæpe graues etiam vina iocoſa decent.
Dicitur & priſci virtus ſpectata Catonis
Sæpius annoſo concaluiſſe mero.
Euge io, pater alme Euan, quàm carmina noſtra
Quàm cupiunt laudes Diue referre tuas?

Tu laſsis requiem præſtas, tu multa dolenti
Bacche potes curas attenuare graues.
Te duce cum Cadmus variis erraret in oris,
Dicitur oblongæ non meminiſſe viæ.
Te duce & Aeneas vaſtum maris æquor arauit,
Nec ſubiit patrÿ flenda ruina ſoli.
Ipſe etiam rapior: iam ſacro tacta furore
Mens mihi, iam nimio pectora mota Deo.
Nunc libet & patriam, & patriæ primordia noſtræ
Ordiri, & grauibus bella tonare modis.
Magnus vt Alcides fauſtis ducentibus aſtris,
Mœnia felici ſtruxerit iſta manu.
Pro patria extinctos ciues, fortiſsima corda,
Cum rueret noſtrum Gallus in exitium.
Et placet auratæ miracula dicere flammæ,
Qua nos & ſoles pellimus, & pluuias.
Deliciáſque agri multas, & maxima aquarum
Commoda, Niliacis inuidioſa vadis.
Euge Euan, Iacobe, Euan celebretur ouanti
Carmine, ſed tecum Bloſius ipſe canat.
Adſit & ingenti tecum deuictus amore
Theanus, Aonÿ maxima cura chori.
Muſa quidem exornat vates, & magnus Apollo
Pocula Pieriæ multa miniſtrat aquæ.
Sed quod ſcribenti non præſtat Caſtalis vnda,
Hoc Bromÿ patris pocula ſufficiunt.

Ad Cupidinem.

HAnc pharetram fulgentem auro, Lyciiſq; ſagittis
Inſignem, has ſacro munera grata faces.
Tu modo formoſam deduc a rure puellam,
Atque tibi atque vrbi redde Cupido decus.
Te duce me nitidis pectus transfixit ocellis,
Te duce me flauis nexuit illa comis.
Tunc iucunda meæ ſpondebas tempora vitæ,
Qualia adhuc vllus non habuiſſet amans.
Pérque tuam nobis iurabas improbe matrem,
Per tela atque arcus inſidioſe tuos.
Te mihi perpetuis vincturum Phyllida nodis,
Solaménque mihi præſidiúmque fore.
Heus vbi pacta fides? quis iam tibi perfide credat?
Nunc vbi digna meæ præmia militiæ?
Phyllis abeſt, aberítque diu, turbáque procorum
Non curat pœnas ſollicitata meas.
Forſitan & miſeri ſordet graue nomen amantis,
Inq; vicem primi carior alter adeſt.
Sic eſt, hoc ſemper languenti triſtia narrant
Somnia, ſic dudum rumor acerbus ait.
Ah leuior foliis, ah verna incertior aura
Fœmina, amatori pernicioſa tuo.
Quid de te infelix primum querar? arma ſuperſunt,
Arma volo, vltricẽ Mars precor adde manum.

Mars precor adde manum, mihi nunc crudelis Erynnis
Suggerat infernas ſanguinolenta faces.
Nũc caput ære cauo, duplici nũc tegmine pectus,
Nunc & crura ocreis induor, enſe latus,
Iam fora, iam leges, genitor, ſociique valete,
Rura peto, hæc noſtris meta terenda rotis.
Sed quid ego hæc iacto? triſtes diſcedite curæ,
Auguror & certum eſt, me mea Phyllis amat.
Illa quidem (& memini) cùm iam diſcedere vellet,
Illacrymans tales edidit ore ſonos.
Hinc Nocturne trahor, ſi dent modo numina vitã,
Vt tua nunc abeo, ſic tua ſemper ero.
Atque vtinam fidus maneas: ac plura parabat
Dicere, ſed vetuit dicere plura dolor.
Illa autem, ſeu fida mihi, ſeu perfida peccet,
Non hac me fateor poſſe carere diu.
Quare o magne puer, dominæ dulciſsima verba
Auribus, atque oculis lumina redde meis.
Tunc te Panchæo ſupplex venerabor odore,
Percutiámque ſacra culmina culta chely.
Nocturno dat amor reducem ſpectare puellam,
Hic cauſam vitæ reddidit, ille lyram.

Ad Glycerem.

Iam noua iam Zephyri ſpirat genitabilis aura,
Canáque iam tepido Sole pruina liquet,
Arboribúſq; comæ redeunt, ac gramine lætus

Ridet ager, nidum ſedula ponit auis.
Agricolæ flammas, ſtabulúmque armenta relinquunt,
Mænalijs gaudet paſtor arundinibus.
Cypria nympharum grata comitata cohorte,
Incipit Idalios ducere nuda choros.
Iuppiter intonuit ter cæli in parte ſereni
Ad ſua nam melius furta redire poteſt.
Regnat Amor, vincitq́; feras, vincitq́; volantes,
Nereáque, & nigri tertia regna Iouis.
At tu cui propriam Glycere Venus aurea formã,
Cui tot largitur munera culta Charis,
Cuiq́;, & montana multò mage pectora caute
Sunt rigida, & Getica frigidiora niue,
Tormentis iuuenum gaudes, lacrymáſque precantum
Temnis, & igniferi tela, facéſque Dei.
Sed tibi cum ſenium frontis capitiſq; decorem
Demſerit, & nitidis ſidera clara oculis,
Ac neq; blanditias dicet, nec fidus amator
Dona, nec ad poſtes florida ſerta feret:
Flebis, & ingratam cupies fruſtrata iuuentam,
Lapſa ſed heu Glycere tempora non redeunt.

Ad Bacchum.

EVge Io, quo nam rapior? quo cõcitor oeſtro?
Quæ rabies pectus, quis quatit oſſa furor?
Cur lux puluerea fuſcatur candida nube?

Cur mihi labenti ſub pede terra tremit?
Bacchus adeſt flauos fuſus per colla capillos,
Atque edera innexus cornua Bacchus adeſt,
Euohe, noſco Dei currum, celeréſque iugales,
Ac comites nymphas, capripedeſq; Deos.
Euohe, Sileni video ſenioris aſellum,
Quem iuxta armatus falce Priapus ouat.
Baſſarides tremulis complent vlulatibus æther,
Tympanáque & buxus, æráq; rauca ſonant.
Salue io, Bromie, *Nyſæe, Lyæe, Thyoneu,*
Liber Iacche, Euan, *Euhye, Thyrſigere.*
Quo me cúmq; vocas, ſiue ad bacchata Lacænis
Ardua Thaygeti culmina virginibus,
Seu tecum Rodopen, ſeu vis me viſere Naxon,
Seu trahis ad Thebas imperioſe tuas,
Euohe iam propero, da cymbala, da mihi thyrſũ,
Euohe, pampinea fronde retexe comas.
Diue faue, *authorem venercor te carminis, o iam*
Iam valeat Phœbus, *Caſtaliúſq; liquor.*
Te dicam ex vtero raptum genetricis aduſtæ,
Fœmore quem geßit Iuppiter *ipſe ſuo.*
Qui teneras terræ docuiſti credere vites,
Vt fluerent dulci dolia plena mero.
Qui potes humanos ſolus lenire dolores,
Qui rigidos flectis ſacrilegóſque domas.
Tu fuſcos ſuperas Indos, *mactaſq; Lycurgum*
Afficis & merito Penthea ſupplicio.
Cúmq; patri inferrent fortes fera bella Gigantes,
Strauiſti Rhætum fortior ipſe trucem.

Addam

Addam Cretææ præclarum coniugis aſtrum,
Quæ fulget medio conſpicienda polo.
Sed iam parce pater, non tales noſtra furores
Mens potis, aut ſtimulos ſuſtinuiſſe tuos.
Aptior ipſe leuis pueri cantare ſagittas,
Vt myrto cingat tempora grata Venus.
Quod ſi Diue tuo calefactum corda liquore
Euantum rapidis inſeris agminibus.
En adſum, o ſemper nobis venerande, tuóque
Munere, da curas Bacche fugare graues.
Da precor, ac nimios extingue Cupidinis ignes,
Atque mihi antiquo ſubtrahe colla iugo.

Ad violas a Puella miſſas.

Formoſæ o violæ, munus Violanthidis almæ,
Seruitÿ violæ præmia grata mei.
Num vos Idaliis aluit vaga Chloris in hortis,
Vnguibus & carpſit Cypria pulcra ſuis?
Pancheas grato meſſes ſuperatis odore,
Sed mihi vos nimium dat violenta mãnus.
Dat violenta manus, miſeri quæ conſcia amantis,
Munera fert pœnis æquiparanda meis.
Namq; vt vos molli vinctas circundedit auro,
Me quoque flexilibus nexuit illa comis.
Eſtis pallentes, infelix palleo: nomen
Eſt violæ, dominæ luminibus violor.

De Phyllide.

Vt mihi ſidereis placuit mea Phyllis ocellis,
Protinus e lacero pectore cor rapuit.
Tunc igitur dubitans an vecors viuere poſſem,
A domina ablatum poſcere cor ſtatui.
Dum poſco, en nitidæ nimio fulgore puellæ
Victa, repente oculis lux mihi dempta fuit.
Riſit, & intexens laqueum de crinibus aureis,
Me ſibi captiuum nexuit acer Amor.
Hinc ſemper ſine corde miſer, ſine lumine vixi,
Languidula aßiduo colla premente iugo.
Heu ſors infelix, ſtatus o miſerandus amantum,
Qui quò plus quærunt ſe, minus inueniunt.

Ad Flores.

O mihi dilecti flores, quos tempore fauſto
Tradiderat niuea caſta puella manu.
Vos equidem colui: ſed nec grata oſcula iunxi,
Nec me rorantes dante bibiſtis aquas.
At poſtquam hanc ſæui dira inclementia fati
Ante diem ſedes miſit ad Elyſias.
Heu quid agā? ſine corde miſer, ſine luce relictus,
Vobiſcum ſaltem pignora grata loquar.
Et nunc o flores ſtellis felicibus orti,
(Eſte vagi) vobis grata alimenta fero.

Fundo oculis lacrymas ſuſpiria pectore, nunquã
Aura, vel effuſis deficit imber aquis.
Vos modò vos ſaltem miſeri ſolamen amantis,
Aeternum extincta viuite pro domina.

Ad Venerem.

Has tibi cadentes paſco Cytherea columbas,
Parua quidem, at multis munera cum lacrymis.
Tu Dea ſi miſeret nimiæ placidiſsima flammæ,
Affer opem, & laqueis ſis precor æqua meis.
Nam noua ſidereis miſerum inflammauit ocellis,
Nexuit & flauis pulcra puella comis.
Huc ades, & noſtris faueas mitiſsima votis,
Sic te perpetuò diua Gradiuus amet.
Iam veniat noſtros felix Hymenæus ad ignes,
Et Charis, & pura pax comitata fide.
Tunc tibi Panchæas vram pulcerrima meſſes,
Inſcribámque aris carmina noſtra tuis.
Nocturno optatam iunxit Venus alma puellam,
Ille piæ ſoluit debita vota Deæ.

Ad Europen Puellam Hebræam.

Europe, non te ſimulati fronte iuuenci
Aetereus ludit, diua puella, pater.
Sed tibi, ſe quantum Semeli tulit, ipſe videndum
Præbet, & ardenti captus amore venit.

Ipſa etenim Charitum longè pulcerrima cantu
Inclyta, & Etruſcam tangere docta lyram.
Non tantum ſilicéſque moues, ac flumina ſiſtis,
Sed ſumma intentos extrahis arce Deos.
O felix quæ te tellus habet, at mage felix
Cui fortunata te face iungit Hymen.

Ad Cupidinem.

Accipe magne puer Veneris redolentia dona,
Quæ felix terra diuite miſit Arabs.
Tu mihi difficilem mitis lenire puellam
Cœpiſti, & longis gaudia ferre malis.
Nunc ego ſponte tuis ſubmitto colla catenis,
Sponte tibi captus, ſponte triumphus ero.
Et quæcumque meæ dictabunt carmina Muſæ,
Illa canent laudes maxime Diue tuas.
Tu ſæpe auratis illam transfige ſagittis,
Mutuus vt longo tempore duret amor.

In nuptiis Simonis Angeli Suſpirij Academici occulti & Iuliæ Gemmæ.

Iulia Adumbrato nupſit pulcerrima noſtro,
Huc age fer fauſtas diua Erycina faces.
Tam bene gemma nitens flauenti innectitur auro,
Tam bene cum rutilo marmore fulget ebur.
Naſcatur proles, docti quæ more parentis,
Temperet Etruſca carmina culta chely:

Amborum & caſtis vrantur pectora flammis,
Tunc quoque cum fuerint illa anus, ille ſenex.

In funere Lauræ puellæ amator ad tumulum conqueritur.

Hic mea procubuit Laurus, quam lumine diro
Arſere æſtiui ſidera læua canis.
Lugete Aonides, Dryades lugete ſorores,
Et cineres Arabo ſpargite rore pios.
Sol qui Daphnæo gemuiſti accenſus amore,
Heu quantò melior ſors tua ſorte mea eſt?
Dum Daphnem amittis, ſurgit pulcerrima Laurus
Laurus noſtra cadit, noſtra puella iacet.
Laura iacet, nec quæ niuea ceruice fluebant
Illius auratas iam mouet aura comas.
Sola humus hæc rapto potitur, mea gaudia claudit
Impia, delicias abſtulit iſta meas.
Redde meam, mihi ſæue lapis, mihi redde puellã,
Improbe, quid lacrymis immaduiſſe iuuat?
Sed tamen & madeas, & noſtros accipe queſtus,
Cúmque his, & nardum, donáq; veris habe.
At tu quæ felix cæleſti in ſede vireſcis
Pulcrior, æternum Laura beata vale.
Laura vale: at mecum ſemper ploratus & aura
Anxia ſit, dum cor nutriet aura meum.

DANIELIS CERETI.

SALIX.

FOrtè ſub intonſæ conſederat Ilicis umbra
Flaua Salix, castæ comitũ pars fida Dianæ:
Implebátq; ſinus Zephiris, nexúque ſoluto
Errabant nitidi per eburnea colla capilli,
Qua pater aurifera redimitus tempora Citro
Verberat ingenti Benacus littora planctu,
Dum ſedet, oblitam dominæ, Fauniq; procacis,
Florilegæ tenuiſtis apes, volucreſq; canoræ,
Et quæ proceras mulcebant flamina quercus
Propter aquæ riuum, ſomno iámque illa grauatum
In pharetram, & laxos caput acclinauerat arcus:
Ante pedes lapſum fronti crinale iacebat,
Et iaculum Triuiæ magnum, ac memorabile munus.
Viderat hanc (ut erat dulci reſoluta ſopore)
Fortè ſenex Glaucus, latratas æquore cautes
Dum colit, et captos adducit arundine piſces
Stans celſo in ſcopulo: viſa ſtupet ille, ſiletq;
Improbus, atque atrum flagrãti corde venenum
Concipit, & cæcum toties bibit oſſibus ignem.

Iamq; ſuas artes ,nodoſaq; lina peroſus,
Cæruleas damnabat opes,centúmq; ſorores
Poſt Salicem poſuiſſe ferunt. Ergo ille trementi
Luctantique ferox, & inania bella mouenti
Vim tulit,at cæſis virgò Saloina lacertis
Laſſauit plangore nemus,latóſque per agros
Haud intermiſſas fudit miſeranda querelas.
Non illi volucres vrgere in retia ceruos
Cura,nec in laxos leporem deducere caſſes
Amplius aut timidas calamo transfigere damas:
Nec rapidis vacuos canibus circundare ſaltus,
Sed latet,& ſcabro laqueata cubilia tofo:
Incolit,& longo domus eſt ſpelunca receſſu,
Qua nitidos colles,ſubiectáque collibus arua
Spectat oliuiferos quaſſans Taureta capillos.
Sæpe illam Dryades fruſtra lenire iacentem
Tentauere,quid hos,dixerunt,cara dolores
Perpeteris Nymphe? quæ cauſa indigna decoram
Turbauit faciem? quid fles mæſtiſſima virgo?
Virginis ad nomen ſuſpiria traxit ab imo
Corde Salix,ſilet illa tamen,nec prodere cæcas
Suſtinet inſidias,timidi ſed pondera ventris
Celat,& interdum læſi dat ſigna pudoris.
Dumq; oculos vix tollit humo,nũc pingitur oſtro
Puniceas incenſa genas,nunc flebilis hæret
Pallidior buxo,qualis Tithonia coniux
Quum rubet,& ſubita tegitur caligine mœrens
Memnonis admonitu. Iam ſol altiſſimus axe
Fecerat exiguas ſpatijs æqualibus vmbras,

Ecce tumens ſpolijs, atq; oblita cæde ferarum
Antra ſubit, lucis Hecate laſſata ſub altis,
Antra, edera, & raris labruſcæ ſparſa racemis.
Intus aquæ viridiq; obſeſſa ſedilia muſco:
Ante fores Thymbræ ſurgunt, flentéſque Hyacinthi,
Et cum flameolis lethæa papauera Caltis,
Innumeræq; herbæ grato quas murmure labens
Riuus, & attritos verſans alit vnda lapillos,
Non latices illic, nitidi non vda profundi
Lanigeræ turbaſtis oues, ſaltuve proteruo.
Indomiti ripis inſultauere iuuenci,
Non fera, non imis ſerpens educta cauernis,
Nec, cum ſe paſtæ referunt e monte capellæ.
Sæpe tamen Dryades feſſos venatibus artus
Fonte lauant, humeroq; tenus contingere gaudent.
Quo ſimul intrauit, trepidantem, ac multa timentem
Tergaq; iam dantem vidit Titania Nympham,
Vidit, & exarſit, pharetrámque arcúſque retentos
Corripuiſſe ferunt. At virgo concita curſu
Tranſuolat arua fuga, rapido velocior Euro,
Donec arenoſum vitrei Mellonis ad amnem
Peruenit: hic iunci ſteriles, & candida circùm
Populus & pigram velabat canna paludem,
Et cum caricibus limo quod creuit acutis
Molle ſiler, calamiq; leues, vluæq; virentes.
Subſtitit hic lacrymãs, ſparſóſq; a fronte capillos

Reijcit in tergum, pleno ſingultibus ore
Pallidulo, tales effundens pectore voces,
O qui me fluctus, quæ me nunc ima dehiſcens
Abſcondat tellus, penitúſq; in viſcera mergat?
Cœlicolæ ſi qua eſt pietas, ſi conſcia veri
Numina deceptas ſpectant ſine fraude puellas,
Eripite hanc animam miſeræ, & ſuprema roganti,
Munera ferte: atq; o finiſſem morte dolores,
Cum mea virginitas erat illibata, libenter
Nam potui tunc caſta mori: ſuperos tamen omnes
Infelix teſtor, contra mea vota pudorem
In ventos abijſſe leues, ſi mentior, in me
Vertat inexhauſtas agilis Dictynna pharetras.
Audijt hæc Phœbe, celeréſque morata ſagitas
Languit ad gemitus, ſparſiſq; in terga venenis
Arbor eris, dixit, ſed quæ nec poma, nec vllas
Diuitias domino, præter fera vincla miniſtres:
Nec tu militibus, nec tu clamata Theatris
Serta feres, cultis circum ſua tempora nymphis
Frons tua pendebit, nec te dignabitur inter
Alticomas quercus, aut aërias cupreſſos,
Sede nemus nigra, vel nubilus abiete lucus:
Sed procul extremis ignota iacebis in aruis,
Perq; lacus patulos, obliquáque flumina paßim
Fœda tibi querulæ facient conuitia ranæ.
Ver quoq; cum ſiluis ſuccos infuderit altis,
Quam bene tunc ſalicis dempta cute membra rigebunt.

Mollia ter niueis percuſſit pectora palmis,
Dúmque pedes ſubita queritur radice teneri,
Pes vbi ſit, quærit, digitique, vngueſque cutíſque.
Iam teretes ſuræ, iam candida crura, ſinúſque
Rugoſo ſenſim cœperunt cortice claudi:
Brachiáque, ad cælum quæ forte tetenderat, altos
Induit in ramos: reſtabant ora, comæq;:
Quid facis exclamat, Latonia? *parce, nec vno*
Funere perde duos, vteri miſerere, nec vltra
Iram tende tuam. ſic me periiſſe iuuabit.
Parce precor, clamabat adhuc clamantia cortex
Occupat ora recens, & vox ſub ſtipite cæcum
Vltima murmur erat, latebroſo quale ſub alueo,
Punicibúſve cauis Sicula exauditur in Hybla,
H*orrida cum vario ſaturatas flore cateruas*
Clauſit hyems tectis. crocei iam vertice crines
I*n longas abeunt frondes, quæ nunc quoque (mirum)*
Corpora mutatæ velant pudibunda puellæ.
Sed poſtquam teneras abſumſit cura medullas
Cura vigil, querulúſque dolor, ſæuiq; labores
Arentis nodi traxerunt oſſa figuram:
Proq; noua mollis creuit lanugine muſcus.
Pallor ineſt foliis, ſcires timuiſſe, vicémque
Sanguinis in lenta gelidus gerit arbore ſuccus.
H*inc iuga montiuagæ nimium dilecta* D*ianæ*
Odit & inuiſos Phœbi ne perferat ignes,
Gaudet aquis vmbriſq;, & opacæ frigore vallis:
Neue parum cautis deſint exempla Napæis,

Indicium luctus folijs nouus hæſit amaror.
At puerum Nymphæ, (poſtquam Lucina dolenti
Affuit) obſcuris enutriuere ſub antris:
Signa tamen partus, veteríſque infamia facti
Durat adhuc, uteróque manet deſpecta capaci,
Quæ fuerat cunctis olim prælata puellis.

IOANNIS ANGELI TAYGETI.

Epithalamion Lucretij Cancriferi Comitis & Thadeæ Vermigenæ.

Regina o Cypri, o teneri vaga mater Amoris,
Eia age linque Paphon, Idaliáſq; domos.
Huc propera redimita roſis, Lucretius heros
Te vocat, orantis ſuſcipe diua preces.
En noua nupta illi ſuperis æquenda propago,
Amplexus primos, oſcula prima parat.
Pectora iungat Hymen, animos concordia nectat,
Et Charis, & certa pax comitata fide.
Igne pari ſuccende duos, vt corpore in vno
Spiritus vnanimis corpora bina ferat.
Det ſobolem Lucina fauens, uteróque iugalem

Acceleret menſem Cynthia iam decimum.
At tu vermigena, huic tanto coniuncta marito,
Gaude inter pulcras pulcrior Italidas.
Omnia fauſta vides, hîc tellus ridet & aër,
Duráque flauenti robore melle fluunt.
Plaudit amor thalamis, géſtit placidiſsima Iuno,
Intonat AEthereo ſummus ab axe pater.

INCERTVS.

Cum tenui florem pingit mea Delia filo,
Natiuumq́; roſæ vendicat arte decus.
Idaliꝭs illum formoſæ Cypridos hortis
Purpureum iures exeruiſſe caput.
Tantus honos foliꝭs, viridanti & gratia formæ,
O operæ inſignes mirificæq́; manus,
Quæ cum perpetuos veris ſeruetis honores,
Tam mira æternas fingitis arte roſas.

Ad Lygidam.

Quid fles luminibus Lygida me tuis
Quem perdis: mea te funera non mouent,
Quod me morte perire
Indigna miſerum putas.
Ne nullis placeat tollere laudibus
Te, me tu metuis perfida mortuo.
Extinguaris & ipſa
Me extincto pariter tuo.
Quæ acceßit paridis nauibus Ilion
Sic magno gemitu fleuerat Hectori:
Non quod caſus Achilli
Is cauſa foret illius:
At quod non Phrygijs grata foret, neque
Vllius manibus militis amplius
Se ſe credere poſſet
Nec vita placidè frui.

De Camilla & Paulo.

Camilla paulo pulcriori pulcrior
Coniuncta matrimonio.
Sed huius uxor ore tam puerum refert,
Is tam puellæ proximus:
Vt quæ Camilla quiq; Paulus ambigam,
Mihi quæ amanda neſciam.
Ambæ feneſtræ, me miſerum ad ædes meas
Verſæ frequenter inſident.
Ibi libidinoſius ludunt, ibi

Me contuente clanculum.
Inter ſe inhærent implicantur mutuis,
Sicut ederæ complexibus.
Sibi inuicem ſugunt ocellos ebrios
Se mille lambunt baſijs.
Modo recedit hic, modo illa, modo illa & hic
Ibíq; rurſus inſident.
Simúlque rurſus ſua remordent paululum
Labella dente candido.
Labella roſea, purpurea Cupidinis
Signo notata feruidi.
Tandem ſagum coniugis ab illa ſoluitur
Ab hoc maritæ zonula.
Quid iſta quibus exagitor mente repeto:
Quid heu quid iſta perſequor?
Qui luſus, quæ furta ſequantur poſt modo
Cum nuda vertunt corpora,
Sol teſtis ipſe ſolus. Hæc qui me occupat
Dolor videre non ſinit.
Sic tibi diem laſciuiunt totam atque ibi
Gaudent, fruuntur vndique
Et cum coma candente Phœbus occidit,
Et cum reſurgit aurea.

Ad Amorem.

Iam ſatis procul a fero
Vixeram puero Cypri.
Illius ſatis aſpera

Tela

Tela ſpernere doctus.
Nunc mihi mea Lygida
Dum Cupidinis improbo
Arma, luminibus ſuis
Vulnus intulit altum.
O Deæ Idalij & vaphi
Magnæ progenies Deæ,
Infimi o genitor globi
Orbiúmque micantium.
Te colunt domini inferi,
Teq; te ſuperi colunt,
Pluto te timet, & tuas
Phœbus ipſe ſagittas.
Nec Deûm domitor modo,
Sed virûm, nemorum, amnium,
Montium, pelagi, alitum,
Piſciumq;, ferarúmque.
At cum Amor *iaculis petas*
Cuncta, iam quoq; Lygidam,
Quæ nimis tua negligit
Tela, tange flagello.

De Lygida.

Phœbeo, radio magis
Splendens lux nitidiſsima,
O & ſidere pulcrior
Pulcro Cypridis almæ.
Si tu me ſemel inſpicis,

Nec turbata, nec impia,
Me mox nulla venefica
Diro carmine perdet
Non merces Arabum ſoli:
Non vaſti maris inſula,
Quam nuper petÿt Ligur
Caſu puppe fugata:
Non quicquid legit aridæ
Meſſum campus Apuliæ:
Non quicquid Tagus aureæ
Circumuoluit arenæ.
Me ſic his opibus ſuis
Ditarent veluti tui
Mittentes oculi iubar
Noſtris Lygida amicum.
Quæ fingo mihi ſomnia?
Retro curret aqua prius
Xanthus, terraq́; purior
Supremus erit aſtris.
Et manes ego trans Styga
Cogar viſere & artubus
Fractis vndiq;, vix ero
Atri pulueris vmbra:
Quàm quòd luminibus tuis
Tu lux me miſerum bees:
Quàm quòd ſis mihi tempore
Illo Lygida amica.
Me vero crucies licet,
Nunquam dimouear, neq;

Si vertas etiam Dei
In me fulmina Lemni.
Nam ſum marmore firmior,
Et quouis ſcopulo, feris
Decertato Aquilonibus,
Cælo cùm furit axis.
Nam hæc ſunt fulmina dulcia:
Sunt hæc dulcia vulnera:
Dulcis durities tua:
Iracundia dulcis.
Sunt dulces gemitus mei,
Et dulces querimoniæ
Et dulces lacrymæ, quibus
Ipſe eſt dulcis amaror.

De Lygida,

Si ſic Lygida me perurit intus:
Si ſic me facibus ſuis Cupido,
Si ſic cor liquido liqueſcit igne:
Vnde tot gemitus, tot vnde fletus
Vnde tot lacrymis genæ rigantur
Vnde in tot pereo ſolutus vndas?
O vitam nimium mihi perennem.
O mortem miſero diu vocatam.

Ad Lygidam.

Quamuis me capias, mihi latenter,

Te moror ad riuum Lygurini dulcis Hylla,
Fontis in intonſo margine ſtratus humi.
Si venies tenero amplexu dabo baſia mille,
Et tali inciſum carmine marmor erit.
O quicumq; gregem lymphas deflectis ad iſtas,
Ne tibi turbentur te rogat Amphipolus.
Ipſe has propter aquas tulit optima munera amicæ
Vltima, prima tamen ſæpeq; habenda ſibi.

De Iola.

Cùm petit ima caper, minus haud ardebat Iolas
Quàm qua parte anni Charcinus alta petit.
Non minus ipſe animo cura angebatur iniqua,
Cùm ſurgit, quàm cum decidit alma dies.
Cauſa mali tanti nunquam paſtoribus vllis
Nota fuit, prorſus nunc tamen illa patet.
Nanq; hodie Auroram cùm Sol vexiſſet, Iolas
Alpheæ Piſæ conſtitit ad fluuium:
Immotúſq; velut ſaxum alta rupe repoſtum
Edidit hæc imo pectore ſemianimus,
O pulcro Cyſthereæ aſtro demiſſa Lycori
Vt me diſperdas lumine ſæua tuo.
O me infelicem: tandem tua forma Lycori
Cauſa mei interitus, & tibi turpis erit.

Deceptus à Galatea Syluanus illam per mare errantem in amorem ſuum multis argumētis inducere conatur, cùm vero ob amorum diſſimilitudinem nihil proficiat, relicto littore pergit ad montes.

Galatea.

Siluanum fugiens Siculis errabat in vndis,
Iam Galatea natans, Nymphisq; vagãtibus vna
Sæpius vt riſu miſerum luſiſſet amantem,
Vt multos etiam paſtores ſpreuerit olim
Iam procul in curſu placido referebat aquarum,
Cùm procul ipſe pater properans ad litora tandem
Conſtitit, & ſubito lacrymis ſic cœpit obortis.
Quid patrem toties ſiluarum fallere tentas
Crudelis? cur ſæua lates? cur perfida lucos
Deſpicis atq; Deos? ponto caput exere, noſtros
Ne fugias thalamos ne poſt dolitura perire
Me miſerum cupias, me perdere deniq; ni vis,
Huc ades o Galatea, fretum Galatea relinque.
Per mare Phoca natet, teneant immania cete
Aequora, percurrant vndã delphines in altam,
Polypus ad pelagi verſetur concaua ſaxa.
Et mel [illegible] *aquas* [illegible] *fluctus quos temperat omnes,*
Incolat vndarum domitor Saturnius ipſe.
Huc ades o Galatea, fretum Galatea relinque.
Pana Deum celebrant Satyri ſub frõdibus altis,
Ad calamos vtroq; premunt pede gramina Nymphe.
Nos Bromium canimus, quo luſu ludere vobis
Dant ſuperi? Faunûm cinguntur tempora vite.
Vos pelagi potatis aquas, nos pocula Bacchi.
Huc ades o Galatea, fretum Galatea relinque.
Hic Zephyris ſegetes, fluctus aquilonibus iſthic

Præcipites ponto liquidæ ſunt fontibus vndæ.
Rupibus antra virent, nudis ſtant littora ripis.
Aequoreo ſtrepitu ſcopuli feriuntur & alga,
Hic volucrum colles reſonant arbuſtáque cantu.
Huc ades o Galatea, fretum Galatea relinque.
Eſt Cytherea quidem ſpumis exorta marinis,
Has fugit illa tamen, retinétque Gnidúmque Paphumq́;
Et colit Idalium, montes nemora altáque Cypri.
Nam licet vratur medijs Neptunus in vndis,
Non ideo gelidis miſcendi fluctibus ignes.
Huc ades o Galatea, fretum Galatea relinque.
Nec te detineant blandæ (ſunt carmina ficta)
Sirenum voces, neue Oceanitides vllæ,
Nec Thetis, aufugias Tritones numina ſæuos
Impia, neue ſenes Phorcos tibi iungere cures.
Ne placeant Glauci quibus haud altaria fumant.
Huc ades o Galatea, fretum Galatea relinque.
Quòd pecoris cuſtos linquor, ſed nonne Cybele
Quanquam ouiū cuſtos, amplexu detinet Atym?
Oſcula ſæpe viro ſilueſtri Delia figit.
Paſtor Adonis erat: placuit tibi Cypria. Sed tu
Non Venus: at dominum montes me & prata fatentur.
Huc ades o Galatea, fretum Galatea relinque.
Linque fretum Galatea, lupis nam linquere cogor
Quæ malè ſunt ſtabulis incluſa armēta, magisq́;
Me tibi, dum rapior. quod ſi ſic improba me me

Deſeruiſſe patet, nec metu linquere pergas,
Iam tandem venias, tandem miſer ita precantem
Huc ades o Galatea, fretum Galatea relinque.
Durior & ſcopulo iactatis ſurdior vndis.
En mea verba ferunt ventoſi murmura ponti.
Nõne igitur tandem has dabitur finire querelas?
Fletibus hiſce modum iã ponere? littora linquens
Sectabor Dryadas Siculis in montibus ipſe:
Tu verò Galatea Acin Galatea per vndas.

Dum Cyclops in retia Pantagiam trudit, Panico terrore perculſus in eadem impellitur, ſoluitúrque ab adueniente Lucretia, quæ captis retibus & feris & hominibus inſidiatur.

Cyclops.

Retia, queis Venerem Martémq; reuinxerat vna
Mulciber amplexos, abſtulit arte Cyclops:
Atque hæc ad valles inter dumeta tetendit,
Cernere ne poſſet Nympha fuganda dolos.
Et iam cum ſocijs medio ſub ſole vagantem
Trinacriæ quærit fallere Pantagiam:
Ergo per anguſtum callem, ambagéſque viarum
Pantagiam occultas trudit in inſidias,
Dum trudit, dumq; illam vrget, tũ forte fatigat
Pan cornu horribili per iuga montis aprum.
Vt cornu ſtrepitu, ardentem auréſque capútque
Senſerunt Nymphæ, ſenſit & ipſe Cyclops,

Vna omnes pariter vano terrore fugatæ
Inuadunt laqueos, & cecidere ſimul.
Nec minus ipſe doli talis fabricator & artis
Nexibus in proprijs ſtringitur implicitus.
Sic quoq; qui taurũ reperit, flammámque, repoſtus
Is prior in tauro ſupplicium meruit.
In lymphas Nymphæ vertuntur, ſic placet almæ
Diuæ, cui ſacer eſt virginitatis amor.
Diffugere cito fluxu, dictæq; fuerunt
Ob fluxum Graio nomine Naïades.
Hamis ipſe faber ſolus retinetur ahenis,
Non pede non illos frangere dente potens.
Brachia iactaſſet: nectuntur brachia, & vllo
Illa modo nunquam poſſe mouere videt.
Fleuiſſet, ſed caſus atrox ſic credidit ipſum
Attonitum, vt nequeat tradere ſe lacrymis.
Ipſum infelicem grauiter dolor atque cathena
Sic premit vt neutrum ſoluere poßit inops.
Iámque ſatis pœnæ, peccatum excedere pœnam
Non deret: Ergo ſatis Cynthia dura fuit.
Venatrix huc forte citum Lucretia curſum
Vertit & euinctum proſpicit eſſe fabrum.
Et blande, quonam Polyphemi maxima cura
Fato, inquit, captus? talia cur pateris?
Tum Cyclops, ne Nympha precor ne talia quæras,
Hoc ſat quod teneor retibus ipſe meis.
Diripe nanque potes, pendentia diripe ferra
Extra nodorum ſunt capita expoſita.
Me miſerum, me ſolue precor pia Nympha, ſoluto

Me miſero efficij præmia magna feres.
Hæc ait, & fletus deformi lumine mittit,
Et gemitum ſociat fletibus ore grauem.
Interea calamos aptat Lucretia ad arcum,
Et canibus fidis cingit vtrumq; latus.
Mox iubet vt famulæ tam immania pondera tollant,
Hæ dominæ parent, ille ſolutus abit.
Diua manu tractans opera hæc Vulcania ſecum
Quòd ſic accepit munera tanta ſtupet.
Hæc capit atque inde hæc per lucos retia tendit,
Inter terribiles imperioſa feras.
Hinc ſibi ſignatum traxit Lucretia nomen,
Nam prius incerta voce vocata fuit.
Ni potius ſit dicta viris quòd ferrea ſemper
Retia dura paret lucibus ipſa ſuis.
Vnde tibi libitum ducis Lucretia nomen,
Me modo non crucies lumine ſæua tuo.
Parce precor, me ſolue precor pia Nympha reuinctum,
Me quoque tu captum, ſi placet, eſſe vides.
Captus amore graui pereo. ſuccurre puella,
Depoſitis calamis mitte puella canes.
Sat tibi ſint oculi vibrantes luce ſagittas,
Sat tibi durities cordis iniqua tui.
Sat mihi quot curæ me tanquã ſpicula pungunt,
Sat mihi quòd rapidus pectore ſæuit amor.
In mea vota animum facilem iam flecte puella.
Depoſitis calamis mitte puella canes.

Faunus Lygidam ſequens in Padum incidit, atque ideo indignatus vites omnes fluuio adhærētes execrationibus appetit, ruſtici ob meri nobilis indigentiam ignauè terram exercent.

Faunus.

Forte per vmbroſas errabat Lygida ſiluas,
Lygida Hamadryadum Naïadumq; decus.
Et ſiluestris erat Faunus ſub rupe cauata,
Atque illam errantem vidit & incaluit.
Affixáſque animo quærens extinguere flammas,
His Nympham verbis dulcibus alloquitur.
O comes o ſemper Phœbi dilecta ſorori,
O pulcra o diua pulcrior Idalij.
Siſte precor, non prata premit nunc Delia curſu,
Retia nunc nulli Delia tendit apro.
Fruſtra iter hoc tentas, fruſtra hæc per prata vagaris,
Hoc dominam luco non reperire potes.
Siſte precor, tua forma nimis lædetur ab æſtu,
Labitur ex æſtu candidus ore color.
Sol medium torret nunc ardentiſſimus axim,
Nunc frontem inficiet feruidus igne tuam.
Siſte precor, dominam hac poteris ſub rupe morari,
Hácque vmbra radios pellere tabificos.

Tu properas ingrata meis tu concita verbis,
Meq; meúmque ſimul conſilium renuis.
Tu properas, ingrata mane, concurrit amator
Faunus, non prædo, non lupus, aut aquila.
Eridanum ne vides? claudit tibi ripa receſſum,
Te pater Eridanus trans nemus ire neg t.
Nunc tibi ſuccurrat fugiens Peneïa virgo,
Et quæ de calamis nomen adepta ſuis.
Cælicolũm metuas ſæuamq; Cupidinis iram,
Te inuitam ſuperi, te fera ſiſtet amor.
Heu miſerũ, quo etiam velox, quo tendere pergis?
Te fluuij numen fluctibus eripiet.
Raptus Hylas a fonte Deæ quò tendere pergis?
Non loca tuta, huius gurgitis ora ruit.
Mollis ad amnem herba eſt, velox quo tendere pergis?
Tu vineam tinges lapſa rubore genam.
Flecte puella pedem: me perdere deſine curſu,
Téq; etiam, celerem flecte puella pedem.
Flecte puella pedem, languentes nos via reddit
Nos ardor cæli Sirius exanimat.
Sic ait infelix Faunus, limóque fluente,
Plura locuturus lapſus humi cecidit,
Inq; ſinum fluuij porrecta fronte labantem
Non ſe continuit, capra licet, genibus.
Illum nunc vndæ famulum ſenſere Lyæi,
Atque inimica ſibi non tetigêre labra.
Senſit & ipſe vndas mento hoſtes eſſe Lyæi,
Et ſubito eiectus flumine liquit aquas.

Móxq; omnem lateri viciniam fluminis vuam
Indignam inſtituit munere Bacche tuo.
Quódque illi immixtam lympham dedit eſſe quotannis,
Indicat ob Nympham ſe cecidiſſe feram.
Hinc nos iuncta ſ ado fugiamus rura coloni,
Non placet ingrato tingere labra mero.
Vel tu quæ Faunum in vites has irritaſti,
Lygida te Fauno iungere non pudeat.
Nunc arbuſta patris Bromij felicius edent
Fructum progeniem qui probet ex Semele.
Tunc hanc per viridem ripam nos voce canora,
pocula dicemus liberiora Dei.
Robore tunc magno validi patria arua colemus:
Nam vires addunt feruida vina viris.

Cum Oceani Nymphis perſonati pueri colludunt, híncque Saturnali anoſtra ſignificantur. At viri aliqui de ludis certiores facti ſumptis puerorũ laruis Nymphas decipiunt. ipſæ compreſſæ tandem ſilent.

Laruati.

Inſulæ Oceani extremis ſpectantur in oris,
Quæ dictæ Graio nomine ſunt Satyræ.
Quòd teneant illas homines qui more ferino,

Viuunt & Venerem ſunt in vtramq; citi.
Quod rufi, quod equorum habeant de clune patentes
Caudas, Euphemus Car prior aſſeruit.
Ibat in Italiam, ſed tempeſtatibus acta,
Huc tandem ventis pulſa carina fuit.
Ipſéque mox rediit, gentiſq; expreßit agreſtis
Ritus & ſedes, multáque quæ latitant.
Fama eſt, quod quondam fido narrauit amico
Hiſtoria, quæ nunc eſt referenda mihi,
Oceani in Satyra coniungitur Amphitrite
Nymphis quæ Pelagi per freta cuncta natant.
Hic Dea magna tenet templum quo pumice ſtructum
Altare in medio eſt, coraliumq; rubrum.
Hic Nymphas, quoties Iani venere Calendæ
Suſcipit ipſa omnes, & choreas agitat.
Forte colebantur ſacri, ludique, diéſque,
Cum pueris pariter ludere cura fuit.
Ligneus erigitur Bacchus ſertiſque corymbi
Et phiala ornatur pondus aſelle tuum.
Veſtibus induti multi muliebribus aſtant
Arte laboratis, & tacite properant.
Vimina circundant alios glaucique papyri,
Et tremula illorum ſurgit arundo manu.
Contectis edera bigis pars vecta triumphum
Carmine concelebrant, & modulante lyra.
Ad Crotalum ſaltant pedites, atq; inde ſequuntur,
Qui nudi in cannis vociferando equitant.

Tympana delectant aliquos & cornua rauca,
Sunt quibus eſt cordi vaſcula ferre humeris.
Et ſæpe ex illis latices haurire cruentos,
Atque ipſum ex illis fundere ſæpe merum.
At quamuis diuerſi habitus, cuncti tamen ipſa
Frondibus ora tegunt corticibúſque cauis.
Qua parte expirant nares, & lumina cernunt,
Signa ibi ſunt aptis facta foraminibus.
Talem vultu formam aſſumunt, qualis amictus
Qualis & ornatus corporis eſt reliqui.
Namque ſenes ſi qui referunt, promiſſáq; barba,
Magnáque ſunt iſtis fronte ſupercilia.
At perſonati ſub imagine virginis aptant
Ad roſeas crinem flauáque vincla genas.
Poſtquam ducta ſatis eſt pompa hinc inde, niuoſũ
Aſcendunt montem, qui ſacer eſt Genio.
Componúntque globos preſſos palmíſque volutos,
Séque petunt gelidis per coriletа pilis.
Huc quoq; tendebãt famulæ maris, aſt vbi laruas
Viderunt, trepidæ corripuere gradum.
Siſtite, conclamant pueri, colludere gratum eſt,
Vobiſcum, placidæ ſiſtite quæſo Deæ.
Nos ſumus imbelles, validos horrete parentes:
Integer eſt nobis & ſine fraude animus.
Hæc referunt, ridéntque ſimul frontéſque ſerenas
Denudant: illæ cùm ſociis remanent.
Poſtera ſurgebat croceo lux aurea cælo,
Iámque parum igniferis aſtra fugarat equis:
Cùm ſubito natu maiores ſe quoque miſcent

Ipſis cum pueris in niuibuſq; manent.
Crura latent tantum, & parui ſic eſſe videntur,
Nam vultus laruis & ſenium tegitur.
Cum his Nymphæ pariter certant, & ſæpe latentem
Incautæ ad penem confugiunt manibus.
Siluestres homines ſtimulis agitantur a...tu,
Vixq; furore acti diſſimulare queunt.
Tandem conatu nudarunt membra virili,
Nec potuere diu ferre retenta nimis.
Incurrunt in eas: intenſóque inguini equino,
Vt validis multæ ſuccubuere viris.
Et Clytie, & Panope, & Chryſo, & Laomedea,
Atque Erato, atque Actæe, atque Thoe, atque Sao.
Metiſque, Doriſq;, Pheruſaque, Callirhoéque,
Innumeræq; aliæ, quas memorare piget.
Hæ primum attonitæ, mox clamant vocibus altis,
Sed poſtquam noſcunt dulcia furta, ſilent.

Poſt-

Poſtquam Satyri Nymphas Arcadiæ flectere nequeunt, ſe Latium petituros ſimulant. Nymphæ imprudenter in fontem ingreſſæ, mox fugatæ in diuerſas formas tranſmutantur. Satyri omni ſpe deſtituti in Latium tendunt.

Nymphæ.

Nympharum cùm ſæpe dolis agreſtia Panes,
Numina deluſi, Satyros in montibus altis
Arcadiæ, nemorúmq; deos, pecudúmq; magiſtros
Conuenere ſimul, cunctiſq; ſilentibus ora
Sic ſenior ſoluit; Quòd nos gratiſſima Baccho
Turba diu nimium Nymphis ſpernamur ab iſtis,
Non decet o ſocij, capientur fraude reperta.
Nec tentanda via eſt, qua noſtris viribus vnquã
Vt potiamur eis, etenim metuentibus ipſis
Inſidias Faunùm, ſtat ſemper Delia Nymphis
Iuncta, vel in liquido dum tingit candida fonte
Membra, vel in luco cingit cùm retibus illum,
Hincque canes arcúſq; Deæ celereſq; ſagittæ,
Atq; illinc metuenda patent Actæonis ora.
Quod ſi cùm miſeri ſæuo flagremus amore
Nos loca noſtra procul fugientes linquere velle
Dicamus, cæciſque ſimul verſemur in antris
Occluſi, facilè nos hinc abijſſe putabunt.

Non timide in ſiluas veniunt, ſperantq; Deum
Tutæ tandem: illaq; ſibi ſic recta tendens.
Quare agite o comites nunc alias ite per agros
Vt nemora, vt montes nobis linquenda, canoris.
Vix ea dicta dedit cùm frontibus annuit omnis
Siluanum chorus iſta canens diuerſa per arua.
Vrimur heu triſtes pariter nec deſinit ignis,
Vtque leues ſtipulas calamos crepitantibus vrunt
Agricolæ, ſic noſtra ſuis hæc pectora flammis
Nymphæ, nec meritò, torrent, quærúntque ferocia,
Has licet vt cythiſum florentem capra ſequantur,
perdere nos animo, qui quàm plorauimus illas
Crudeles nimiúmque feras noſtríque doloris
Et fidei immemores, teſtantur paſcua, fontes
Antráque quæ noſtras referebant ſola querelas:
Teſtantúrque cauæ rupes, ſiluæq; ſilentes,
Auctáque noſtro ſæpe fluenti flumina fletu.
Atque rigata diu campis florentibus arua.
Hæc quoque mota ſatis nemoroſa cacumina noſtro
Hoc gemitu teſtes, & mollia reddita noſtris
His lacrymis hæc ſaxa, licet ſint aſpera: ſed ſi
Aſpera, non veluti ſunt hæ ſunt aſpera Nymphæ.
Teſtes hiſce etiam ſtupefacti vocibus agri,
Immanéſque feræ flentes, viridéſque lacerti,
Teſtis & ipſe aër toties turbatus, & ipſe
Eurus, qui rapido non pellit turbine cælum
Flamine cùm noſtro grauiore repellitur Eurus,

Cùm tamen huic fera corda nimis, nimis impia
corda
Has mage dum ſequimur, properent, fugiántque
ſuperbæ
Nos magis, atque magis, iuga nos quoque noſtra
viciſſim
Linquemus querenda nouis noua pabula cãpis.
Et noua vos pecudes quæretis pabula, vel vos
Hinc ſine Siluano multos errabitis annos.
Nos patria egreſſi, nos his e dulcibus aruis
Nos durum per iter, pérque horrida ſaxa fugati,
Vt loca forte minus nobis iam forte moleſta
Dent meliora Dei, Saturnia regna petemus
Hinc trans Aſopum cuncti Bœota per arua
Eumeni rapidos fluctus, Acheloon & altum
Pertranſire iuuat. nec iam Calidonius amnis,
Sed frangendus erit curſus refluentis Arachthi,
Atque per Epirum vicina Ceraunia iuxta
Chaoniam haud tuſo greſſu tranſibimus alpem,
Per Macedum fines, montanæ nos iuga feſſos
Dalmatiæ, rupéſque cauas, & prata ſinúſque
Illyricos penetrare decet, ſuperandáque nobis
Albani ſaxeta fori, multiſque vetuſtæ
Vallibus Heſperiæ, fluuiiſque ſubinde relictis
Nubiferi dorſum luſtrabimus Apennini.
Et freta Tyrrheni ſpectantes, littore ab ipſo
In loca Saturni tandem tendemus, & illic
Non Pholoe noſtros quæſtus, non Nonacris, at
nos

Ianiculum fruſtra calamos inflare videbit.
Audiet & collis, quem fama eſt eſſe refertum
Viminibus, Fauni, Echo reſonante per agros,
Non Ladonis aquæ, non Alphei, aut Erymanthi,
Sed ſaturæ valles, ſonitúque per ima recurrens
Vfens ante graui, ſed fontis ſtagna Nemici
Sufficient potum gregibus, noſtrumq; dolorem
Comminuent. ſic iam poterunt percurrere ſaltus
Parthenios Nymphæ, gelidáſque ſubire latebras
Cyllenes, nullis turbatæ queſtibus vnquam.
Interea teneris iſtarum inciſa ferarum
Arboribus, dum ipſæ creſcent, vos creſcite ſigna.
Hæc ait, atque locus ſubito ſe immittit opertus,
Et iubet ex illis Faunum ſeruare quid illæ
Conſtituant ſociiſque iubet qui cuncta reportet.
Tunc vero nemorum Diuæ audiuere querelas
Et voces Satyrum turbæ ſtrepitúmque fugamq;.
Nec ſimulare fugam credentes, viſere ſiluas
Incipiunt hilares, Triuiámque relinquere tandem.
Senſerat interea ſpeculator fontibus imis
Valle ſimul Nymphas ſpatiáſque repellere ſolis
Ardentes radios æſtiúſque fugare calores.
Nuntiat id cunctis: ſtatuunt tunc ordine certo
Quæ loca quiſque petat. ſed quæ non dulcia amaris
Miſcet amor? quæ tuta ferus non denique turbat?
Nam cùm ſiluarum diuæ venere, choreas

Ducentes, tunicáſque leues demittere gaudent:
Vix aliquæ illarum fontes inuadere tentant,
Cùm ſubito properans tardo Silenus aſello,
Omnia quem pariter ſtulti nouiſſe putabant,
Improuiſus ait: quò quò nunc Arcades heus oh
Ecquid erit? retinent quæ vos nunc prata ſinúſque?
His miſeræ dictis, magno terrore trementes
Obſtupuere Deæ, partimque recedere quærunt
Clamantes, partímque ſuis ſeſe abdere velis
Semianimes, vario commotæ corporis actu.
Haud aliter quàm ſi contortis orbibus angues
Vere nouo linguis lambant ſe in lumine Phœbi,
Exuuias inter veteres, & forte viator
Illos percutiat, fugiunt & ſibila vibrant
Nonnulli, remanéntque alij capita alta tumentes
Attoniti. Velutíque lupum cùm territa cernunt
E ſtabulis armenta ruunt, tamen inſcia ſæuum
Currere contra illum, dubiis agitata periclis.
Non ſecus & Satyri viſo procul impete magno
Sileno, celeres properant, omníſq; relictis
Turba ruit cæcis antrorum ſedibus, atque
Mox timet an potu nimio mage corruat, illos
Impediens Nymphiſq; etiam mage noxius: at iam
Sic procul heus inquit vino grauis, ebrie greſſum
Siſte nec hinc illas doliturus trudere tentes.
Audiit hæc triſtis, Bacchóque accenſus & ira

Quadrupedante fugat Nymphas, ſequi arripit illuc,
Hic mora nulla, fugit, ſtrepitat, prorumpit in antrum,
Vociferãs, nectarque bibit maleſanus & omnes
Accuſat Satyros, illum quòd ſpernere poſſint
Quem nemus omne colit, nemorum quem maximus ipſe
Liber amat: dúmque hæc memorat deſcendit eque flens.
Et proſtratus humi, viridique in gramine feſſus,
Propter aquas leni labentes arua ſuſurro
Ilicis ad ramos reſonantes vndique pictis
Alitibus, Zephyróq; leui ſpirante ſub vmbra
Se locat, atque alto premitur dulcíq; ſopore.
At dij ſilueſtres per florida currere prata
Cùm illas proſpiciant quas ſe retinere putabant,
Accelerãt greſſúmq; citant, blandáque ſequuntur
Voce illas: nec ſic diſruptis retibus alto
Venantes ſtrepitu percurrunt arua feraſq;
Sectantur validi, Nymphis fugientibus vt ſunt
Hi nimis infeſti, miſeræ ſua fata, fidémque
Incuſare ſuam non ceſſant, atque queruntur
Vt volucres ſoli nimium cælóque ſereno
Confiſæ, & ſubita demiſſa grandine, pennis
Diſcuſſis, madidis & toto corpore fractæ.
Dúmq; vident Satyros aliquæ & pia numina nullis

Implorant lacrymis diuûm pietate ſolutas
Fontibus hærentes imis (ſi credere dignum eſt)
Neſ unt ſe in lymphas, indutæ piſta liquunt
Vel ſugæ ſtudio, & membris ſpoliantur, & aura.
Hinc varia herbarum forma varióque colore
Prata virent, aliis ob virginitatis honorem
Dum ſe præcipites demittunt, terra dehiſcit.
Abſorbetq; illas, remanent decora alta comarum
Quæ campos virides diuerſis floribus ornant.
Hæc vbi ſiluarum domini videre querelas
Ingeminant, ſonitumq; ferunt ad ſidera voces,
Illarumq; premunt curſum clamore per auras,
Ocyus & vento & telis, atque ocyus igne
Concurrunt, ictúque pedum gemit excita tellus
Dum nonnullæ etiam valida radice tenentur,
Effundunt vitam & gemitum & dum brachia tollunt,
In ramos conuerſa virent, frondéſque capilli
Et folia euadunt, dureſcit cortice corpus.
Ac quædam illarum curſum cum voce repreſſit
Ad montem, & terræ foueis ſe abſcondere quærens
Eſt ſpelunca cauæ paulatim reddita rupis.
Quæ quoque nunc lacrymans in clauſo perſonat antro.
Cùm multis etiam Siluani ſcindere vela
Candida cepiſſent, quarum ſua iungere vellent

Pectora pectoribus ſ[illegible] ampl[illegible]i marmora cernunt.
Nã co[illegible]ſſe [illegible] trepidas & ſ[illegible]e viri[illegible],
Pall[illegible]t [illegible] remanent ſtupefactaq; agmine F[illegible]
Mirantur ceu ſæpe ſolent a[illegible] q; co[illegible]éſque
Inter mille ne[illegible]es [illegible]tis cernere certæ
Luminibus: ſed dum v[illegible]ſtes animamq́; relinquũt,
Et gelidus currit circum præcordia ſanguis,
Atq; in corde vigor reſidet (mirabile viſu)
Membra, modo fuerant quæ moll[illegible], ſ[illegible]xea fiunt.
Illa tamen retinent venarum ſigna g[illegible]ue
Extra perpetuum illis eſt, ſed viuida virtus
Interiora fouet, fractiſque extruditur illis.
Sunt aliquot pariter quæ nũquã ſiſtere, nunquam
Vertere ſeſe audent, atq; vſq; ad litora Ponti
Currunt Arcadiam linquentes, atque per vndas
Feſtinant, Pelagiq́; Deæ redduntur ab vndis.
His ita mutatis, harum ſunt nomina ficta
Naïades, Dryadéſq;, Hamadriadéſq; Napeæq́;,
Et dictæ Nereides vdæ, & Oreades altæ,
Numina diſsimili & conuerſa ſede locata.
Poſtquam vero omnes varias ſumpſiſſe figuras
Dignoſcunt Satyri hic lapides procũbit in albos,
Illius herboſos perſtringunt brachia campos.
Ter multi vitream conati tangere lympham,
Ter fruſtra miſere manus, dum fugit, in illam.
Innumeros etiam frondes laniare videres,
Exire e ramis tepidum cum voce cruorem,
Et cum fletu illos ingenti reddere voces:
Verbaque præ nimio fletu retinere coactos.

Oſculáque arboribus lacrymis madefacta tenellis
Figere: ſed Nymphas cùm iam ſat ſæpe vocaſſent,
Talibus incuſant verbis pia numina cæli.
Siccine fata nimis dira & crudelia demum:
Sic & iniqua ſolent tandem contingere? nã nos
Si violare Deas nemorum tentauimus, ipſæ
Quid meruere Deæ? nobis ſumenda nec illis
Supplicia hæc fuerant: at vero perdere tantum
Has Nymphas credebat amor, ſed perdidit vna
Ruris delitias eiúſq; potentia ſecum
Corruit, & ſiluæ lugent & pabula, & amnes
Hîc igitur ſuperi ſine amoribus omnia ſordent,
Et ſine nos illis vitam finire iuuabit.
Sic fati ſolidóſq; pedes villíſq; refertos,
Ipſorum aſpiciunt, & tandem ſumere cunctos
Inferiora capræ: tum ſic vertuntur, vt inde
Hos pateat, veluti cedentes robore nullis
Terrarum dominos omni ditione potentes:
Sic Baccho & Veneri totos ſe tradere, ſicque
Ignibus aſsiduis ardentes, vináque ſemper
Appetere, vt capræ, quæ ſemper vitibus ipſis
Sunt infeſtæ, & eas nunquam ſinit arida febris.
Quod niſi diui eſſent, mutati corpore toto
Non hominis formam ſeruaſſent: attamen illi
Cornua fronte gerunt, capiti quæ Iuppiter vllo
Non dedit humano. Satyri cùm talia cernunt
Capripedes, ſtatuunt ſe velle relinquere montes
Inuiſos: patriæ nomen transferre petentes,
Quæ loca, ſed fictè, cantabant eſſe colenda,

Ad Tiberim, properant, cuius loca celſa vocarunt
Arcadiam, quæ quod tenuit tunc hoſce Latentes
Dicta fuit Latium mox: ſuntq; palatia ab illis
Dicta Palatinum, donéque leuare dolorem
Quærebant calamis, & potu pellere curas:
Hos pater egregios vates dedit eſſe Lyæus,
Et quoſcunque forent qui illorum more poetæ,
Et ſeptem colerent canentes carmina colles.
Horum Romulidæ quoque ſunt ab origine dicti,
Durum hominum genus & validum ſuperare ſuperbos,
Imperium ſine fine ſuis extendere factis.

Herculem puella deperit ab illóque neglecta præ nimio ardore in Rhopalon reſoluitur. Herbæ nodoſa radix clauam præ ſe fert. Flores autem, & folia, amoris, & caſtitatis ſunt ſymbolum.

Rhopalos.

Liquerat Alcides Thebarum mœnia, magnum
Cùm iuueni vellent fata parare decus.
Dúmque caſam peteret paſtoris forte ſub antro,
Vt vidit, periit candida Nympha Deum.
Nam licet illius ſenſiſſent pectora nullum
Vulnus adhuc, vulnus ſuſcipit illa tamen.

Sæpe etenim riſu cùm deſpexiſſet Amoris,
Tela, puer tandem tela tremenda iacit.
Hancq́; ferit celeri lætus ſub corde ſagitta
Aduentaſſe diem cùm ſciat ipſe puer.
Illa domum properans in qua eſt Thiryntius heros
Introit atq; oculis fallere tentat eum.
Inſidias omnes diſponit, deniq; blandos
Sæpe offert vultus, ſæpe reflexa ſilet.
Torquet in Alciden flammas, dum voluit ocellos:
Et vaga dum riſu lumina figit humi.
Alcidæ paſtor cùm vellet tradere truncum
Quo poſſet tuto dilaniare feras.
Nympha gerit clauam quæ quanquam pondere magno
Hanc premit, huic tamen eſt reddita amore lenis.
Dumq́; dedit clauam, gemuit, taciteq́; precata eſt
Vt Nymphæ miſeræ iam miſerere velit.
Aſt ille intendens ſæuum ſuperare leonem,
Non putat aut cernit quid velit illa ſibi.
Hanc neque reſpiciens abit: at ſic ſola relicta
Se inuiſam credens Amphytrioniadæ:
Incipit ægra locum primo contemnere mœſta
Percurrit ſiluas, cæca per antra ſedet.
Ah quoties edit gemitus, atque implet obortis
Mœſta ſinum lacrymis dum quatit illa manus.
Ah quoties nimiis ſe perdit ſola querelis,
Et ſe dura ſuis fletibus exanimat.
Ah quoties manibus molles laniata capillos

Inq; ſinum ſæuit, ſcindere viſa genas.
Flebilis illius reſonat vox ſemper in antris,
Illius ad gemitus ingemit aura leuis.
Sole ſub ardenti, tenebris vel nocte coactis,
Mœrori ſemper ſe dedit illa ſuo.
Nec fugiente die, nec decentibus vmbris
Diffugiunt animo vel dolor aut lacrymæ.
Sed veniente die, ſed decendentibus vmbris
Aduenniunt animo tum dolor, & lacrymæ.
Infelix, & ſæpe trahens ſuſpiria ab imo
Pectore ſic ſecum ſæpe locuta fuit.
Me miſeram, tandémne mei miſeratus amorem
Hic ferus hic, quem ſic hinc abiiſſe iuuat?
Hunc iuuat vt peteret lacerandi luſtra leonis,
Vitæ ſubſidium deſeruiſſe meæ?
Quàm benè conueniunt huius moréſq; ferarum?
Hic ſimul atque feræ quàm bene conueniunt?
Impius eſt ſcopulis, non ſummo eſt ab Ioue natus,
Tygride de ſæua eſt editus Armenia.
Ah pereat quicunque cupit liquiſſe puellam,
Cuius in amplexu viuere digna fuit.
Nam licet Alcides ſupremi ab origine patris
Robore vel ſummo tu deus eſſe velis:
Non ego ſum pecudum cuſtodis nata parente:
Siluarum dominæ Phœbæ ego cara fui.
At mihi quã ſatius fuerat nõ perdere Daphnim
Sit licet is paſtor, ſis licet ipſe Deus.
Atque preces pulcri non irriſiſſe Lycotæ,
Munera non Lini, carmina non Doridis.

Cur potius molles non duxi nuda choreas,
Dum canerent Clio, dumq; Napæa mihi.
Frondéque ſub viridi frontem redimita mitella,
Ad calamos terram cur pede non pepuli?
Nunc vero quid agam, ne tela Cupidinis obſint?
Quid faciam, miſeræ quæ mihi conſilia?
Iſmenum ne petam? quæram ne immergier vndis
Fluminis in fluctu depoſitura facem?
Te ne ego luſtrabo, percurrens antra Cytheren?
Attica vel potius littora ſola petam?
Quid loquor ah demēs? locus eſt tibi nullus, abibis.
Aſt erit ille comes, téque ſequetur amor.
Non alæ, non arma iuuant, non vncta carina,
Te tenet ille potens, te ferit ille ferus.
Túque foues illum gremio, tu vulnera ſentis,
Si fugias etiam pectore vulnus ales.
Ergo mihi tandem cùm ſpes ſit nulla ſalutis,
Ni tu ſis columen præſidiúmque meum:
Quæ mihi tu rapis Alcide, vitámq; animámq;,
Ni vis diſperéam, redde mihi exanimæ.
Venti verba ferunt. ſaltem miſerere puellæ
Quam periiſſe tuum perfide crimen erit.
Iam redeas iam flecte pedes, iam perfide noſtra
Perfide ſuſcipias languida membra ſinu.
Sic ait & duplices mittens in pectora palmas
Ingemit, & cupiens dicere plura ſilet.
Feſſáque cùm nequeat flammis maleſana mederi,
Concidit herboſo ſemiſepulta toro.
Et dum alium quærit viſu ſibi fingere amantem,

Hercule deſpecto non minus ardor ineſt.
Vritur infelix intus, victorq; Cupido
Ignibus incluſis interiora tenet.
Purpureus veluti floris ſub lampade Phœbi
Decedit nimio preſſus ab igne color.
Non aliter nimium ſæua combuſta Dione
Decidit illius forma decúſq; genis.
Vertitur in cineres coma: fit mox hiſpida fronte:
Luminibus tortis horrida, ſicca labris.
Singuláque euadunt pallentia membra puellæ,
Altera paulatim corpore viſa fuit.
Tum ſociæ querunt tanti quæ cauſa doloris:
Altera cur ſit ſic ipſius a facie.
Cùm vero noſcat ſenſim decedere vitam
Herculis ex igni ſe periiſſe refert.
Hic nequeunt oculis nimium retinere dolorem
Naïades teneras inter Hamadryadas.
Nymphæ namq; gemūt caſum & crudelia fata,
Quòd cogánt illam funera acerba pati.
Et modo cælicolas incuſant, turgida velo
Lumina tegentes candidiore manu.
Et modo ſuſpiciunt atque orant ſidera vt illi
Auxiliatrici dextera ſint radio.
Dúmq; dolēt Nymphæ properātis ad vltima vitæ
Fata ſuæ finem, ſoluitur in lacrymas.
Et ſimul ipſa faces intus nutritque fouetque:
Sic illis humor deficit, his anima.
Herbaque fit tandē, commixtáque pluribus herbis
Vix inter multas noſcitur ex aliis.

Noſcitur illa tamen quòd lymphis irrigat arua,
Et fluit ipſe locus lætior ex lacrymis.
Quamq; tulit, retinet nodoſæ robora clauæ
Radice intorta, dicitur & Phopalos.
Noſcitur inde magis maciem quæ floribus ipſa
Non ſimulet vultus pallida & atra ſinus.
Et croceos etiam dum mittit ſæpe colores
Indicium febris ſignaq; amantis habet.
Quodq; animo tulerit conſtanti Cypridos ignes
Interit haud unquam, perpetuóq; uiret.
Notáq; poſt etiam quòd quilibet ore momordit
Hanc, Veneris nunquam dulcia furta ſciet.
Hãc fugiũt Satyriq; & agreſtia Numina Fauni:
Siluanum non hæc, hæc neque Pana tenet.
Sed properant Nymphæ foliis innectere crines,
Floribus ex variis & tibi ſerta parant:
Nam quæcunque fouet caſto ſub pectore flammas
Tempora deuincens hanc colit atque legit:
At quoniam periit cupiens Ioue vincula nati
Coniuge non tanto digna puella viro:
Ne tu auidus nimium excelſo flagreris amore
O quicunque Deas in tua vota cupis.
Illicitos nam forte toros ſi poſcis amatæ:
Cogeris nimio toſtus amore mori.

Pitys per montes Boream fugiens, ſuperuemente nocte, & ſomno a Cupidine miſſo ſopita, ab amatore qui ex Apchote eius intellexit concubitum interimitur Deorúmque pietate fit Pinus.

Pitys.

Per acuta montium ſaxa, per auia nemora
Trepidante ſola virgo Pitys & pede celeri,
Boream dolo relictum fugit: illius etenim
Gelidus licet, decôrem hauſerat igne repoſitum.
Et amore percitus fallere percupidus eam,
Varia reuoluerat, ſed neque fraude, neque minis,
Neque blandulis puellam precibus capere potens,
Animo furente conuerſus in iram, ita loquitur:
Tibi ne eſſe ſic poteſt hæc muliercula domina?
Tibi concitare cui vis ſonum & æquora pelagi?
Tibi peru caci ab altis fluuios trahere iugis?
Tibi quo caua antra? quo & acuta cacumina
boant?
Licet hæc ſuperba quid Para ſequi videat eam,
Tamen arrogantiorem hanc rigidos prope lapides
Rape, percute, ange, vexa, rape, percute, crucia.
Tegeæus igneus, maximus a Ioue genitor,
Genitor ſit, igneus ſit, tremebundus is etiam
Glacie tua, ipſe contra genita omnia reſecas.

Roſeus

Roſeas tamen genas, candidioraq́; niue, ius
Lacerare membra? quis te furor incitat animæ?
At at illa fugit ſupplicio ſine merito?
Placidus in hanc eris ſæuus in omnia Boreas?
Dum ait hæc amore nec non rabie ſimul agitur.
Veluti ſecuta tigris ſua pignora fremitans
Quod eam relinquerent: ira paternáque pietas
Dubiũ inferũt, graue anne impetat, anne remaneat
Vbi Phœbus inferos quadrupedantibus adijt,
Feriuntq́; fulgido ſidera lumine tenebras:
Et vbi dehinc vide laſſula, quæ loca petiit
Nimio ſoluta curſu, tremefactaq́; nimium,
Faciem ſignumq́; gemens flentibus irrigat oculis
Et in aurea coma complicitis quoque manibus:
Trahit hæc ab intimo pectore verba miſeriter.
Vt ab omnibus procul gentibus aſpera iaceo
Prope ſaxa, vt hæc citum in luſtra pedẽ fera tetuli.
Vbi & a quibus licet præſidium petere mihi?
Aliquam ne opem mihi bellua monticola feret?
Patriam in meã redibo ipſa vbi ſim inſcia penitus?
Vbi dulcis o mea domus lacrymanda viduáque?
Vbi dulcis o mea mater, Dryades vbi ſociæ?
Vbi iam eſtis? obſerabit mea lumina digitis
Piane mulier? erone mortua condita tumulo?
At erunt mihi ferarum fera corpora tumulus.
Sed vt hinc, & hæc monſtra ſimul truculẽtia fugiã,
Boream ſequar trucem ſæuo credita domino?
Ego per agros, ego per ſplendidulum ſolita lacum,
Ego vitreæ decus aquai, ego graminibus honor,

Ego flos puellularum placida & tenera ſatis,
Ego Deliæ comes, eius choreas agere ſciens,
Rigidum ſequar Deum per Rhodopes iuga niuibus
Redimita? Caucaſum ſidera qui ſuſtinet humeris
Rigidum, vel inſularum potius ſtabula colam.
Quibus Aeoli inſtrepunt cæco carcere famuli?
Miſera, ah miſera gemo, nec mihi conſilij aliquid,
Quid agã? Quid in his vmbris? o qui me rapiat &
Moribũdã in vrna cõdãt. ſuper his magis etiã (hĩc
Lacrymatur: atque mox verbera, verbaq́; pariter
Geminant. Felices horæ quibus eſt ratio breuis.
Nã vbi Pan videt querentẽ hanc, ſubito affuit hi-
Facie, micanti cornu, & radiãtibus oculis. (lari
Superatur hæc tandẽ. antra ingrediũtur in eadẽ
Tamen ipſa fingit metuens, nequeamãs: amor itaq́;
Animo ferens id ægro, repetensq́; memoria
Inimicam ei fuiſſe hanc nimiũ, ferus animo
Volat e Cypro ſua, aduerſaq́; littora Lyciæ
Nemoroſæ, & inde pergens freta Carpathia ſinit,
Metuenda nauitis, hinc Gnidos oppidumq́; Iouis
Celebrata centum, iſtinc Lydia dextera fugiunt.
Et ab alto transvolans Aegei æquora tumidi
Patriã Thoãtis Lemnũ ingreditur, ſaxaq́; ſuperat.
Vigilem eſſe eũ atq́; vittatũ etiã iuuat, etenim
Melius ſoporẽ adijt, ad quem is ita ora reſoluit.
Placidiſſime ſomne, qui cuncta tenes veluti & ego:
Humilibus & altis idẽ: o domitor deûm & hominũ,
Mare nauigante nato, & Phrygia ad latera Aſiæ,
Pete Pana languidum, qui iuga ad Arcadica iacet.

Caput illius preme ſic, vt ſua numina minime
Boream a puella iniqua mihi pellere valeant.
Ego reddidi ſemper Paſitheam tibi facilem.
Etiam iſta iã attuli (vnguentaq́; odorifera dedit)
Genitricis eleganti mihi compoſita manu.
Age nunc abi citus, ſic te perpetua quies,
Tenebræq́; ſempiternæ atque ſilentia foueant.
Capit ille iuſſa magni Veneris pueri, & adeſt
Subito ſuper Dei tempora: concutit in ea
Liquidũ papauer, & Nympha cadit pariter. vbi
Sibi proximũ leti conſciũ accipere videt,
Iterata poſt baſia lumina his ſopor operit.
At ab alpium receſſu in freta ſe intulit Aquilo.
Etenim ex eo quod arſit, gelidũ mare petijt.
Penetrauit illud vt flatibus impeteq́; ſuo,
Face liber eſſet: at incendia ſuxit ita fera,
Ita lãbit igneã nymphã, ita ſpiritũ adhibuit:
Vt aperiat licet guttura; ſpiret & abeat
Sub aqua algida, nihil enim deniq; proficere queat.
Amor improbe quî Deorum etiã pectora penetras?
Ferus hic adire cenſet tumidã Pityn iterum:
Iterum precari eam ſupplice voce miſeriter.
Sed Apeliotes illum excitat, atque aperit vti
Pitys antra propter Arcas nemorumq́; Deus erãt.
Fremitat Boreas noua ob hæc nuntia talia referẽs:
Vt agitur, haud opus quod mihi tympana retonent
Strepitantia, & querula cornua, cornua querula
Tua Liber arma, nam ſum pater Ogygius ego,
Ego ſum impetu Deorum Berecynthia genitrix.

Ego manas, ego furor ipſe, at quid hæc mora trahitur?
Age, diſsipa, atq́ nec mox ſequitur, rabidus ita eſt,
Igitur citius Pitym ſaxa per aſpera lacerat.
Superum hæc pietate fit Pinus, & ingemit hodie
Aquilone flāte, quantū horridus ille, memor adhuc.
Deus o Riphæe, Mæotice, Hyperboree, Scytha:
Gelide, niuoſe, rapaciſsime, ſaxifrage, ferox:
Rabie potens, potens grandine, fulgure, tonitru:
Deus o vagum domitans aërem, & horriſona freta:
O Aquilo, o Arctoe, o ignifer, o nemorivage:
Procul a mea pinu ſit furor iſte tuus: abi.
Tibi ſat ſic alterum eius ramum impetere diu.
Procul a mea ſilua ſit furor iſte tuus: abi
Alias in arbores: i, atque aliud nemus agita.

GABRIELIS FAERNI.

IO. MATT. TOSCANVS
de Gabriele Faerno.

Calliope legeret numeros cùm forte Faërni,
Emerſitne mari Comicus Aſer? ait.

IN LVTHERANOS, ſectam Germanicam.

Bataue Apollo, voſq; Saxonum Muſæ,
Quæ montibuſq; ſaltibuſq; Germanus
Raucos cietis barbaro ore concentus:
In veſtra me vireta, & auias rupes
Deducite Deæ: ſinite quæſo vt adſcribar
Illi beato, & vndecunq; felici
Germanicorum cœtui poëtarum,
Qui nullam aquam Aoniam ebibêre, ſed multo
Venas hiantes cùm mero repleuerunt,
Tunc ructuoſo pectore abditos ſenſus
Vomunt, poëticámque crapulam exhalãt.
Lauros, & ederas buxeumq; pallorem
Illis relinquunt, quos labori, & ærumnæ
Studium parandæ æternitatis addixit.
Ipſi æſtuoſam pampinis coronati
Frontem atque multo tempora vda ſudore
Inter cachinnos, quos Lyæus exciuit
Crebróſque cyathos pingue carmen eructant.
Læta omnia illic: annuo recurrentum
Ieiuniorum vbiq; more ſublato,
Et triſtium obſeruatione menſarum,
Potatur eſtur quidquid attulit lauti
Conuiuiorum delicata libertas,

Id omne porro euomitur: additur rurſus
Quod rurſus euomatur: vt nouis porro
Ingurgitationibus locus detur:
Ceſſere totis ceremoniæ templis
Ritusq́; vani, & ſanctimoniæ triſtes.
Clauſtrisq́; fractis ædium ſacratarum,
Vbi ſterile æuum caſtitate traducens
Peccata populi ignaua turba mandebat,
Hinc virgines ſacræ, inde cælibem vitam
Mares profeßi, rupto inutili voto,
Grata inuicem connubia, & toros iungunt.
Immanis ille terror inferûm ceßit,
Et ignium voraciúmque flamarum,
Quæ morte functos expiare dicuntur.
Iam ſcrupuloſam pœnitentiæ legem,
Sua quenque vitia quæ iubebat humanas
Vulgare in aures, publicè abrogauerunt.
Bene ac beate vitam agunt: nihil peccant,
Fato feruntur: ſi quid accidit noxæ,
Fato imputatur, lege viuitur nulla,
Per otium, per gaudia, & voluptates
Cælum paratur, anxia illa tolluntur
Opera atque merita, quosq́; vulgus inſanum
Subit labores, vt ſuprema poſt fata
Superûm beato perfruatur obtutu,
Tanquam illa ſumma ſempiternáque arcana,
Et præmium felicitatis æternæ
Quisquã aſſequi labore poßit humano.

Ad Homobonum Offredum medicum Cremon.

Qvum tua torqueret grauis inteſtina lapillus,
Egeſtæ ſalſus qua fluit humor aquæ,
Obſtructámque viam & clauſos vrina meatus
Vreret, & vetitum crebra cieret iter,
Ipſe autem tanto victus fremeres mugitu
Quum tibi veſanus ſolueret ora dolor,
Quantum nec Siculi gemuerunt ſæua iuuenci
Æra, repertorem condere iuſſa ſuum,
Iamq; tibi extremum properarent rumpere filum
Fata, & vitalem præcipitare colum,
Redditus es nobis medijs e faucibus Orci
Offrede, artificis dexteritate manus:
Quæ tua Pæonio penetrans in viſcera ferro,
Immite extraxit letiferumq; malum.
Quod nulla remedi vi, nulla quiuerat arte
Leniri, nullo ſiſtier auxilio.
Nam quæ non tentata tibi præcepta medentum?
Ars tua inexpertæ quídue reliquit opis?
Nil herbæ, nil ſaxa tamen iuuere ſacérue
Sulphureæ epotus profuit amnis aquæ.
Combuſtúmve vitrū, aut multo lepus aridus igni,
Aut verſus tenuem ſcorpius in cinerem.
Calculus aut vtero quem ſpongia continet vdo:
Quiq; Palæſtino mittitur orbe lapis.
Hircinúſve cruor, ſterilíve infame veneno

Aſplenum, & vili reptile gramen humo.
Aut alui duræ aſparagus lenitor, & inter
Saxea radices littora batus agens.
Aut hydris inuiſa adiantus, quodq; trahendis
Struthion vrinis vtile virus habet:
Quæque alia huic peſti medicamina publicus vſus
Admouet, inuentum quæq; fuere tuum.
Dum medicinam omnem euoluis, dum cura tui te
Naturæ medicas vertere cogit opes:
Acribus illa modo, modo lenibus vſa medelis,
Nunc mediis, ſiqua vinceret arte malum.
Indomiti ſed iam vis morbi, effrenaq; peſtis
Viciſſet, iam tu flebilis vmbra fores.
Ni ſuperis (certe ſuperis monſtrantibus ipſis)
Docta ſalutiferam dextra tuliſſet opem,
Quæ tua Pœonio penetrans in viſcera ferro
Immite extraxit letiferumq; malum.

In Maledicum.

Impura lingua, quæ venenis illita,
Imbuta felle noxio,
Graues ſuſurros ſpargis, & ſermonibus
Amara miſces toxica:
Conuitiorum quis tuorum vnquam modus,
Quis terminus probris erit?
Quæ finis impudentibus calumniis?
Quibus impium virus vomis
In omnium aures: inclytámque principum

Sceleſta famam vellicas.
Iam nulla legum te refrenant vincula:
Nulli coërcent obices
Timoris, aut pudoris, aut æqui, & boni:
Quæ cuncta pro nihilo putas:
Homines, Deóſque ſpernis, & fas, ac neſas
Eodem habes in ordine.
Quid imprecer virtutibus dignum tuis,
O vipera omni ſæuior?
Niſi vt cruenta ſecta carnificis manu,
Tetrumque fundens ſanguinem,
Miſtum veneno, & vltima edens ſibila,
Humi ſupremum palpites.

GVIDI POSTHVMI.

In ſtatuam Propertij.

PAllida quod nimium male pinxerit ora Properti,
Ne, precor, artificem carpite: talis eram.
Finxit enim duræ mœrentem facta puellæ:
Aruerat ſanguis: fugerat ore color.
Hac ego marmoreos ſumpſi de Gorgone vultus:
Huius eram viuus, mortuus huius ero.
Vſus abeſt vitæ tantum: verū hanc quoq; & olim,
Alterius viuens pectore, non habui.

LÆLII CAPILVPI MANTVANI.

IO. MATTHÆI TOSCANI, de Lælio Capilupo.

Quæ tibi non tellus cedat tam diuite vatum
Prouentu, innumeris Mantua ſola ferax?
Vtq; alios ſileam, quorum tibi fonte perenni
Vena fluit, Minci fertiliorq; vadis:
Quis neget hoc mirum, reliquis ex vrbibus vnum
Nullam, Vergilios te genuiſſe duos?

IOACHIMO BELLAIO ANTO-
nius Poſſeuinus Mantuanus S. P. D.

OMnium omnino qui aliquid in lucẽ edunt duo genera ſunt, alterũ eorũ a quibus res ipſæ inueniuntur, alterum illorũ, qui quod dicturi ſunt aliunde aſſumũt: atque hoc genus in duas partes rurſus diſtributũ eſt, nã aut qui ab aliis res accipiũt, eas ſuis verbis exponunt, aut ad ſententias ſuas aliorum verba transferũt, atque traducunt: quod quidem pertinet ad eos, qui Centones conſcribunt, quo in genere ita mirabilis fuit Lælius Capilupus, vt facilè omniũ expectationẽ vicerit, ac ſuperarit. Nam cùm plerunque de rebus ab antiquorum ætate remotiſſimis agat, eas tamen ita Virgilij carminibus tractat, atque cõplectitur, vt ne ipſum quidem Poëtam ſupra potuiſſe exiſtimem. Nam & in diſpoſitione ſententiarum, & ordine, & in coniungẽdis, ac quaſi cõglutinandis verſibus, qui in Virgilij libris maximo interuallo inter ſe diſiuncti ſunt, illud eſt omnium iudicio conſecutus, vt perpetuum potius, & continens ſcriptum, quàm vndique collectum,

& cōportatum videatur: in quo viri illius memoriam, & acre iudiciū ſoleo ſæpe admirari, qui res tam diſperſas in vnum locū cogat, eásque ita collocet, vt media primis, extremis prima reſpondeant, ac vt perfectus fictor, qui ex diuerſiſſimis lapidibus opus egregium fingit, emblematéque cōponit, ſic ille ex omnibus Virgilij locis, quæ ad ſuam ſententiam in primis facerēt optima quæque excerpſit, atque libauit, vnúmque hoc corpus confecit. Scio autem nonnullos ad hoc ſcribendi genus ſe contuliſſe, in quorum numero apud Græcos fuit Eudocia, apud Latinos Proba Falconia, & Auſonius, ſed quantum in eo profecerint, aliorum ſit iudicium. Illud quidem nec dubitans affirmauerim Lælio nō modo in hac re non præſtantiores fuiſſe, ſed vix fortaſſe pares. Nam vt de Auſonio loquar, cùm hic de rebus ipſis ageret de quibus a Virgilio ante tractatū fuit, facile illi fuit ad id quod ſentiret Poetæ carmina accommodare: quod huic minime contigit: longe enim alia notio ſubiicitur his ſcriptis, atque illa, quę Virgilianis ſubiecta eſt.

Cùm igitur hos Centones ſæpiſſime legiſſem, proſpicerémque hunc librum ſi ederetur iucundiſſimum omnibus, & vtiliſſimum fore, Lælium rogaui qui mihi po-

teſtatem daret vt eum emitterẽ, quod cùm ille vt ſolet, humaniſſimè mihi permiſiſſet, nihil mihi antiquius, aut longius fuit, quã, vt in manus hominum exiret, etenim pręter maximum & vberrimum fructum, quẽ ex eo quiuis percepturus fuiſſet, non mediocre commodum me adepturum ſciebã: neque.n. dulcius quidquam aut iucundius mihi accidere poterat, quã vt illius ſcripta proferrentur, quem pręterquam quòd cum eo ſummis beneuolentiæ & amicitiæ vinculis ſum coniunctus, deinde non modò ob caritatem patriæ quæ illi cũ multis eſt cõmunis, verùm etiam ob ſingulares eius virtutes ſummo ſemper amore ſum proſecutus. Pręterea illud mihi maximo vſui futurum videbam, cùm ob hanc cauſam aditum mihi ad te patefacerem, gratiámque tuam quodammodo aucuparer. Tu enim is es, qui & ſumma virtute prædıtus, & omnibus literarum ſtudiis ornatiſſimus Lælij Capilupi ſcripta es adeo admiratus, vt cũ ne illũ quidẽ virum de facie cognoſceres, mirificè tamen amares & coleres, quod cùm illius ingenio, tum tuæ humanitati, & animo ad ſtudia propenſo tribuitur. Adeo in humanis animis ſtudia paria poſſunt, quę quò ſunt liberaliora, eò magis homines inter ſe quibuſdam vinculis de-

uinciunt,& obſtringunt. Quibus rationibus adductus ſtatui hūc librum ad te mittere, quòd ſcirem apud neminem in loco meliore aut honeſtiore eſſe poſſe. Cùm enim ſemper otium, & tempus in diſcendo contriueris, tum ſummo illi Cardinali es ſanguine coniunctus, in quo non facilè iudices vtrum mores a diſciplinis, an a moribus diſciplinæ illuſtrentur & ornentur. Ac meum quidem conſilium tibi probatū iri confido, munúſque hoc te qua ſemper conſueuiſti humanitate accepturum, quod certe ab animo tui obſeruantiſſimo proficiſcitur, tibíque defertur. Reliquum eſt vt nos diligas, & quando tam alacri animo patrocinium litterarum ſuſcepiſti, librum hunc ab obtrectatorum maledictis defendes atque tueeare. Vale.

IO. MATTH. TOSCANVS, *Lectori S.*

QVod in ceteris ſummorum autorum poëmatis ſedulò operam dèdimus, ne quid ederemus quod vel obſcænitatem redoleret, vel Chriſtianæ Catholicæ religioni minime eſſet conſentaneum, id in Lælio Capilupo præſtandum nobis etiam fuit. Itaque quæ pias, honeſtáſque aures lædere poterant ſuſtulimus omnia: ea reliquimus quæ neque inconceſſos amores, neque impietatem reſipiunt. Pro ſublatis non pauca eiuſdem autoris Poëmata hactenus non edita damus. Vale, & noſtris laboribus ſperatum fructum ne denega.

Lælij

LÆLII CAPILVPI PATRItij Mantuani Centones Virgiliani.

CENTO I.

INcipe Mænalios mecum mea tibia verſus,
Pergite Pierides, Galli dicamus amores.
O decus ó famæ merito pars maxima noſtræ,
Te precor Alcide, cœptis ingentibus adſis,
Dijs genite, & geniture Deos, aſſueſce vocari:
Nulla meis ſine te quæretur gloria rebus:
Da facilem curſum, nihil hîc niſi carmina deſunt.
Rūpe moras: tentanda via eſt, qua me quoq; poſſim
Tollere humo, ſtimulos ſub pectore vertit Apollo.
Nymphæ, noſter amor, præſentia numina, Fauni,
Ore fauete omnes, & cingite baccare frontem
Cingite ne vati noceat mala lingua futuro.
Hinc canere incipiam. Cùm Gallus amore periret
Quæ nemora, aut qui vos ſaltus habuere puellæ?
Pan deus Arcadiæ venit, quem vidimus ipſi,
Venit & vpilio: tardi venere ſubulci,
Genſq; virum truncis, & duro robore nata,
Neſciáque humanis precibus manſueſcere corda.

Stant & oues circum, & crebris mugitibus amnes
Arentésque ſonant ripæ. Sub rupe iacentem
Heu miſerande puer, cuncti ſe ſcire fatentur,
Te liquidi fleuere lacus, ſtragemq; dedere
Flumina correptos vnda torquentia montes:
Qualis populea mærens philomela ſub vmbra,
Atque Deos, atque aſtra vocat crudelia mater
Mantua diues auis pectus percuſſa deorum.
Ora puer prima ſignans intonſa iuuenta,
Cui pellis latos humeros, caput oris hiatus
Et malæ texere Lupi, cum dentibus albis
(Ille etiam & genti nomen dedit, armáque fixit)
Multa mouens animo ſiluas, ſaltúsque peragrat
Noctes, atque dies, eſt mollis flamma medullas.
Forte die, tardis ingens vbi flexibus errat
Mincius, auratus taurino cornua vultu,
Populeas inter frondes, lucosq; ſonantes
Dum canit, & mæſtum Muſa ſolatur amorem:
Longe illi media ſe ſe tulit obuia ſilua
Cauſſa mali tanti pulcerrima Deiopea,
Cui pharetra ex humero ſonat arcꝰ, & arma Dia-
Qualis gēma micat, crines nodātur in aurū, (næ,
Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.
Agnouit iuuenis diuini ſigna decoris:
Illi membra nouus ſoluit formidine torpor
Obſtupuit primo aſpectu, & vox faucibus hæſit,
Vt primum fari potuit, ſic incipit ore
Suſpirans, imóque trahens à pectore vocem,
Cara deûm ſoboles animo gratiſſima noſtro

Salue vera Iouis proles, mea maxima cura,
Quam nec longa dies pietas nec mitigat vlla,
Sola ne perpetua mœrens carpere iuuenta,
Iam matura viro? Veneris nec præmia noris?
Ah virgo infelix, mitte hanc de pectore curam.
Vtere ſorte tua, nimium ne crede colori
Omnia fert ætas, fugit irreparabile tempus.
Alma precor miſerere animi non digna ferentis,
Ad te confugio, & ſupplex tua numina poſco.
Vix ea fatus erat, veluti violauerit oſtro
Si quis ebur, tales virgo dabat ore colores:
Deiecit vultum, & demiſſa voce locuta eſt.
Deſine meq; tuis incendere, teq; querelis,
Quam pro me curã geris, hãc precor, optime, pro me
Deponas, toties iam dedignata maritos
Mens immota manet ſola contenta Diana:
Nanque fatebor enim, non vitæ gaudia quæro.
Certum eſt in ſiluis, inter deſerta ferarum
Malle pati: incœptum fruſtra ſubmitte furorem.
Diſce puer virtutem ex me, & non temnere diuos,
Hic pietatis honos. Patet atri ianua Ditis.
Quæſitor Minos vitasq;, & crimina diſcit,
Caſtigatq;, auditq; dolos: te triſte manebit
Supplicium, votisq; deos venerabere ſeris.
Sic ait, & dictis diuinum aſpirat amorem,
Edocet humanis quæ ſit fiducia rebus
Illum turbat Amor magis, ægreſcitq; medendo.
Tum quaſſans caput hæc effudit pectore dicta.
Omnia percepi, atque animo mecũ ante peregi

Ne tartos mihi finge metus: non talia curat:
Omnia vincit Amor, ſtrepitumq́; Acherontis auari
Subiecit pedibus: Quis enim modus adſit Amori?
Inde hominum pecudumq́; genus, pictæq; volucres
Et genus æquoreum genitalia ſemina paſcunt,
In furias, ignemq́; ruunt. Regina ſacerdos
Marte grauis, partu ſub luminis edidit oras
Romanos rerum dominos gentemq́; togatam.
Quid maiora ſequar? pueri, innuptæq; puellæ
Magnanimi Iouis ingratum aſcendere cubile.
Et dubitant homines naturæ accedere partes?
Nymphæ Laurentes, præſtanti corpore Nymphæ
Degere more feræ, quæ vos dementia adegit?
Vana ſuperſtitio in dumis coluiſſe Dianam,
Æternum telorum, & virginitatis amorem:
Egregiam vero laudem, & ſpolia ampla refertis,
Tantorum impenſis operum nihil omnibus actum.
Tu ne tot incaſſum fuſos patiere labores?
Quin potius miſerere: mori me denique coges.
Accipe, daq́; fidem. quoniam conuenimus ambo,
Vis ergo inter nos, quid poßit vterq́; vicißim
Experiamur?
Nec ſum adeo informis. ſolum te virgine dignum,
Et me Phœbus amat, nouit nanque omnia vates.
Te nemus omne canet, ſi quid mea carmina poſſunt
Semper honos, nomenq́; tuum laudéſque manebunt,
Si te nulla mouet tantarum gloria rerum,
Huc geminas nunc flecte acies, res aſpice noſtras.
Pandite nunc Helicona Deæ, cantuſq́; mouete.

Telum immane, manu valida quod forte gerebat,
Eripuit mulcens, quo non præſtantius vllum
Europa, atque Aſia, viſu mirabile monſtrum,
Horrendum & cui turpe caput, cui plurima ceruix,
Conſertum tegmen ſpinis, prolixaq; barba,
Et crurum tenus a mento palearia pendent,
Tantæ molis erat. Me ne huic confidere monſtro?
Hæc effata ſilet, lacrymasq; effudit, & omnem
Impleuit clamore locum, & tremefacta refugit,
Improuiſum aſpris veluti qui ſentibus anguem
Preſsit humi, retroq; pedem cum voce repreſsit.
Ille autem pariter curſu, teloq; ſecutus,
Siſte gradum: quo deinde ruis, quo proripis, inquit,
Nunquam hodie effugies, veniā per tela, per ignes
Nullæ hic inſidiæ, terram mare ſidera iuro.
Nec vim tela ferunt. Tereti ceruice reflexam
Inſequitur, iam iamq; manu tenet, & premit haſta.
Euolat, infelix, & fœmineo vlulatu
Sciſſa comam, meſtis latè loca queſtibus implet.
Fortuna omnipotens, quid non ſperemus amantes?
Hîc iuuenis iam victor ouans, veſtigia preſſo
Haud tenuit titubata ſolo, reuolutus ărena
Labitur infelix, non ille oblitus amorum
Ingemuit deditq; has imo pectore voces.
Adſis o tantum, qui tela Typhoëa temnis,
Sis bonus o felixq; audacibus annue cæptis.
Nate Dea, ſi quid pietas antiqua labores
Reſpicit humanos, dubiis ne defice rebus.
Ventum ad ſupremum eſt, precibus ſi flecteris vllis,

Verum age, & vltricem pharetra deprome ſagittã.
Vix hæc ediderat, ruere omnia viſa repente,
Paret Amor dictis, cæli in regione ſerena
Intonuit læuum: ſonat vna letifer arcus,
Conſtitit hic, curuo direxit ſpicula cornu
Nulli viſa cito, perq; ilia venit arundo
Et læuo infixa eſt lateri, mirabile dictu,
Pertentat ſenſus, atque oßibus implicat ignem
Improbe Amor, cui tanta Deo permiſſa poteſtas?
Non equidem inuideo, miror magis. Aſpera virgo
Continuitq; gradum, ſubitoq; accenſa furore
Incipit effari. Sequimur te ſancte Deorum
Quiſquis es: en ſupplex venio, miſerere tuorum,
Clamat, io decus & nemorum Latonia cuſtos,
Diiq;, Deæq; omnes. ſtudium quibus arua tueri,
Hic domus eſt, inquit, vobis: iam viuite ſiluæ:
Maior agit Deus, atque opera ad maiora remittit:
Venit Amor, ſubitáque animum dulcedine mouit.
Te vero, venerande puer, iam pectore toto
Accipio, agnoſco, quando hæc te cura remordet,
Huc ades o formoſe puer, iam tempus agi res:
Do quod vis, ſed res animos incognita turbat:
Quicquid id eſt timeo: hunc oro defende furorem.
Auditis ille hæc placido ſic reddidit ore.
Teſtor cara Deos, nihil illo triſte recepto
Carpe manu, nanque ipſe volens, facilisq; ſequetur:
Audentes fortuna iuuat: quis talia demens
Abnuat? Atque animum præſenti pignore firmat:
His dictis curæ emotæ: venerabile donum

Fatalis virgæ, monimentum, & pignus amoris
Dulcibus illa quidem illecebris laſciua puella
Miraturq́;, interq́; manus, & brachia verſat,
Expleri mentem nequit, ardeſcitque tuendo.
Tum vero exarſit, iuueniq́; arrecta cupido,
Pellis & ad tactum tractanti dura reſiſtit,
Incipiunt agitata tumeſcere turpia membra:
Spiritus intus alit, totamq́; infuſa per artus
Mens agitat molem: ſurgens caput altius effert:
Ille manum patiens, & tanto lætus honore
Stare loco neſcit, ſubita ſpe feruidus ardet
Lætitia exultans, & verberat ictibus auras.
Illa quidem iandudum arcu contenta parato
Tela tenens, altam Lunam ſic voce precatur.
Pan Deus Arcadiæ, ſi rite audita recordor
In nemora alta vocans captam te Luna fefellit:
Non ignara mali noſtro ſuccurre labori.
Hæc vbi dicta dedit: Dÿ noſtra incœpta ſecūdēt,
Tandem lætus ait: grates perſoluere dignas
Quas potero? meriti tanti non immemor vnquam,
O decus Italiæ, dum ſpiritus hos reget artus
Semper honore meo, ſemper celebrare donis.
Illa ſubit, lacrymis oculos ſuffuſa nitentes
Deſine plura puer, & quod nūc inſtat, agamus
Rumpe moras omnes: varium & mutabile ſemper
Fœmina. Quo cælum, tempeſtatesq́; ſerenat,
Cunctantem amplexu molli fouet. Ille repente,
Hoc erat, hoc, inquit, votis quod ſæpe petiui.
Hæc fatus duplicem ex humeris reiecit amictū,

Ille auidus nodos, & vincula linea rupit:
Propter aquæ riuum viridi procumbit in vlua,
Pandentemq; ſinus, & tota veſte vocantem
Corripit in nodum complexus, & angit inhærens
Telum immane manu quatiens opera omnia rũpit,
Componens manibus manusq;, atque oribus ora,
Pectora pectoribus. Pueri, innuptæq; puellæ
Vos agitate fugam: procul o procul eſte profani,
Maius opus moueo. Direptis crura cothurnis
Diſsiluiſſe ferunt: foribus domus atra reuulſis
Panditur: & Caci detecta apparuit ingens
Regia & ingentem lato dedit ore feneſtram
Sponte ſua: vmbroſæ penitus patuere cauernæ.
Hic labor ille domus, & inextricabilis error,
Hic ſpelunca fuit, vaſtoq; immanis hiatu
Horrida, quam denſi complerant vndique ſentes:
Intus aquæ dulces, mellis cæleſtia dona.
Ergo iter inceptũ peragunt, atque oſcula figunt
Neſcio qua præter ſolitum dulcedine læti:
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.
Continuóque auidis vbi ſubdita flamma medullis
Idem omnes ſimul ardor agit, pariterq; laborem
Sortiti: teneris tepefactus in oſsibus humor
Aeſtuat, & liquido diſtendunt nectare cellas.
Tum vero ardentes oculi, atque attractus ab alto
Spiritus auditur grauior: tractimq; ſuſurrant
Cum gemitu: ſubito non vultus, non color vnus,
Non comptæ manſere comæ. moritura puella
Sanguineam torquens aciem, maculisq; trementes

Interfuſa genas, delibans oſcula fatur.
O mihi præteritos referat ſi Iuppiter annos
Dum te care puer, mea ſola, & ſera voluptas
Complexu teneo, tecum conſumerer æuo
Nunc ſcio quid ſit amor, ſanguis meus.
Hæc ait, & liquidum ambroſiæ diffudit odorē
Atque huic reſponſum paucis ita reddidit heros:
Extinxti te, meque ſoror. Nec plura locutus
Dentibus infrendens, flammantia lumina torquēs
Atque hinc, atque illinc immania terga reſoluit,
Extremosq; ciet gemitus: tum lucidus anguis
Concidit, & miſtum ſpumis vomit ore cruorem.
Hei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo,
Ceruicem inflexam poſuit, iacuitq; per antrum,
Et frontem obſcœnam rugis erat: omnis, & vna
Dilapſus calor, atque immundus olentia ſudor
Membra ſequebatur: factoq; hic fine quieuit.
Deſine Mænalios, iam deſine tibia verſus.
Hæc ſat erit Diuæ veſtrum ceciniſſe poetam
Dum ſedet, & paſcuntur oues, auidæq; iuuencæ,
Pierides, vos hæc facietis maxima Gallo.

IN FOEMINAS.

Ad Paullum Iouium.

Cætera quæ vacuas tenuiſſent carmina mentes
Omnia iam vulgata, furens quid Fœmina poſſit

Gens inimica mihi,non æquo fœdere amantes
Dicam equidem,indigno Niſæ deceptus amore,
Quam propter tantos potui perferre labores:
Quando aliter nequeo ſceleratas ſumere pœnas.
Nunc nunc o liceat calamos armare veneno
Fatidice Mantus,magnum & memorabile nomen
Fœminea in pœna eſt,animumq́; expleſſe iuuabit.
Magnanimi Heroës precor aſpirate canenti
Ore fauete omnes,procul o procul eſte profani,
Et genus inuiſum cum ſemiuiro comitatu.
Túque ades,inceptúmque vnà decurre laborem
Fortunate ſenex,magnum Iouis incermentum,
Vnde genus ducis,fama ſuper æthera notus,
Flos veterum virtusq́; virum,diuúmque ſacerdos
Os humerosq́; Deo ſimilis,tibi copia fandi
Larga quidem ſemper,fœcundum concute pectus
Nec mortale ſonans,animis illabere noſtris.
Quæ ſint,quæ fuerint,quæ mox ventura trahantur
Nota tibi,votis iam nunc aſſueſce vocari,
Ni refugis,tenuéſque piget cognoſcere curas.
Mox tamen ardentes accingar dicere pugnas.
Te duce Idumeas referam tibi Mantua palmas.
Dicam acies,actóſque animis in prælia Reges
Magnanimóſque Duces, totãque ſub arma coactã
Europámque,Aſiamque,& tanti incendia belli.
Poſt idem inter ſe poſito certamine Reges
Hos inter motus,medius conatibus ægri
Congreßi iungent dextras, & pace ſequeſtra
Claudentur belli portæ,Renusq́; bicornis

Turbidus & torquens flauentes Iſter arenas
Improuiſi aderunt media teſtudine templi
Littus ad Auſoniam: magnóque vlulãte tumultu
Teutonico ritu ante aras,paterásque tenentes
Iura dabunt legéſque viris,ritusq; ſacrorum
Concilium horrendum. Nec te memorande ſilebo
Cum patribus populóque penatibus & magnus dis
Tibri pater,poſcant acies & fœdera iungant.
Tu ne cæde malu ſed contra audentior ito
Quo res cunque cadent, Capitoli immobile ſaxum
Accolet,imperiúmque Pater Romanus habebit
Miſſus in imperium,cæli cui ſidera parent
Inferníque lacus,atque altæ mœnia Romæ
Sed fugit interea fugit irreparabile tempus.
Accipite ergo animis atque hæc mea figite dicta
Rectores iuuenum,lætasq; aduertite mentes
Et nati natorum,& qui naſcentur ab illis.
Mõſtrũ horrẽdũ ingẽs,variũ & mutabile sẽper
Fœmina,quæ ventis volucríque ſimillima ſomno
Mobilitate viget, linguis micat ore triſulcis
Tam ficti prauique tenax quàm nuntia veri
Dat ſine mente ſonum,totóque ardentis ab ore
Scintillæ abſiſtunt,oculis micat acribus ignis,
Sola domo mæret vacua,cui carmina ſemper
Et citharæ cordi,pernicibus ignea plantis
Omnia peruolitat latè loca,pectore verſat
Mille nocen. i artes: quis fallere poſſit amantem?
Omnibus in templis,gaudens popularibus auris
Fert picturatas auri ſub tegmine veſtes

Aurea ſubnectens exertæ cingula mammæ
Et gradiens ima verrit veſtigia cauda,
Purpureoq́; altæ ſuras euincta cothurno
Sanguineus frontem moris & tempora pingit.
Mille trahit varios aduerſo ſole colores
Flagrantes perfuſa genas, it pectore ſummo
Flexilis obtorti per collum circulus auri,
Tecti auro fuluum crines nodantur in aurum.
Ambroſiæq́; comæ diuinum vertice odorem
Spirauere, humeros oleo perfuſa niteſcit
Qualis gemma micat, circum caput egit honeſtum
Ardentes dare viſa faces, mirabile viſu,
Aera dimouit, tenebroſum & diſpulit vmbras
Hinc atque hinc, tantum egregio decus enitet ore.
Præpetibus pennis magnas it fama per vrbes:
Hæc paßim dea fœda virûm diffundit in ora
Illam omnis tectis agrisq́; effuſa iuuentus
Circunfuſa ruit, peſti deuota futuræ
Attonitus inhians animis proſpectat euntem.
Nec vidiſſe ſemel ſatis eſt, iuuat vſque morari.
Senſit læta, ſuæ contra non immemor artis
Peſtis & ira Deum, flammantia lumina torquens.
Tum laqueis captare feras, & fallere viſco
Cum ſpes arrectæ iuuenum, & furialia membra.
Dulcibus illa quidem illecebris mortalibus ægris
Nequid enexpertum, cithara fidibusq́; canoris
Pertentat ſenſus, rapuitque in fomite flammam.
At iuuenis magnum cui verſat in oßibus ignem
Durus amor, neque enim membris dat cura quietē,

Stare loco neſcit. ſubita ſpe feruidus ardet
Attollitq; animos horrendúmque intonat armis,
Quadrupedémque citum ferrato calce fatigat,
Cuius olorinæ ſurgunt de vertice pennæ
Pictus acu clamydem, & ferrugine clarus hibera
Tela manu iaciens volucres diuerberat auras
Oſtentans artem, figitque in virgine vultus
Isq; amens animi, clypeúmque auróque trilicem
Loricam induitur, validam vi corripit haſtam
Vrbe furens, pugnæq; ciet ſimulacra ſub armis.
It cælo clamórque virum clangórque tubarum.
Poſthinc digreſſus pingues ſpatiatur ad aras
Et nunc huc, inde huc incertos explicat orbes:
Ceu quondam torto volitans ſub verbere turbo.
Interdum genua impediunt, curſúmque recuſant:
Langueſcit moriens, obſedit limen amatæ
Primitiæ iuuenis miſeræ, terræq; per vmbram
Stridens, nec dulci declinat lumina ſomno.
Quid faceret? ſolans ægrum teſtudine amorem
Talia voce refert, gemitum dat pectore ab imo.
O decus Italiæ virgo, mea maxima cura
Nil noſtri miſerere, mori me denique cogis.
Victus amore tui ventos perpeſſus, & imbres
Nocte ſuper media ſupplex ad limina veni.
Per te, per qui te talem genuere parentes
Da dextram miſero, noctem non amplius vnam
Extremam hanc oro veniam, miſerere laborum
Alma precor miſerere animi non digna ferentis.
Nec ſum adeo informis, nympharũ ſanguinis vna

O quoties, & quæ nobis Galatea locuta eſt.
Vritur infelix, nam me diſcedere fleuit.
Fors & vota facit, tua dum veſtigia luſtro.
Et me Phœbus amat, ſi quid mea carmina poſſunt
Semper honos noménque tuum laudesq; manebunt.
Tu modo promiſsis maneas ſub nocte ſilenti
Vtere ſorte tua, multos ignaua per annos
Cauſando noſtros in longum ducis amores:
Nec mea iam mutata loco ſententia cedit.
Quem fugis ah demens, en hæc promiſſa fides eſt?
Siſte gradum, quis te noſtris complexibus arcet?
O digno coniuncta viro ſors omnia verſat,
Nuſquam tuta fides, crudelem abrumpere vitam
Mens imota manet, quæ iam ſatis ima dehiſcat
Terra mihi, vos o potius miſereſcite venti,
Et noſtras audite preces, ſæuique doloris
Partem aliquam venti diuûm referatis ad aures.
Exoriare aliquis noſtris ex oſsibus vltor.
Hæc precor, hāc vocè extremā cū ſanguine fundo.
Agnouit longe gemitum formoſa iuuenca
Virginis os habitúmque gerens, riſúque ſoluto
Ardua tecta petit ſtabuli & de culmine ſummo:
Nam quis te iuuenum confidentiſſime noſtras
Iuſsit adire domos? de te nil tale verebar:
Deſine méque tuis incendere téque querelis:
Hac iter eſt, qua te ducit via dirige greſſum.
Hæc effata ſilet, vana ſpe luſit amantem,
Sepſit ſe tectis coniunx vbi priſtinus illi
Lætitia exultans, neruóque obuerſus equino

Optatos dedit amplexus, curaſq; reſoluit
Diues opum diues pictai veſtis, & auri.
Hic focus, & tædæ pingues firmiſſima vina,
Caſtaneæ molles, epulæq; ante ora paratæ
Regifico luxu, biforem dat tibia cantum
Inſtaurátque choros, ille aſper & improbus ira
Ac, veluti pleno lupus inſidiatus ouili,
Sæuit in abſentes, & cælum territat armis
Enſe leuis nudo, parmáque inglorius alba.
Tum pudor incendit vires & conſcia virtus
Arietat in portas & duros obice poſtes,
Infelix vates ſpe multum captus inani
Multa gemens ignominiam, veſtigia retro
Improperata refert, magno inflammatus amore
Reſpicit ignarus rerum, ingratúſque ſalutis.
Interea toto non ſecius aëre ningit.
Illi alternantes linguis vibrantibus ora
Ore legunt, tacitum pertentant gaudia pectus.
Conplexit inter ſe noctémque diémque morantur
Heu miſerande puer quæ te dementia cepit?
Quò moriture ruis aliena ad pabula fucus?
Fallit te incautum tantarum gloria rerum.
O formoſe puer nimium ne crede colori.
Nil validæ iuuere manus, luménque iuuentæ
Purpureum, nihil illa deos, nil carmina curat
Fatiferúmque enſem, loricam ex ære rigentem,
Inſtratos oſtro alipedes, criſtaſq; comantes.
Conuectare iuuat prædas, & viuere rapto:
Hic amor hoc ſtudium, patriæ communis Erinnys

Vt gemma bibat, & ſarrano dormiat oſtro.
Viſceribus miſerorum & ſanguine veſcitur atro:
Suadet enim veſana fames, manditque trahitque
Molle pecus, mutumq; metu, de more vetuſto
Munera portantes nunc hos nunc accipit illos
Aedibus in mediis, coram data copia fandi.
Tum demum admiſſi ſtagna exoptata reuiſunt:
Aſt alios longe ſummotos arcet arena.
Centum errant annos, lacrymæ voluuntur inanes.
Gorgones Harpyæ multa mercede domandæ
Ignauum fucos pecus a præſepibus arcent.
Haud ignota loquor, magnam Mauortis ad vrbem
Nō vnquā grauis ære domū mihi dextra redibat.
Munere ſic niueo lanæ te Luna feſellit
Pan ouium cuſtos, noui nanque omnia vates,
In nemora alta vocans, nec tu aſperāta vocantem.
Quid dominæ facient? carpentes penſa puellæ
Et petiere ſibi monimentum & pignus amoris
Pallamq; & pictum croceo velamen acantho.
His animaduerſis atque hæc exempla ſecuti
O ſocij, quæ dicam animis aduertite veſtris:
Ingens argentum patribus dat iura vocatis
Sceptra tenens, mollitq; animos, & temperat iras:
Frigoribus mediis animum inflammauit amore,
Spemq; dedit dubiæ menti, ſoluitq; pudorem,
Limina perrumpit, poſteſq; a cardine vellit.
Quare agite o iuuenes, ſi fert ita corde voluptas,
Rumpere clauſtra manu Stygiamq; innare paludē
Informi limo, manibus date lilia plenis

Aurea,

Aurea, nunc ea vrſa ſalus morientibus vna.
Ante fores, ſubito ſtridentes cardine ſacræ
Panduntur portæ, & fauces graue olentis Auerni
Sed fugite o miſeri, fugite hīc, latet anguis in herba
Vipeream inſpirans animam, laſciua puella
Cùm dabit amplexus, atque oſcula dulcia figet
Nuda genu, nodoq; ſinus collecta fluentes,
Vos agitate fugam: direptis crura cothurnis
Attrectare nefas, talis ſe ſe halitus atris
Faucibus effundens nares contingit odore.
Turbidus hic cœno vaſtáque voragine gurges
Peſtiferas aperit fauces, furor impius intus
Pallentéſque habitant morbi ſub rupe cauata
Quò lati ducunt aditus, nemus imminet vmbra
Deſuper horrenti, foliiſque ſub omnibus hærent
Obſcenæ volucres, variarum monſtra ferarum
Nota nimis miſeris, cernis cuſtodia qualis,
O preſtans animi iuuenis, noctéſque diéſque
Veſtibulo ſedeat, primiſq; in faucibus orci
Sæuior intus habet ſedem duriſſima regna
Pallida Tiſiphone, flammíſque armata chimæra.
Hic labor ille domus, et inextricabilis error.
Heu fuge crudeles terras, fuge littus auarum,
Diſce puer virtutem ex me, et non temnere diuos.
Nulli fas caſto ſceleratum inſiſtere limen:
Porta aduerſa ingens exhalat opaca mephytim,
Vnde cauæ tepido ſudant humore lacunæ.
Hic quos durus Amor crudeli tabe peredit,
Fluctibus oppreſſos rapidus vorat æquore vortex.

Proſpectum eripiens oculis immane barathrum.
Ignari ſcelerum, & primæuo flore iuuentus,
Siue errore viæ, ſeu tempeſtatibus acti,
In vada præcipitant. fundo voluuntur in imo,
Limoſoq; lacu pugnando vulnera paſsi
Purpurei criſtis, iuuenes auroque coruſci,
Inualidiq; ſenes, iuuenum tentare laborem
Auſi omnes, immane nefas, auſoque potiti?
Quid maiora ſequar. genus inſuperabile bello
Magnanimum Heroum, lacerum crudeliter ora,
Ora manúſque ambas, caligine voluitur atra,
Per pice torrentes atraq; voragine ripas,
Quiq; ſacerdotes caſti dum vita manebat.
Quiq; pij vates. nimirum hæc illa charybdis,
Hos Helenus ſcopulos, hæc ſaxa horrenda canebat,
Dij prohibete minas, dij talem auertite caſum,
Vos animã hanc potius quocunque abſumite leto,
Si pereo manibus hominum perijſſe iuuabit.
Apparent rari nantes in gurgite vaſto,
Seruati ex vndis pauci. quos æquus amauit,
Iuppiter, aut nautis olim venerabile lignum
Rettulit in melius, quo non preſentius vllum
Auxilium venit, ac membris agit atra venena,
Et vaſtas aperit ſyrtes, & temperat æquor,
Vna ſalus victis noſtri medicina furoris.
Quid tibi odorato referam ſudantia ligno
Ora virum, triſti morbo illuuieq; pereſa!
Fronde virere noua ſuccos oblita priores.
Huius odorato radices incoque baccho.

(Hoc geritur Zephyrus primum impellẽtibus vndas
Sole recens orto) nec longum tempus & ingens,
Hirſutumq́; ſupercilium, prolixaque barba
Pullulat ab radice, & frondes explicat omnes.
Phyllirides Chiron Amithaoniusq́; Melampus
Sæpe etiam curſu quatiunt & ſole fatigant,
Expertos belli iuuenes, & vulgus inermum,
Longæuóſque ſenes, ſudor fluit vndique riuis.
Excoquitur vitium, atque exudat inutilis humor,
Concretã exemit labem, labor omnia vincit.
Omnis in hac certam regio iacit arte ſalutẽ.
Non tamen omne malũ miſeris nec funditus omnes
Corporeæ excedunt peſtes, monimenta doloris.
Ardentes papulæ non ipſa in morte relinquunt.
Non ego cuncta meis amplecti verſibus opto,
Non ea vis animo, cithara crinitus IOPAS
Perſonat aurata, quæ cauſa indigna ſerenos,
Fœdauit vultus, extremaq́; agmina caudæ,
Semihominis Caci, genus a quo principe noſtrũ,
Obijcibus ruptis, qua vi maria alta tumeſcant.
Felix qui potuit Naturæ accedere partes,
Per loca ſenta ſitu, ſuperasq́; euadere ad auras,
Auſus quin etiã ſuper & Garamantas & Indos
Ignotas tentare vias, vſumq́; medendi,
Fatalis virgæ admirans venerabile donum,
Siue Padi ripis, Atheſim ſeu propter amœnum,
Ille canit, placidi ſtrauerunt æquora venti,
Et mutata ſuos requierunt flumina curſus.
Quin ipſe ſtupuere manus reſonantia ſaxa,

Nereidum, Phorcique chorus, genus omne natãtum
Attonitus hæſere animus, diuine Poeta,
Quæ tibi quæ tali reddam pro carmine dona?
Quod ſupereſt, ſed ſumma ſequar faſtigia rerum,
Expediam dictis, ſalientem ſanguine venam
Sanguineam ingentem, ſurgentem vallibus imis,
Quãquã animus meminiſſe horret luctuq; refugit,
Vipereo generi diſtillat ob inguine virus.
Serpentis furiale malum fœdiſsima ventris
Proluuies, quod ſæpe malæ legere nouercæ,
Omnia nam late vaſtat, ſub gurgite vaſto
Exit, & obducto late tenet omnia limo
Corrupitq; lacus, infecit pabula tabo
Terga ſuum, & ſalſa lædit rubigine ferrum,
Hoc metuens cœli menſes, & ſidera ſerua.
Ipſe pater ſtatuit quid menſtrua luna moneret
Continuo eſt ægris alius calor, horrida vultum,
Deformat macies, pallor ſimul occupat ora.
Contemplator item veſtes, velamina nota,
Fœda miniſteria, & portarum ingentia clauſtra.
Voluitur ater odor tectis, & ſanguine largo
Terra toríque madent, & barbara tegmina crurũ:
Fluuiorum rex Eridanus pluuialibus hædis,
Verticibus rapidis, & multa flauus arena
Haud vndis abolere poteſt ſpolia illa cruenta,
Nec pulcer Ganges, aut pingui flumine Nilus,
Tũ vero attonitæ, atque oculos ſtupor vrget inertes
Luminibus tacitis, contactúque omnia fœdant
Immundæ, tum tecta petunt, tum corpora curant,

Turpia membra fimo, ſæui ſpiracula Ditis.
Ignauæq; fame cunctantur in ædibus omnes.
At non in Venerem ſegnes nocturnáque bella,
Tempore quãquã illo catulorum oblita Leæna,
Sæuior errauit campis, tum peßima Tygris.
At non tam turpes pecudum tamen vlla ſecuta eſt
Concubitus, quæ tanta animum dementia cepit,
Europæ atque Aſiæ præſtanti corpore Nymphæ?
Tanta ne vos generis tenuit fiducia veſtri?
Pro ſcelus, ecce etiam Veneris monimenta nefandæ,
Paſiphaë, mixtúmque genus, prolesq; biformis.
At ſperate Deos memores fandi atque nefandi.
Et venerem certis repetunt armenta diebus.
Ferrea progenies, cui non certauerit vlla
Aut tantum fluere aut totidem durare per annos,
In furias, ignémque ruunt ſub ſidere cancri,
Et cùm triſtis hyems, vel cùm ruit imbriferũ ver,
Atque vbi concubitus primos iam nota voluptas
Sollicitat, tantum notas odor attulit auras
Deſeruere domos, genitalia ſemina poſcunt
Noctes atque dies, crepitantiáque æra ſecutæ
Ad delubra iuuat currus agitare volantes,
Sæpe diem noctẽq;, & totum ex ordine menſem:
Sole ſub ardenti gelidíque ſub ætheris axe
Saxa per & ſcopulos, iuuat indulgere choreis,
Oráque corticibus ſumunt horrenda cauatis.
Ac neque eas iam frena virum nec verbera ſæua,
Perpetui tergo bouis, atque obiecta retardant
Flumina, nec miſeri poſſunt reuocare parentes.

Quin etiam clauſæ tenebris & carcere cæco,
(Sit mihi fas audita loqui) innuptæq; puellæ,
Tum trepidæ inter ſe coëunt, & ſæpe ſine ullis
Coniugiis, uento grauidæ, mirabile dictu,
Ante annos, audetq; uiris concurrere uirgo,
Horrendū dictu, me ne huic confidere monſtro?
Hoc quondam monſtro horribiles exercuit iras
Hortator ſcelerum, creſcentis origine mundi,
Sublimes animas Stygias detruſit ad undas.
Inde hominū pecudumq; genus, pictæq; uolucres
In peius ruere ac retro ſublapſa referri,
Heu pietas, heu priſca fides uirtutis auitæ,
Omnipotens genitor qui fœdera fulmine ſancit,
Tum primū uirus ſerpentibus addidit atris,
Et paſſim riuis currentia uina repreſſit,
Melláque decuſſit foliis, mortalia corda
Expectata ſeges uanis eluſit auenis,
Iuſtitia excedens terris, miſerabile uiſu,
Prima fugit. ſubeunt morbi, triſtiſq; ſenectus,
Et metus, & maleſuada fames, & turpis egeſtas
Et belli rabies, & amor ſucceſſit habendi,
Inſanumúe forum, tum partu terra nefando,
Cæumq; Iapetūq; creat, fratréſque ſuperbos.
Ex illo in lucem Stygiis emiſſa tenebris,
Vana ſuperſtitio, magnū quæ ſparſa per orbem.
Tum pater extructos diſiecit fulmine montes,
Et coniuratos cælum reſcindere fratres,
Diſiecitq; rates, euertitque æquora uentis,
Hinc pecudes, armenta uiros, genus omne ferarū:

Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus,
Diluuio miſcens, in ſaxa latentia torquet.
Illiditq; vadis, atque aggere cingit arenæ,
Intonuere poli, cinxerunt æthera nimbi,
Impiáque æternã timuerunt ſæcula noctem.
Diluuio ex illo pœnas expendimus omnes,
Vnius ob noxam, & furias: moritura puella
Cauſa mali tanti, monitis exterrita diuum:
Haud impune quidem Lucinæ experta labores,
Nunc etiam mœſtis late loca queſtibus implet,
Heu ſtirpem inuiſam, miratã mala Puellam.
Fas odiſſe viros ſtirpem & genus omne futurũ.
Inſtamus tamen immemores, cæciq; furore
Iungimus hoſpitio dextras, & tecta ſubimus
Concordes animæ, ſic ſic iuuat ire ſub vmbras.
O patria, o miſeræ nimiũ vicina Cremonæ
Mantua diues auis. mitte hanc de pectore curã
Talia coniugia, & tales celebrent hymenæos
Brontesq́; Steropéſque & nudus mẽbra Pyracmon,
Gensq́; virum truncis, & duro robore nata.
Impia nec veriti viuacis cornua Cerui,
Et frontem obſcænã, quæ prima pericula vitæ.
O fortunatos nimium genus omne peroſos,
Fœmineũ, me nulla dies tam fortibus auſis
Diſsimilem arguerit, dũ ſpiritus hos reget artus.
Diſcite felices animæ túque optime vates,
Non ne fuit ſatius ſtimulos auertere Amoris
Venatu aſsiduo, & terras tentare repoſtas.
Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum,

Pérque vndas ſuperante ſalo, perq; inuia ſaxa,
Quam ſemel informem vaſto vidiſſe ſub antro
Scyllam, ſuccinctam latrantibus inguina monſtris,
Et caligantem, nigra formidine lucum.
At furiis C A C I mens effera, dira cupido
Sollicitat, ſuadétque ignota laceſſere bella.
Quid tantum inſano iuuat indulgere labori?
Quis furor iſte nouus? quæ vos dementia adegit
Heu miſeri ciues collo dare brachia circum,
Complexu in miſero grauiter ſpirantibus hydris?
Ne pueri ne tanta animis aſſueſcite bella,
Ne ve armate manus, diræ obſcœnæq; volucres
Ingentes animos anguſto in pectore verſant
Vere magis, quia vere calor redit oßibus, illæ
Tum vero ardentes multa vi prælia miſcent,
Nec nos obniti contra, nec tendere tantum
Sufficiunt vires: pedibus per mutua nexis,
Haud incerta cano, ſtetimus tela aſpera contra,
Contulimúſque manus nec diis nec viribus æquis:
Tum mihi prima genas veſtibat flore iuuenta,
Et membris & mole valens, turbatus, inermis
Candidior poſtquam tondenti barba cadebat,
Eripui fateor læto me, & vincula rupi,
Matris Acidaliæ, poſitus inglorius armis:
Nulla ſalus bello, iuuenes fortißima corda,
Ponite ſpes, armis concurrant arma cauete.
Illis ira modum ſupra eſt, quis carmine cædes
Diuerſas, obitúmque ducum, quis funera fando
Explicet, aut poßit ſcelerum comprendere formas?

Quanta per Idæos ſæuis effuſa Mycenis
Tempeſtas ierit campos, ſe ſcire fatentur,
Extremiq; hominũ Morini, dux FOEMINA *facti*
Fundamenta quatit, ſternitq; a culmine Troiam,
Turbine fumantem piceo, & candente fauilla.
Ipſe Mycenæus magnorum ductor Achiuûm
Victor apud rapidum Simoenta ſub Ilio alto
Coniugis infandæ prima intra limina dextra,
Concidit, & multo vitam cum ſanguine fudit
Carminibus Circe ſocios mutauit Vlyßi.
Iunonis grauis ira & inexſaturabile pectus
Inſignem pietate virum terráque mariq;
Torquet agens circum, cineri promiſſa Sichæo,
Non ſeruata fides. Pallas ne exurere claſſem
Argiuûm atque ipſos potuit ſubmergere ponto?
Quid repetam exuſtas Erycino in littore claſſes?
Quid memorem Alciden indigna morte peremptũ,
Neſciaq; humanis precibus manſueſcere corda?
Diſcerptum latos iuuenem ſparſere per agros
Mulcentem Tigres, & agentẽ carmine quercus.
Horreſco referens, vna ſub nocte iugali,
Cæſa manus iuuenum fœde, thalamíque cruenti.
Heu cadit in quenquã tantum ſcelus? arte nouercæ
Ora puer prima ſignans intonſa iuuenta
Excuſſus curru, moribundus voluitur aruis,
Turbatis diſtractus equis. quis talia fando
Temperet a lachrymis totum vulgata per orbem?
Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo.
Eloquar an ſileam? natorũ ſanguine matrem

Commaculare manus? Summi regnator olympi,
O pater, an ne aliquas ad cælũ hinc ire putandũ eſt?
Aſpicis hæc? an te genitor cũ fulmina torques,
Nequicquã horremus? noſtri non plena laboris,
Quæ regio in terris? nullo diſcrimine cædem
Suſcitat, irarúmque omnes effundit habenas,
More furens torrentis aquæ, vel turbinis atri.
Effera vis animi ſubigit decernere amantes
Vulneribus crebris, dominorũ fallere dextras.
Infelix monſtrum, quo non præſtantius vllũ,
Ore vomens ignes, armare in prælia fratres.
Atque odiis verſare domos, ruit omnia late
Fœmina, palantes vtroque ab littore gentes,
Territat inualidas vt aues: populóſque feroces
Veſtigat luſtrans, pedibusq; euiſcerat vncis,
Regnorũ immemores turpíque cupidine captos,
Maius adorta nefas maioremque orſa furorem.
Mœnibus in patriis regali ſplendida luxu,
Inter ſacra deũ iuuenes ante ora parentum,
Per varios ſternit caſus, muliebribus armis.
Obuia multa virum demittit corpora morti,
Sanguineã torquens aciem fremit ore cruento.
Rumoréſque ſerit varios, cui triſtia bella
Iræq; inſidiæq;, & crimina noxia cordi.
Nate patris ſummi grates perſoluere dignas
Non opis eſt noſtræ, gentem effugiſſe nefandam.
Quod ſupereſt, oro propius tua numina firmes,
Illa dolos dirúmq; nefas in pectore verſat,
Eripe me his inuicte malis, via prima ſalutis

Ad te confugio, pacem te poſcimus omnes
Vna omnes iuuenũ primi priſcique Quirites.
Aſpice nos, dira bellum cum gente gerendum,
Triſtius haud illis monſtrũ, mihi frigidus horror
Membra quatit, ſonitúmq; pedũ vocémq; tremiſco.
Carpit enim vires paulatim, vritque videndo
Fœmina, dij talem terris auertite peſtem.

Ariſteus.

Nymphæ, noſter amor, paulo maiora canamus,
Arma inter Regum, Magno turbante tumultu.
Paſtor Ariſteus foliis ornatus oliuæ,
Fatidicæ Mantus, & Thuſci filius amnis,
Carminibus patriis Tiberini ad fluminis vndã,
Suſpiciens cælum lacrymis ita fatur abortis.
Heu quia nã tanti cinxerunt æthera nimbi,
Intonuere poli, ac venti, velut agmine facto,
Mutati tranſuerſa fremunt, it turbida cælo
Tempeſtas telorum, & ferreus ingruit imber,
Ardentes clypeos, atque æra micantia cerno
Armorum ſonitum toto Germania cælo,
Audiit, & rauco ſtrepuerunt cornua cantu:
Et trepidæ matres preſſere ad pectora natos,
Stant belli cauſæ. en iterum crudelia retro,
Fata vocant, ſæuit toto Mars impius orbe.
Egregium forma iuuenem noua regna petentem,
Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo.
Heu miſerande puer genus alto a ſanguine diuûm

Inuidit fortuna tibi, ne regna videres,
Arua neque Auſoniæ ſemper cedentia retro.
Morte tua inſolitis tremuerunt motibus alpes,
Intremuere vndæ, penitúſque exterrita tellus
Italiæ, atque omnis campis diffugit arator,
Omnis & agricola, & diuerſum ad littus adacti
Paſtores ouium: ſiluæ inſonuere profundæ
Balatu pecorum, & crebris mugitibus amnes.
Te liquidi fleuere lacus, vicina Cremonæ
Spargitur & tellus lacrymis, Dryadesq; puellæ
Propter aquam, tardis ingens vbi flexibus errat
Fluuiorum rex Eridanus, miſerabile viſu,
Innumeras ſtruxere pyras. Tibi LILIA *plenis*
Ecce ferunt nymphæ calathis, ſolatia luctus,
Exigua ingentis, miſero ſed debita patri.
Tu decus omne tuis. poſtquam te fata tulerunt,
Regibus inceſſit magno diſcordia motu,
Hinc Auguſtus agens Italos in prælia Cæſar,
Qui regnum Italiæ, & primos ſibi poſcit honores,
Fulmina molitur, cui belli inſigne ſuperbum
Aſper, acerba tuens, pedibus Iouis armiger vncis.
Hunc circum innumeræ gentes, populique Latini,
Heſperia & magna Chalybum generoſa metallis.
Extremiq; hominum Morini, Rhenusq; bicornis
Turbidus, & torquens flauentes Iſter arenas.
At parte ex alia validam vi corripit haſtam,
Rex genus egregium. reddi ſibi poſcit honorem
Fertilis Auſoniæ, & quæſitas ſanguine dotes,
Teſtaturq; deos iterum ſe ad prælia cogi.

Arduus inſurgens, & grandia Lilia quaſſans,
Agmina in arma vocat. Romanis arcibus olim
Exitium magnum, atque alpes immittet apertas.
Pro ſe quiſque viri ſumma nituntur opum vi,
Qui ſibi iam requiem pugnæ, rebusq́; ſalutem
Sperabant, nunc arma volunt, Marteḿq; fatigant,
Armati ferro, & criſtis capita alta coruſci.
Quo ruitis, quæ ve iſta repens diſcordia ſurgit?
Quis furor iſte nouus? quæ vos fortuna quietos
Sollicitat, tantæ ne animis cæleſtibus iræ?
Ne pueri, ne tanta animis aſſueſcite bella,
Ambo animis, ambo inſignes præſtantibus armis,
Neu patriæ validas in viſcera vertite vires.
O cohibete iras: coëant in fœdera dextræ
Quà datur, aſt armis concurrant arma cauete.
Tuq́; prior, tu parce Italum fortiſſime Ductor,
Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido,
Nota tibi iam quæ paſſus terraq́; mariq́;
Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.
Matres atque viri, pueriq́; parentibus orbi
Dirum execrantur bellum. tege pace Latinos
Omnibus exhauſtos iam caſibus, omnium egenos
Quid memorem infandas cædes, deſertaq́; regna
Paſtorum, & longe ſaltus, latéque vacantes?
Sanguine adhuc noſtro recalent Tiberina fluenta
Pro Latio obteſtor, pro maieſtate tuorum
Proijce tela manu. paribus ſe legibus ambæ
Inuictæ gentes æterna in fœdera mittant.
Nũc ad te, & tua, magne pater cõſulta reuertor

Ad te confugio, & ſupplex, Rex optime Regum,
Quid grauidā bellis vrbem, & corda aſpera tētas,
Littus ad Auſonium? potuit quæ plurima virtus,
Eſſe, fuit, toto certatum eſt corpore Regni.
Deſine iam tandem, precibúſque inflectere noſtris,
Cede Deo, nec te vllius violentia vincat,
Quin gnatam egregio genero (præq; omnibus vnū,
Prædicam, & repetēs iterumq; iterúmque monebo)
Des pater, & pacem hanc æterno fœdere iungas,
Quo ferrum, quídve hæc geritis tela irrita dextris?
Quod ſi tantus amor menti, ſi tanta cupido,
Arua aliena iugo premere, atque auertere prædas,
Arma parate animis, nec longe ſcilicet hoſtes,
Quærendi vobis. Certatur limine in ipſo,
Auſoniæ, quæ tanta animis ignauia venit?
Ecce inimicus atrox, cæſis inſignis Achiuis
Victor ab Auroræ populis: ſummáſque minatur
Deiecturum arces Italium, excidióque daturum,
Horreſco referens ſedeant, ſpecténtque Latini:
Regnatorem Aſiæ ſpoliis Orientis onuſtum,
Immanem veluti pecora inter inertia tigrim,
Diuerſa exilia, & diuerſas quærere terras,
Cogemur, qui nunc lenti conſedimus aruis.
Illi armis in regna ruunt. Crudelis vbique,
Luctus, vbique pauor, incuruant viribus arcus,
Exhortantur equos, fundunt ſimul vndique tela
Crebra niuis ritu, cincti fulgentibus armis.
Connixi incurrunt haſtis, pars maxima glandes
Liuentis plumbi ſpargit: loca ſulphure fumant,

Aere cauo, & ſubito cælum tonat omne fragore,
Nec longum in medio tempus, cùm clamor ad aures
Bellantum iuuenum, & duro ſub Marte cadentũ.
Diuerſo interea miſcentur mœnia luctu,
Iámque ſacerdotes magnam Mauortis ad vrbem
Velati lino volitant, luſtrántque choreis.
Atria: dependent lychni laquearibus aureis,
Implorántque Deos incenſa altaria circum,
Haud mora feſtinant flentes, oſtróque decori,
Flẽt mœſti, muſſántque patres, paupérque Senatus.
Ipſe gubernator, rerum cui ſumma poteſtas,
Dum paci medium ſe offert iuſtiſsimus vnus
Cuncta videns magno curarum fluctuat æſtu,
Exorat pacem Diuûm, vittásque reſoluit
Sacrati capitis, tendens ad ſidera palmas,
Nequid inexpertum, Tirio conſpectus in oſtro,
Ora puer prima ſignans intonſa iuuenta,
Nomen aui referens, Auguſta ad mœnia Regis,
Itq; reditque viã toties, lacrymánsque, geménsq;,
Paciferæq; manu ramum prætendit oliuæ,
Ante annos animumque gerens, curámque virilẽ.
Ipſe ſedens clauúmque regit, velisq; miniſtrat,
Iam ſenior, ſed cruda Deo. viridisque ſenectus.
Ergo concilium magnum primósque ſuorum,
Imperio accitos Atheſim nunc propter amœnum,
Ire iubet: quorum melior ſententia menti,
Iura dabunt, legésque viris, ritúsque ſacrorum.
O pater, o hominũ, diuûmque æterna poteſtas,
Spero equidem, ſi quid pietas antiqua labores

Reſpicit humanos, crimenq́;, caputq́; malorum
Supplicia hauſurum, laniatum corpore toto
Romanóque foro flamma crepitante cremari
Cernere erit, tantas audetis tollere moles
Gens effrena virûm ſeptem ſubiecta trioni?
Tanta ne vos generis tenuit fiducia veſtri?
At ſperate Deos memores fandi, atque nefandi.
Ipſi has ſacrilego pendetis ſanguine pœnas.
Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere diuos.
Nate patris ſummi, tuq́; o ſanctiſſima Vates
Quæ Thuſcũ Tyberim, & Romana Palatia ſeruas
Diua parens, præſens noſtro ſuccurre labori.
Dij maris, & terræ, tempeſtatumq́; potentes
Hos inter motus tantis ſurgentibus vndis
Ferte viam vento facilem, & ſpirate ſecundi,
Et placidi ſeruate pios, gentemq́; togatam.
Sit Latium, ſint Albani per ſæcula Reges.
Hac caſti maneant in relligione nepotes
Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.
At tu magne pater, puraq́; in veſte ſacerdos
Tuq́; o Tibri tuo genitor cum flumine ſancto
Durate, & voſmet rebus ſeruate ſecundis.
O paſſi grauiora, dabit Deus his quoque finem.
In freta dum fluuij current, vulgata per orbem
Intemerata fides, Capitoli immobile ſaxum
Accolet, imperiumq́; pater Romanus habebit,
Miſſus in imperium, cæli cui ſidera parent,
Inferniq́; lacus, atque altæ mœnia Romæ.
Ille canit: placidi ſtrauerunt æquora venti.

Intonuit læuum, & vibratus ab æthere fulgor
Collectaſq; fugat nubes, ſolemq; reducit.

DAMON.

SOLE recens orto, magnam Mauortis ad vrbē
Incumbens tereti Damon ſic cæpit oliuæ.
Aggredere o magnos (aderit iam tempus) honores
Cara Deûm ſoboles, magnæ ſpes altera Romæ.
Macte noua virtute puer, diuine poëta,
Quid ſtruis? aut qua ſpe tu nunc in montibus erras
Threicia fretus cithara, fidibuſq; canoris?
Deſine iam tandem Tyrio conſpectus in oſtro
Atque humiles habitare caſas, & figere ceruos.
Vtere ſorte tua, nemorum Latonia cuſtos
Riparumq; toros, & depreſſas conualles
Ipſa colat, fatis huc te poſcentibus affer.
Maior agit Deus, atque opera ad maiora remittit
Mulcentem tigres, & agentem carmine quercus
Europæ atque Aſiæ præſtat componere fluctus:
Hoc virtutis opus. fratrem ne deſere frater
Ille quidem tonſæ foliis ornatus oliuæ
Per populos dat iura, viámque affectat olympo
Ante annos animúmque gerens, curamq; virilem.
Tuq; ades, inceptumq; vnà decurre laborem,
Hunc cape conſiliis comitem, & coniunge volentē.
Ambo animis, ambo inſignes pietate vel armis
Conſulite in medium, & rebus ſuccurrite feſſis.
Huc ades o formoſe puer, tibi lilia plenis

Ecce ferunt nymphæ calathis inſigne paternum.
Poſt alij proceres, quæ cuique eſt copia, læti
Dona ferunt, onerántq; aras, mactántq; iuuencos.
Huc ades, & votis iã nunc aſſueſce vocari,
Multa tibi ante aras noſtra cadet hoſtia dextra,
Dũ memor ipſe mei, dũ ſpiritus hos reget artus,
Semper honore meo, ſemper celebrabere donis,
Te nemus omne canet, ſi quid mea carmina poſſunt.
Tũ genus omne tuũ, genus alto a ſanguine diuûm.
Dij patrij, quorũ ſemper ſub numine Roma eſt,
Hunc ſaltem euerſo iuuenem ſuccurrere ſeclo
Ne prohibete, ſatis tot iam labentibus annis,
Supplicia, & ſcelerũ pœnas expendimus omnes.
Corniger heſperidũ fluuius regnator aquarum,
Hîc vir, hîc eſt, tibi quẽ promitti ſæpius audis,
Huius in aduentu Capitolî immobile ſaxum
Vertice ſe attollens caput inter nubila condet.
Cana fides, & Veſta, Remo cum fratre Quirinus
Iura dabunt: fremituq; virûm, ſtudiuq; fauentũ,
Aſpice venturo lætentur vt omnia ſeclo.
Ipſi lætitia voces ad ſidera iactant
Intonſi montes: auium concentus in agris,
Et lætæ pecudes, & ouantes gutture corui.
Aſpice ventoſi ceciderunt murmuris auræ,
Sternitur æquor aquis: fugiunt vaſto æthere nimbi,
Parturit almus ager, Zephyriq; tepentibus auris,
Laxant arua ſinus, nonulli obnoxia curæ
Fundit humo facilem victum iuſtiſſima tellus.
Ergo alacres ſiluas, & cætera rura voluptas,

Panáque paſtoresq́; tenet, nymphasq́; ſorores,
Magnanimosq́; duces, atque altæ mœnia Romæ:
Pars in gramineis exercent membra paleſtris,
Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicũt,
Mutuaq́; inter ſe læti conuiuia curant,
Oraq́; corticibus ſumunt horrenda cauatis.
Conſonat omne nemus ſtrepitu, riſúque ſoluto
Deſine Mœnalios, iã deſine tibia verſus:
Carmina tũ melius, cùm venerit ipſe, canemus.

In Effigiem Franciſci Gonzagæ Marchionis Mantuæ IIII.

O Decus Italiæ, quondam dum vita manebat,
Sceptra tenens, tardis ingens vbi flexibus errat
Mincius, & tenera prætexit arundine ripas,
Semper honore meo, ſemper celebrabere donis,
Dũ memor ipſe mei, dum ſpiritus hos reget artus,
Salue vera Iouis proles. Tu maximus ille es,
Vnus qui nobis, magno turbante tumultu,
Ante annos animúmque gerens, curámque virilẽ,
Vltro animos tollis dictis, & pectore firmo
Arduus arma tenens, fulgentes ære cateruas
More furens torrentis aquæ, Gallumq́; rebellẽ,
Sternis humi, cãpique ingentes oſſibus albent.
Parthenope meriti tanti non immemor vnquã,
Dextera cauſſa tua eſt, ſolio conſedit auito.
Quid memorẽ ſpolia illa tuis pendentia tectis
Iam vulgata? quibus cælo te laudibus æquem,

Flos veterum, virtuſq; virûm? cui cura nitentes
Paſcere equos, meritæ expectent qui præmia palmæ
Europa, atque Aſia, tantæ eſt victoria curæ.
Tu decus omne tuis, tu ſeruantiſſimus æqui
Omnibus exhauſtos iam caſibus omnium egenos
Vrbe domo ſocias. Tua terris didita fama.
Munera præterea ex auro, ſolidóque elephanto
Coniunxere tibi (cuncti ſe ſcire fatentur)
Regnatorem Aſiæ, genus inſuperabile bello,
Et penitus toto diuiſos orbe Britannos:
Salue ſancte parens, Italûm fortiſſime ductor,
Felix prole virûm, ſi quid mea carmina poſſunt,
Semper honos, nomenq; tuum, laudéſque manebũt.

Ad Coſmum Medicem Florentin. Ducem.

O Præſtans animi iuuenis, cui regia paret
Diues opum, diues pictai veſtis, & auri,
Vrbs Etruſca ſolo ſtudiiſq; aſperrima belli,
Flos veterum, virtuſq; virûm, poſt multa tuorum
Funera, poſt varios hominumq;, vrbiſq; labores,
Veniſti tandem Deus æthere miſſus ab alto.
Credo equidem, nec vana fides, genus eſſe deorum.
Ora puer prima ſignans intonſa iuuenta,
Mœnibus in patriis, magno turbante tumultu,
Miſſus in imperium magnum popularibus auris,
Sceptra tenes, nam te voluit Rex magnus olympi,
Hos inter motus exortem ducere honorem,

Iuſtitiáque dedit gentis componere fluctus.
Aſpice ventoſi ceciderunt murmuris auræ,
Æquora tuta ſilent, Italum fortiſsime ductor
Perge modo, pelagoq; volans da vela patenti
Matre Dea monſtrante viam, ſed facta parentis
Profuerit meminiſſe magis, villoſaq; ſetis
Pectora. Non illi quiſquam ſe impune tuliſſet,
Obuius armato (cuncti ſe ſcire fatentur)
Seu ſpumantis equi foderet calcaribus armos
Arduus arma tenens, ſeu cùm pedes iret in hoſtem,
Aſper, acerba ſonans, flammantia lumina torquēs,
Quin etiam veterum effigies, decora alta parentū,
Mores, & ſtudia, & ſacris inpoſtibus arma
Admiranda tibi, pugnataq; in ordine bella
Multa manu Medica, totum vulgata per orbem.
Nate Dea, nam te maioribus ire per altum
Auſpiciis manifeſta fides: in te ora Latini
In te oculos referunt, fas extera quærere regna,
Maior agit Deus, atque opera ad maiora remittit.
Ergo omni ſtudio laudis ſuccenſus amore,
Magnanimosq; duces, atque hæc exempla ſecutus,
Aude, atque aduerſum fidens fer pectus in hoſtem.
Nec te pœniteat duros perferre labores
Sole ſub ardenti, gelidique ſub ætheris axe
Tela inter media, & fluuios tentare minaces,
Noctes, atque dies, ſic fortis Etruria creuit.
Hæ tibi erunt artes, murorum attollere moles:
Littus ad Auſonium armatas deducere claſſes,
Tutari Italiam, detrudere finibus hoſtem:

Et glomerare manum bello, terraq́;, mariq́;,
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.
In primis venerare Deos, ſic denique victor,
Telum immane manu quaties, populosq́; feroces
Contundes, nulli veterũ virtute ſecundus.
Tũ genus omne tuũ ſuper & Garamãtas, & Indos
Proferet imperiũ, & cunctis dominabitur oris
Et nati natorũ, & qui naſcentur ab illis.
Hæc ſunt, quæ noſtra liceat te voce moneri,
I decus i noſtrũ melioribus vtere fatis,
Nomine auum referens, animo, manibusq́; parentẽ.
Hæc vbi dicta dedit diuino carmine paſtor,
Fatidicæ Mantus, & Thuſci filius amnis,
Intonuit læuũ Diuũm pater, atq; hominũ Rex
Annuit, & totum nutu tremefecit olympum.

Ad illuſtriſſim. Hippolitum Cardinalem Eſtenſem.

Formoſi pecoris cuſtos, Diuumq́; ſacerdos,
O decus Italiæ Ferrea progenies,
Expectate ſolo Laurenti, aruisq́; Latinis,
Veniſti tandem littus ad Auſonium.
Sic equidem ducebam animo, rebarq́; futurum,
Noctes atque dies tẽpora dinumerans.
Ipſi lætitia voces ad ſidera iactant
Intonſi Montes fertilis Auſoniæ,
Et læte pecudes, & ouantes gutture corui,
Balatu pecorum conſonat omne nemus.

Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos,
Omnia nunc rident, æquora tuta ſilent.
Ecce ferunt nymphæ calathis tibi lilia plenis,
Pallentes violas, Cecropiúmque thymum.
Ipſe ego cana legam tenera lanugine mala,
Edurámque pyrũ, caſtaneasq́; nuces.
Semper honore meo, ſemper celebrabere donis,
Quo res cunque cadent, dum memor ipſe mei.
Vt Baccho, Cereriq́;, tibi ſic vota vota quotannis,
Mollibus in pratis agricolæ facient.
Aſpice qui coëant Tiberini ad fluminis vndã
Paſtores ouium, pinguibus a ſtabulis.
Te veniente procul villarum culmina fumant,
Inſtituuntq́; dapes indomiti agricolæ.
Teuthonico ritu vertunt crateras ahenos,
Contendunt ludo, lætitiaq́; fremunt.
Sacra canunt, choreas plaudunt longo ordine matres,
Matres atque viri carminibus patriis.
Salue magne parens magnam Mauortis ad vrbem
Expectate venis littora nota petens.
Vitis vt arboribus decori eſt, vt vitibus vuæ,
Heſperia in magna tu decus omne tuis.
Siſte gradum, teq́; aſpectu ne ſubtrahe noſtro;
Montibus in noſtris paſcere oportet oues.
Hîc gelidi fontes, & prata recentia riuis,
Hîc ver aßiduum, bis grauidæ pecudes.
Adde tot egregias vrbes, gentemq́; togatam,
Numina magna loci, magnanimosq́; duces.

Deſine iam tandem terras tentare repoſtas
Saxa per, & ſcopulos, hic tibi certa domus.

Virgilij Proſopopeia.

OPtime Graiugenum, magnam cui mentem animúmque,
Delius inſpirat vates, diuine poëta,
Veniſti tandem magnam Mauortis ad vrbem
Quas te per terras, & quanta per æquora vectum
Accipio, o famæ merito pars maxima noſtræ
Nate Dea, amiſſos hinc iam obliuiſcere Graios:
Noſter eris, fatis huc te poſcentibus affers.
Hic tibi certa domus certi, ne abſiſte, penates
Monte ſub aërior, cui nunc cognomen Iulo.
Hic gelidi fontes, & prata recentia riuis,
Hic ver aſſiduum, atque alienis menſibus æſtas,
Strata iacent paſſim ſua quæque ſub arbore poma.
Omnia nunc rident, pinguésque in gramine læto
Inter ſe aduerſis luctantur cornibus hædi,
Te veniente ruunt effuſi carcere currus,
Mollibus in pratis, Tiberini ad fluminis vndam
Purpurei criſtis iuuenes, auroq́; coruſci
Contendunt ludo, & fulua luctantur arena,
Conſonat omne nemus ſtrepitu, ſtudiisq́; fauentum
Ipſi lætitia voces ad ſidera iactant
Intonſi Montes, requierunt flumina curſus.
Vndique viſendi ſtudio Romana propago
Circunfuſa ruit, pueri, innuptæq́; puellæ,

Sacra canunt, plaudunt choreas, & carmina dicũt.
Salue ſancte parens, quo non præſtantior alter
Carminibus patriis deducere montibus ornos,
Siſtere aquam fluuiis, Martémque accẽdere cantu.
Salue vera Iouis proles, tu maximus ille es,
Vnus qui nobis, tot iam labentibus annis
Et fontes ſacros, inuentaq́; flumina monſtras.
Ergo alacres ſiluas, & cætera rura voluptas,
Panáque, paſtorésque tenet, tibi lilia plenis
Ecce ferunt nymphæ calathis. te maxima rerum,
Roma colit, viridique aduelat tempora lauro,
Paciferaq́; manu ramum prætendit Oliuæ,
Iulius a magno demiſſum nomen Iulo.
Hic vir hic eſt tibi quem promitti ſæpius audis,
Flos veterum, virtúsque virûm. iuſtiſsimus vnus,
Per populos dat iura, viámque affectat olympo,
Ipſe ſedens clauúmque regit, velisque miniſtrat,
Miſſus in imperium, cæli cui ſidera parent,
Infernique lacus, atque altæ mœnia Romæ.
Quatuor hic inuectus equis conſpectus in oſtro
Victor ab Auroræ populis, ad Tibridis vndam,
Cælicolum regi votum immortale ſacrabit:
Ni fruſtra augurium vani docuere parentes,
Maius opus, maior rerum mihi naſcitur ordo,
Fortunate ſenex, cithara fidibúsque canoris,
Túque ades, inceptúmque vnà decurre laborem,

Romæ Proſopopeia.

Flauentes abſciſſa comas pulcerrima Roma,
Cara mihi ante alias,
Stabat acerba fremens, Tiberini ad fluminis vndã,
Omnia tuta timens.
Triſtior & lacrymis oculos ſuffuſa nitentes,
Talia dicta dabat.
O decus Italiæ cui nunc cognomen Iulo,
Rex genus egregium.
Ad te confugio cæloq; Erebóque potentem,
Suppliciter venerans.
Da dextram miſeræ, tantis ſurgentibus vndis:
Intonuere poli.
Vna Eurusq; Notusq; ruunt, velut agmine facto
Incubuere mari.
Et fœdam glomerant tempeſtatem imbribus atris,
Fluctibus & fremitu.
Romanosq; tuos ſtridens Aquilone procella
In vada cæca tulit.
Velum aduerſa ferit. Multos ſeruata per annos,
Saxa per, & ſcopulos
Relligione patrum, tremit ictibus ærea Puppis,
Fraxineæq; trabes.
Præſentemq; viris intentant omnia mortem.
Eia age rumpe moras.
Rumpe moras, præſens noſtro ſuccurre labori,
Rurſus in arma feror.

Ardentes clypeos atque æra micantia cerno,
Littore Trinacrio.
Tempeſtas telorum, & ferreus ingruit imber.
Ecce inimicus atrox
Victor ab Auroræ populis, terraq́; marique,
Turbidus ingreditur.
Arduus arma tenens, pelago decurrit aperto,
Littora nota petens.
Fit ſonitus ſpumante ſalo, circunſonat armis
Italiam: Italiam
Ire iterum in lacrymas dulcésque relinquere terras,
Ecce iterum ſtimulat
Enſe ſequens, campis omnis diffugit arator,
Omnis & agricola.
Spargitur & tellus lacrymis, crudelis vbique
Luctus, vbique pauor.
Hinc mouet Euphrates, illinc Germania bellum,
Gens inimica mihi.
Gens effrena virûm, tot iam labentibus annis,
(Eloquar? an ſileam?)
Corripuere ſacram effigiem, manibusq́; cruentis
Diripuere focos.
Auſi omnes immane nefas auſóque potiti
Aedibus in mediis.
Hinc mihi prima mali labes, ignara deorum,
Vana ſuperſtitio.
Quid memorẽ infandas cædes? quid monſtra ferarũ
Nota nimis miſeris?
Sanguine adhuc noſtro recalent Tiberina fluenta,

Sanguine terra madet.
Pro Latio obteſtor pro maieſtate tuorum,
Cara Deûm ſoboles.
Eripe me his inuicte malis, ſatis vna ſupérque
Vidimus excidia.
Cura tibi diuum effigies & templa tueri
Mœnibus in patriis.
Tutari Italiam detrudere finibus hoſtem,
Palladis auxiliis.
Aſpice qui coëant in me excidiúmque meorum,
Indomiti agricolæ,
Extremique hominũ Morini, Rhenúsque bicornis
Agmina in arma vocat.
Impius hæc tam culta noualia miles habebit?
Barbarus has ſegetes?
Perduxit miſeros en quo diſcordia ciues,
Fertilis Auſoniæ
Per medias vrbes agitur populósque Latinos,
Pallida Tiſiphone.
Exurgítque facem attollens, atque intonat ore
Seditione potens,
At tu magne pater foliis ornatus Oliuæ
Vtere ſorte tua.
Arma inter regum coeant in fœdera dextra
Littus ad Auſonium.
Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes
Nos tua progenies,
Matres atque viri, pueri, innuptæq; puellæ
Relligione ſacra.

Attonitis hæſere animis, in te ora Latini
In te oculos referunt.
Ergo age care pater propius res aſpice noſtras
Parce pio generi.
Sic fatur lacrymans, & fœmineo vlulatu
Decidit exanimis.
Ille autem, quæ tanta animis ignauia venit
O mea progenies?
Parce metu, placidi ſtrauerunt æquora venti
Monte ſub aërio.
Quin etiam muros optatæ molior vrbis
Victus amore tui.
Neu belli terrere minis, abſiſte moueri,
Omnia tuta vides.
Hos inter motus (non hæc ſine numine diuûm)
Te quoque magna manent,
Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum
Intemerata Fides
Læta deum partu ſuper & Garamantas & Indos
Proferet imperium.
Ne dubita, medias acies mediósque per ignes
Fata viam inuenient.

Ad Fortunam.

FOrtuna omnipotens, magnum, & memorabile numen,
Europæ atque Aſiæ, nam te dare iura loquuntur
Omnibus errantem terris, huc dirige greſſum

Aëra per vacuum pernicibus ignea plantis,
Vel mare per medium fluctu ſuſpenſa tumenti,
Adſis o tantum, atque animis illabere noſtris,
Alma precor: magno laudum perculſus amore,
Noctes, atque dies ſupplex tua nomina poſco,
Da facilem curſum, da famam extendere factis,
Carminibus Patriis ſuper & Garamãtas & Indos,
Oceani finem iuxta, Solémque cadentem,
Te ſine nil altum mens inchoat, en age ſegnes
Rumpe moras omnes, audacibus annue cœptis.
Huc ades, inſani feriant ſine littore fluctus,
Et ſi quid ceſſare potes requieſce ſub vmbra,
Mecum vna in ſiluis, ſuſceptum perfice munus:
Nulla meis ſine te quæretur gloria rebus,
Carmina nulla canam, magnã Mauortis ad vrbẽ
Immunem tanti belli, tua maxima cura
Ipſa immota manet, ſpectátque interrita pugnas,
Hos inter motus, atque hæc certamina tanta
Arma inter Regũ atque horrentes Marte Latinos.
Salue vera Iouis proles, ſanctum mihi numen,
Quæ Thuſcũ Tiberim, & Romana palatia ſeruas,
Ecce ferunt nymphæ calathis tibi lilia plenis.
Pars pedibus plaudunt choreas, te maximus orbis
Autorem frugum, tempeſtatumq; potentem,
Ante aras plena ſupplex veneratur acerra.
Salue magna parens frugum, tu ſceptra, Iouemq́;
Concilias, tu das epulis accumbere Diuũm
Paſtores ouium, & magna inter præmia ducis.
At genus antiquũ terræ Titania pubes,

Te duce deiecti fundo voluuntur in imo,
Cælicolum regi direxti tela, manusq́;,
Et coniuratos cælum reſcindere fratres
Vulneribus crebris Stygias detruſit ad vndas,
Et caligantem nigra formidine lucum,
Pallentes vmbras Erebi. Te ianitor orci,
Te Stygij tremuere lacus, tu Creßia mactas,
Prodigia, & vaſtum Nemeæ ſub rube leonem,
Alcidæ comes vſque, graues dum terra labores
Præbuit, irarumq; omnes effudit habenas
Sæua Iouis coniux, tot iam labentibus annis,
Imbellem auertis Romanis arcibus Indum,
Fidentémque fuga Parthum, Tiriosq́; bilingues.
Omnibus exhauſtos iam caſibus omnium egenos
Romanos rerum dominos in ſceptra reponis.
Ex illo celebratus honos, tibi vota quotannis,
Bis ſenos cui noſtra dies altaria ſumant,
Seruati facimus, meritósque nouamus honores.
Quod ſupereſt, oro, propius tua numina firmes,
Hanc primùm tutare domum, Montemq; ſeuerum.
Sit Latium, ſint Albani per ſecula Reges,
Hac caſti maneant in relligione nepotes,
Tu Dea, tu præſens noſtro ſuccurre labori
Tu vatem, tu diua mone, dicam horrida bella,
Magnanimosq́; duces, liceat tua dicere facta
Nunc, olim quocunque dabunt ſe tempore vires.
Vix hæc edideram cum circunfuſa repente,
Scindit ſe nubes, claráque in luce refulſit,
Vertice ſe attollens, Capitoli immobile ſaxum,

Contremuit nemus, & requierunt flumina curſus
Aduentante Dea, ſugiunt vaſto æthere nimbi,
Ipſi lætitia voces ad ſidera iactant
Intonſi Montes, reſpondent omnia ſiluæ.
Huius in aduentu deductum dicere carmen
Mens agitat mihi, nec placida contenta quiete eſt.
Fatidicæ Mantus Romana per oppida carmen
Dicam equidem, inſano iuuat indulgere labori.
Maius opus, maior rerum mihi naſcitur ordo,
Ipſe caput tonſæ foliis ornatus oliuæ,
Aonio rediens deducam vertice Muſas,
Inſuetum per iter, referam tibi Mantua palmas
Ni fruſtra augurium vani docuere parentes.

Salutatio Calend. Ianuarij ad Paullum III. Pont. Max.

SAlue ſancte parens, cæli cui ſidera parent
Inferniq; lacus atque altæ mœnia Romæ,
Fortunate ſenex, ſi quid mea carmina poſſunt
Semper honos noménque tuum laudéſque manebunt.
Nec tu carminibus noſtris indictus abibis,
Nate patris ſummi. Nec te memorande ſilebo
O decus Italiæ magnæ ſpes altera Romæ,
Nomen aui referens. Et quo te carmine dicam,
Macte noua virtute puer noua, regna petentem.
Dijs genite & geniture deos, tibi ducitur vxor,
Cui genus a proauis ingens pluuialibus Auſtris.

Spargite humum foliis, manibus date Lilia plenis,
Nymphæ Laurentes iuuat indulgere choreis,
Omnia nunc rident, tuq; o ſanctiſsima coniux
Salue magna parens, geminique ſub vbere nati
Viuite felices o terque quaterque beati:
Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.

Benedictus Ægius ad Lælium Capilupum.

Si vera eſt Læli Samij ſententia vatis,
Quæ tua nunc anima eſt ante Maronis erat.

Lælij Capilupi ad Benedictum Ægium, Cento.

O Præſtans animi longa cum veſte ſacerdos,
Flos veterũ virtuſq; virûm, diuine Poëta.
Quæ tibi, quæ tali reddam pro carmine dona?
Dij, ſi qua eſt cælo pietas quæ talia curet,
Præmia digna ferant, grates perſoluere dignas,
Non opis eſt noſtræ. Sat erit tua dicere facta.
Nunc olim, quocunque dabunt ſe tempore vires.
Quid loquor? aut vbi ſum? quæ mentẽ inſania mutat?
Omnia fert ætas, & quo carmine dicam
Iam ſenior? non lingua valet, non corpore notæ,
Sufficiunt vires. quatit æger anhelitus artus.
Dicam equidem fretus cithara, fidibuſq; canoris
Fatidicæ Mantus, ſi quis tamen hæc quoque, ſiquis

Captus amore [illegible], Tiberini ad flumina vndam,
Te penes omne canit, Tu ſeruantiſsimus æqui.
Tu [illegible] magnam Mauortis ad vrbem.
Curæ tibi diuum effigies & templa tueri,
Et fontes ſacros arces quibus altus Apollo
Præſidet, & cantu vocat in certamina diuos.
Salue vera Iouis proles, cui carmina ſemper,
Et citharæ cordi. dum ſpiritus hos reget artus,
Semper honore meo, ſemper celebrabere donis.

Ad Paullum III. P. M.

Salue ſancte Parens, rerum cui ſumma poteſtas,
Os, humeróſq; Deos ſimilis, Sebethide Nympha
Quem genuit, multaq; inſignem reddidit arte
Omnibus errantem terris, formoſus Apollo,
Ad te confugio, & ſupplex tua numina poſco,
Brachia pretendens, ſemper miſerate labores
Fertilis Auſoniæ, propius res aſpice noſtras,
Qui Tuſcũ Tiberim, & Romana Palatia ſeruas,
Parce pio generi, pietate inſignis, & armis,
Parce pias ſcelerare manus, rex optime regum,
Deſine iam tandem precibusq; inflectere noſtris,
Pœnarum exhauſtum ſatis eſt, Romana propago
Stat lacrymans, largoq; humectat flumine vultum
Suppliciter venerans. Tota quod mente petiſti,
Stant ſale Tirrheno claſſes, ad Tibridis vndam.
Ergo age care Pater, da (non indebita poſco)
Incolumem Aſcanium, magno turbante tumultu,

Redde, oro, miſeris, pacem te poſcimus omnes,
Vnà omnes iuuenum primi, priſciq; Quirites,
Vlterius ne tende odiis. Antonius armis:
Viribus imparibus regnis exceſſit auitis.
Sola domo mæret vacua ſanctiſſima coniux,
Hos inter motus, mentem turbata dolore,
Labitur infelix, & pelle Libyſtidis vrſæ
Incubat, illum abſens abſentem auditq; videtque,
Et roſeas laniata genas, diſcindit amictus,
Et crines flauos, immugit Regia luctu,
Lamentis gemitúque, ingenti adnixa Columnæ,
Dum fortuna fuit, multos dominata per annos.
Alma parens mæſtis late loca queſtibus implet,
Térq; quaterq; manu pectus percuſſa decorum,
Multa ſuper nato lacrymans. Miſerere precantis,
Summe Pater, miſerere domus labentis, & iſtam,
Oro (ſi quis adhuc precibus locus) exue mentem.
Nate Dea tantæ ne animis cæleſtibus iræ?
Pro Latio obteſtor, pro maieſtate tuorum,
Proijce tela manu, ſi quid mea carmina poſſunt,
Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt.
Hos virtutis opus, quo non præſtantius vllum,
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Ad Iulium Feltrium Vrbinatem
Cardinalem.

O Nate Regum robore fortium,
Quid Iule ruri tempora nunc teris?

Non ſerta nectit ver puellis,
Nec zephyri volitant per auras.
Non falce fruges flaua metit Ceres:
Quas terra magno fœnore reddidit,
Nec præbet Autumnus racemos,
Bacche tuum generoſe munus.
Quin linquit agros, atque hyemem fugit
Turpem atque inertem: tu ſimul aufuge,
Viámque mutatis vorato,
Vectus equis celeriue curru.
Et te ſuetis redde negotiis,
Te digna curans, iam ſatis otio
Mentem leuaſti, iam laborum
Illa feret recreata pondus.
Gonzaga, qui te diligit vnicè
Vinclo coactus ſanguinis, & tuæ
Virtute victus, te trahentem
Increpat vſque moras, & vſque.
Et Borromæus, cui meritò Pius
Arcana credit digna ſilentio,
Rerumq; habenas dat regendas,
Te precibus reuocat morantem.
Iam linque campos, qui glacie rigent,
Squalent & Euri flatibus horridi:
Romámque præclaram triumphis,
Ver vbi perpetuum, redito.
Illam reuiſes mœnibus, & viis
Diuûmque templis, atque palatiis
Auctam ſuperbis, quæ fuere

Structa Pij & decorata ſumptu.
Illámque cernes legibus aureis
Nunc conſtitutis, tollere verticem.
O nos beatos ter quatérque,
Quos pius, & Medicus gubernat.
Non alter illo iuſtius imperat,
Nec ſol quid illo mitius aſpicit,
Seu promit ex vndis Eois,
Siue diem Heſperiis recondit.
Quid iam moraris? Hic quoque te iubet
Ad ſe reuerti: non tibi temnere.
Fas iuſſa patris cui ſuperne
Claue datum eſt reſerare Olympum.
E rure multas delitias licet,
Curisq; liber gaudia colligas:
Ex vrbe Roma non minores
Percipies, mihi crede, fructus:
Si dulce ruri nunc tibi deuio
Sub ſolis ortus, aut merulam, aut gruem
Vidiſſe, vel turdos edaces
Retibus implicitos doloſis:
At ſuaue Romæ iam tibi purpura
Fulgente claro, cernere plurimos
Quos ſpes honorum cepit, & quos
Sicut aues laqueus fefellit.
Nec te pigebit, qui innumeris bonos
Virtuti amicus muneribus beas,
Spectare, qui piſces vt hamo,
Sic auidi capiuntur auro.

Et te iuuabit qui placidum tenes
Portum periclis iam procul omnibus,
Videre quos fallacis Aulæ
Aura vehit rapidas per vndas.
Ludumq; Fortunæ aſpicere, & iocum
Quæ ſæpe dignos calcat, & opprimit,
Atque immerentes cæli ad aſtra
Diuitiis & honore tollit.
Spectanda proſunt talia: quæ docent
Quàm ſint inanes ſpes hominum, ſuas
Qui res ab omni parte iniquo
Huius in arbitrio locarunt.

Ad Gregorium XIII. Pont. Max.

Sancte pater, qui luce Dei perfuſus in alto
Stas ſolio, & nitido, Sol vt, in axe micas:
Non curru te dextra ſuo fortuna, nec aura
Principis, aut hominum ſuſtulit vlla manus:
Sed tua te virtus ad ſummum euexit honorem,
Quique ſacro æthereas indicat igne vias.
Sic quoque vir iuſtus quondam duce fretus eodem
Eſt in flammiferis vectus ad aſtra rotis.

Ad Herculem Gonzagam, dum ipſe Capilupus Romæ in cuſtodia ſeruaretur.

HErcules lux Italiæ, decúsque:
Fraudis expertem & sceleris fuiſſe
Rebus in duris homini eſt malorum
Dulce leuamen.
Carcere in tetro licet ipſe claudar,
Noſtra mens nullo trepidat timore,
Nec vigil ſomnos mihi cura rumpit
Nocte ſilenti.
Nam meus curis animus fugatis
Conſcius recti ſibimet quieſcit,
Se ſimul veſtra recreatus aura
Erigit audax.
Tu mihi aſpiras, & ades ſecundus,
Et mihi prenſo mediis tenebris,
Gurgite in vaſto tua certa lucem
Stella miniſtrat.
Emicat virtus tua parte ab omni,
Vndiq; apparent mihi ſigna amoris,
Quæ meo ſemper ſolidè manebunt
Pectore fixa.
O mihi ſaltem ſolitos liceret
Ferre pro tantis meritis labores,
Quos patris Minci nitidis ab vndis
Aſpicis æquus.
Sed fores obſtant mihi geſtienti
Debito fungi officio: morantur
Non tamen poſtes validi, nec vlla
Vincula mentem.
Illa non tardo pede tranſit atri

Carceris limen, celeriq; penna
Tranſuolat campos, fluuiosq;, & altos
Libera montes.
Hac ego abſenti tibi ſemper adſum,
Et tibi dulci famŭlor labore,
Dum meis veſtras meditor camænis
Condere laudes.
Te canam ſacris ſtudiis vigentem,
Queis bonus formas populum patresq́;,
Téque maiorum genitum vetuſto
Sanguine Regum.
Téque depulſa ambitione toto
Corde ſpernentem meritos honores,
Dulcia & portis penitus recluſis
Otia amantem.
Mentis argutum memorabo acumen,
Quo potes cauſſas aperire rerum
Inq; ſublimis penetrare cæli
Aurea tecta.
Te beant donis ſuperi trecentis,
Nos facis donis totidem beatos,
Quos regis leni imperio aureísque
Moribus ornas.
Mantua en omnes caput inter vrbes
Italas effert, fruitúrque læta
Pace, dum Mauors alias cruento
Territat enſe.
Tu pater certe es patriæ, atque rector:
Creditam nauem tibi namq; portu

Siſtis,hinc quamuis Boreas,fremensq́;
Hinc ruat Eurus.
Tuq́; commiſſum pecus e periclis
Eripis cautus,licet ore ſicco
Acer huc illuc lupus vſque circum
Curſet ouile.
Maximus laudum cumulus tuarum
Se obijcit ſemper mihi te canenti:
Et mei cymba ingenij grauatur
Pondere iniquo.
Te tamen noſtro,vt potero,libello
Inſeram,atque vna tua facta texam
Ne meæ tanto careant honore, &
Nomine chartæ.
Tu mei curam memorem reſerua
Interim rerum columen mearum:
Nec minus noſtræ tibi ſit ſalutis
Paruula cura.

In aquam virginem.

Fons qui virgineo fulges ſpectabilis ore,
Et Tiberim rurſus per vada nota petis:
Tolle caput, tibi Roma venit lætiſſima mater
Obuia quem raptum fleuerat ante ſibi.
Teq́; ſinu iam iam excipiens,noua pectore ſentit
Gaudia,& aduentu iure ſuperba tuo eſt.
Tu decus antiquum,tu priſcos reddis honores,
Pluraq́; das nobis commoda,plura feres.

Inſtar enim fluuij currus per ſtrata viarum,
Et vitreus erras conſpiciendus aquis.
Ludis & in gremio matris, lymphaque ſalubri
Abluis e noſtro frigidus ore ſitim.
Dumq; leui reuocas fugientes murmure ſomnos,
Iam confecta graui corda dolore leuas.
Hac iter æternum vt facias, tibi candidus hædus
Flore coronatos corruet ante pedes.

Epiſtola.

DVm Lycus a patria digreſſus tēdit ad vrbem
Hoc faciens iter, inuiſit me dulcis amicus,
Et mecum bidui ſpatium conſumpſit, vt artus
Igne relaxaret confectos frigore, & æuo,
Vtq; viæ durum mox poſſet ferre laborem.
Excepi lætus: de multis multa locuti,
De te præſertim, cùm ſis mihi carus & illi.
Te mihi narrauit præfixum vulnere amoris
Sub vetulæ imperio meretricis degere vitam,
Teq; indigna pati: faſtus tolerare ſuperbos
Illius, & multas ſine ſomno ducere noctes:
Et tibi ſæpe genas guttis manare, nec vnquam
Apparere tuo riſus veſtigia vultu.
Obſtupui, & dolui, cùm te non carior alter
Sit mihi, colla iugo nunc te ſubmittere amoris,
Cùm tua iam mores alios efflagitet ætas.
Nondum igitur te longa dies cognoſcere caſſes
Edocuit, quos ante pedes tibi callida tendit?

Nec dum artem, qua te miſerũ deludit amantem?
Cùm faciem nigram fuco conuertit in albam?
Nec nucis agnoſcis tinctos modo cortice canos?
Confictaſq; dolis lacrymas? quas exprimit vſque
Dum digitus oculos terit: & ſuſpiria ab imo
Pectore ficta trahit, queis tecum ſubdola certat,
Dum tu non ficto ſuſpiras ſtultus amore,
Et tua non falſis madefiunt fletibus ora.
Ah miſer hanc cumulas argenti pondere & auri
Illacrymans, lectiſq; rubro de gurgite conchis:
Dasq; gregem comitum, quas India toſta colorat:
Atque preces addis lacrymas vt mittat, & omnem
Triſtitiam, & veſtræ res ſint in amore ſecundæ.
Illa ſinu in tacito gaudet. furtimque cachinnat,
Et carum magis eſſe ſuis te iurat ocellis:
Vtq; ſui memor eſſe velis te voce precatur
Supplice: cùm vigilas, & cùm tua lumina condit
Somnus, vt occurrat menti tua ſemper imago.
Teq; rogat lateri affixus ſis omnibus horis,
Ne Thais te blanditiis a ſe abſtrahat vlla.
Teſtaturq; Deos, atque alti ſidera cæli,
Non donis te poſſe ſuo de corde reuelli,
Non prece, non lacrymis, magica nõ arte, nec herbis.
At maiora tuis ſi quiſquam munera præbet
Te ſubitò excludit: potiorq; eſt alter amator.
Sed promiſſa fides vbi ſit ſi quæris, inulta
Ferre ait hæc ventos vacuas periuria in auras.
Hinc lacrymæ, hinc gemit⁹, rabieſq; immẽſa, furorq;
Hinc miſer ante fores, foribus mala multa ſuperbis

Ingeris, & paulo poſt ipſo in limine ſupplex
Spargis odoratos flores, atque oſcula figis,
Te ſæpe incuſans quòd verba minantia poſtes
Iecit in aduerſos tua vox expreſſa dolore.
Tu ne igitur ſpatium vitæ famulaberis omne?
Et patieris opes, quas iam peperere parentes
Sudore ingenti, meretricem abſumere auaram?
Et virtute tibi quæſitum demere honorem?
Heu neſcis quod dulce magis nunc melle videtur,
Mox fore felle tibi (nec fallor) triſtius ipſo.
Et quantò magis ipſe bibis, ſitis arida tantò
Te magis exurit, ſiccis & faucibus angit.
Nam flammis alimenta tuis improuidus affers
Semper inexpletæ Veneri noua pabula præbens:
Vnde magis feruet corde, & fornacibus ignis.
Ah quanto eſt ſatius neruos te intendere, vt iſtum
Eijcias ardorem animo, quàm viuere vitam
Quæ magis, atque magis ſuccendat mente furorem.
Difficile eſt (fateor) ſubitò & radicitus omnem
Exſtirpare tuo quæ inſedit pectore peſtem:
Non deſperandum tamen eſt: ratio omnia vincit.
Cui ſi præbueris faciles (vt te decet) aures,
Inde pedem referes, quo ſe tuus impulit æſtus.
Illa tibi monſtrabit iter, mentémque tenebris
Eripiens circumfuſis, te in luce locabit.
Eia age te ex alto iam tandem collige ſomno,
Audacterq; iugo iam fortis ſubtrahe colla:
Ipſa dat ingentes ratio tibi viuida vires.

HERCVLIS STROZÆ.

Ad Lycum Seruum nauim, qua Dominam vehebat, pertinaciſſime propellentem.

QVo Lyce? quo properas? celerem compeſce carinam,
Non opus hic remis incubuiſſe citis.
Non te mandatis curſor properantibus vrget,
Nec pauidus læſa vector ab vrbe fugit.
Nec ferus inſequitur ponti populator Iberi,
Aut Venetæ cuſtos inſidioſus aquæ.
Nec tua certantes inſtant poſt terga carinæ,
Vnde tibi primus ſurripiatur honos.
Quem fugis, ipſe vehis: tecum eſt pars altera noſtri,
Altera cur adeo non rate digna tua eſt?
Aut hanc redde mihi, aut reliquam quoq; ſuſcipe partē,
Sarcina cōiuncti non oneroſa ſumus.
Cùm, tua ſi longus delaſſat brachia remus,
Non ego deſpiciam munus obire tuum.
Sit mihi fagineo nauim propellerē conto,
Ipſe bonus remex, ipſe magiſter ero.
Mecum amor inſurget: remo ventisq; vocati
Ibimus optatas, te recubante, vias.

Cúmque ratem ſubigam, ſi quã tu perditus ardes,
Concine, molle tuo carmine fiet iter.
Mi ſat erit, nitidus ſi me tunc ſpectet ocellis,
Et laudet nixus cara puella meos.
Cuius ad obtutum creſcet mihi robur, & a me
Magne maris domitor Typhi ſecundus eris.
Dum loquor, heu diuerſus abis, rogo nauita ſiſte,
Siſte moraturam, ſi ſinis ipſe, ratem.
Siſte precor, per ſi qua tuis flamma oſſibus hæſit,
Aut tibi ſi ſeruum ponere cura iugum.
Sic nec anhela fames, nec te ſitis arida lædat,
Nec dominus merito verbere terga ſecet.
Immemorem officij me nulla redarguet ætas,
Multa ſuper veſtro ſanguine digna canam.
Tullius inde Palatinas vt vectus ad arces
Martigena ſummum geſſerit vrbe decus.
Alter, & alter, vti vitam ſeruaret herilem,
Obtulerit certæ pectora fida neci.
Et referam ſcriptos in Punica bella Volones
Romula pugnaci pila tuliſſe manu.
Magnanimiq; loquar ſceptrumq; fidemq; Micythi,
Totq; æterna bonis artibus ingenia.
Nec niſi ſeruili fieri de ſanguine regem,
Eoos lata qui ditione tenet.
Vtq; nihil metuat Turcas manus iſta feroces,
Perq; aliena ſuas regna miniſtret opes.
Hinc & deliciæ, & ſuaues mittuntur odores,
Quos domino tellus fert inarata ſuo.
Hic quod pinguis alit ſepteno gurgite Nilus,

Quod celeri pingit dædala Memphis acu.
Quicquid Arabs, Seresq; ferũt, & odorifer Indus,
Rubráque gẽmiferi deuehit vnda maris.
Aſpera gens bello, ſed non tamen aſpera cultu,
Ad Venerem dura Martis ab arte redit.
Te quoque credibile eſt Veneris ſenſiſſe calores,
Forſan & Arabiæ carperis igne Napes.
Furtiuos precor illa tibi coniungat amores,
Nec pateant veſtræ crimina nequitiæ.
Sed quid ego hæc demens leuibus fruſtra eloquor auris?
Furcifer ille notæ deterioris abit.
Nec precibus, neque pollicitis fera corda mouentur,
Improbe non iuris tanta rapina tui eſt.
Haud fruſtra geminæ tibi pars bona deficit auris,
Oraq; candenti forcipe aduſta geris.
Ipſe ego te vidi mitra vinctum ire pudenda,
Tergaq; plectenti ſanguinolenta manu.
Affuſámque tibi puerorum illudere turbam,
Surgit an ex illo nunc tibi criſta die?
Non quodcunque tamen crimen ſcelerate luiſti,
Ominor, & verbis omina certa meis.
Aut vncus trahat, aut quercu pendentis ab alta
Incita gypſatos verberet aura pedes.
Déque tuo impaſtis ſit rixa cadauere coruis,
Poſt auidi lacerent oſſa relicta lupi.

Deſerit aligeri damnoſa Cupidinis arma,
Lis ſit magna licet cum ratione Deus.

IMprobe cùm ſolita careant mea pectora flamma,
Quid nocturna mihi bella minaris Amor?
Sit ſatis hyberni glacialia frigora cæli
Non ſemel ad duras ſuſtinuiſſe fores.
Sint probroſa ſatis obſcuræ iurgia noctis,
Totq́; mihi vacuos præteriiſſe dies.
Pubentesq́; ſatis tibi ſit potuiſſe per annos
Preſſa ſub immerito colla tenere iugo.
I procul, haud tanti fuerint tua dona Cupido,
Vt mihi non pluris ſit ſupereſſe diu.
Et ſatius fuerit veterum monimenta virorum
Voluere, quàm turpi velle in amore mori.
Me piget igne meo quenquam torquere pudetq́;
Me dominæ, & populo ſæpe fuiſſe iocum.
Turpia præteritæ cognoſcere facta iuuentæ
Nunc, licet inuitus, præſtitit acer Amor.
Vindice me varios liceat tibi quærere amantes
Cognita carminibus Parthenopæa meis.
Mutua ne dubites nutu dare ſigna loquaci,
Et miſeros verbis detinuiſſe procos.
Me coram liceat miſſas tractare tabellas,
Pluraq́; riuali munera ferre meo.
Ceſſit enim ſolitus tepefactis ſenſibus ardor,
Nec me, qui demens egerat, error agit.
Frigidus eſt calor ille, cinis licet æſtuet intus,
Qui me ſollicitum fecerat eſſe, Deus.

Hinc

Hinc Deus hinc ratio dubiis ſub ſenſibus hærent,
Viq; ſimul certant ille, vel illa pari.
Sed tamen incumbet ſtabili ratione Cupido,
Si datur æthereos vincere poſſe Deos.

Ad Petrum Bembum, de diſceſſu Amicæ ab vrbe.

VRbe meus diſcedit Amor, diſcedere & ipſe
Cogor, amicorum maxime Bembe vale.
Rura peto, valeátque forum, valeantq; ſodales,
Et Venus & Veneris ceſſit in arua puer.
Paſcit amor pecus, at numerum Cytherea recenſet,
Vomere dura graui iugera findit Hymen.
Et dominam mirantur oues, dominamq; volucres,
Vicinasq; rudis combibit agna faces.
Plus ſolito petulans aries ſalit, ictaq; tellus
Sentit aratori numen ineſſe ſuo.
Vernat ager, gaudentq; greges, gaudentq; coloni,
Falciferiq; putant ſæcla rediſſe ſenis.
Plurima Saturni rediere: ſed illa parentum
Libertas nuſquam, ſimplicitasq; redit.
In commune dabant ſegetem, in commune puellas:
Nemo ſua agnorat ſemina, nemo torum.
Valle ſub vmbroſa dominam quærebat amator,
Oſculáque inuentæ non dare, crimen erat.
Felices nimium, quibus illo tempore naſci
Contigit & tanta commoditate frui.
Dĳ male habẽt, qui primus agrũ diſcreuit ab agro

Quique ſuo ſtatuit quenque iacere toro.
Omnia quiſque tenebat, eratq́; probatior ille,
Qui nihil in tota iuſſerat eſſe domo.
Non erat vna viro coniunx, non vna puellæ
Copula, & vt libuit concubuere palam.
Iam feßis dabat herba torũ, dabat arbutus vmbrã
Murmure ſopitis prætereuntis aquæ.
Blandáque vicina recinens Philomela ſub orno
Mollibus excierat dulcia bella modis.
O mihi nunc mos ille redi, per rura, per vrbes
Hærebo dominæ ſedulus vſque meæ.
Non ego in alterius rapiar deſultor amores
Liberáve excurſum flamma licenter aget.
Vnam, ſiue Getas, ſeu tendat ad vſque Britanos,
Seu volet in Libyam, Taprobanenque, ſequar.
Ferreus ah quicunque tuos perſpexit ocellos,
Et negat ad manes te mea vita ſequi:
Quærat opes alius, finéſque extendat auitos,
Et celeres multo comparet ære Syros.
Quem malus exagitet noctéſque diesq́; Cupido,
Cui ferat occultam ſerua caterua necem.
Mî potius liceat reſonante ſub ilice tecum
Degere ſecuros Parthenopæa dies.
Vrgentemq́; famem vili reſtinguere victu,
Pelleréque Eridano pocula dante ſitim.
Expreſſóſve cauis manibus ſorbere racemos,
Aut bibere e pleno candida muſta lacu.
Tunc iuuet enixæ fœtum legiſſe capellæ,
Inq́; meo tremulum detinuiſſe ſinu.

Paſcentemq; gregem querulis mulcere cicutis,
Humidáque in mediis oſcula ferre ſonis.
Quin iuuet vmbroſos canibus circundare ſaltus,
Et latus ad tenſas conſeruiſſe plagas.
Aut ad aratra boues ſub primam iungere lucem:
Et cereale bonæ credere ſemen humo.
Sit mihi cura rudes infringere vomere glebas:
Et non formoſa ſpargere farra manu.
Dein tecum iam Sole cadente ſubire penates,
Quos tegat humenti canna reſecta lacu.
Quò non perueniant liuor curæq; ſequaces,
Rixáque nos inter non habitura locum.
Sed facilis,ſed grata quies,repetitáque ſæpe
Gaudia conueniant,conueniantq; ioci.
Quid mihi Maſſylæq; fores,laqueatáque proſunt
Tecta,rapit magnus ſi mea corda furor?
Deſpiciam fului quicquid Tagus egerit auri,
Quicquid gemmarum diues Eous habet:
Dummodo te poßim cupidis retinere lacertis,
Et tecum longos ducere vita dies.
Hos mihi contingat:te rerum noſcere cauſas,
Quo potes ingenio numina Bembe,ſinant.
Quẽque ſuus genius trahit,& ſua quenq; voluptas,
Te ſibi vult Pallas,me tener vrget Amor.
Vrget Amor,qualis medij te in fluctibus Helles
Vßit Abidenæ magne natator aquæ.
Nec me prima ſinit ſcrutari ſemina rerum,
Aut fera grandinoſa bella tonare tuba.
Cumq; mei vellem laudes contexere Mauri,

Et ſibi iam magnum Muſa paraſſet opus:
Surge puer dixit, calamóſque repone loquaces,
Altera iam veniunt bella canenda tibi.
Hæc olim memorare dabo, nec parua ſequetur
Gloria, nunc alio te mea tela vocant.
An tibi cura magis Belgas, Morinosq; referre,
Triſtiáque Herois condere bella modis,
Quàm dominam per rura ſequi, luſtrisq; mereri
Gaudia Mæoniis anteferenda ſonis?
Dixerat hæc, pura cùm me circuntulit vnda:
Tunc mihi viſa quidē eſt vnda, ſed ignis erat.
Ignis erat, neque dum celeres diuerterat alas,
Iámque in me magni ſigna caloris erant.
Nec calor illud erat, nunc me rigor aſper habebat,
Nunc Phlegethontæo rebar ab igne rapi.
Quicquid erat, noſtro vires augebat amori,
Plus ſolito ſenſi pectora noſtra premi.
Nunc quoque, dum loquor ingeminat Venus alma furorem:
Iam propero, fer opem mi Dea: Bembe vale.

Ad Cæliam Amicam, vt mutuo amet.

Quid mihi dona ſacris vouiſſe ingentia templis
Profuit? & iunctas ture dediſſe preces?
Non vt Erithræi cumularem munera ponti,
Quódve metalliferis egerit Hermus aquis.
Nec mihi vt imperium dominæ contingeret vrbis,
Iret & a nigris candida fama rogis.

Noſtra ſed vt ſæuis releuarent pectora flammis,
Aut mihi cum Domina mutuus eſſet amor.
Tuncq; per amplexus felicis ſtamina vitæ
Duceret in longas Parca benigna moras.
Et cùm me fatis vrgeret inutilis ætas,
Ante rogum canis fleret amica comis.
Nam mihi quid prodeſt, primo quæ venit ab ortu
Diuite gaza rubri littore nata maris?
Quidue mihi prodeſt, fului quodcunq; metalli
Beſſus, & aurifera Dalmata fodit humo:
Aut prolata iuuant bellacis iura Gebennæ
Appuláque Hiſpana regna ſubacta manu?
Quid Getici decus, atque immẽſa potentia ſceptri,
Aut bello, aut placida gloria parta toga?
Nil leuat oppreſſam curarũ pondere mentem,
Si Venus auerſa negligat aure preces.
Sit mihi grata magis paupertas Cælia tecũ,
Quàm ſine te, totas quas habet orbis, opes.
At fatis adeò trahor in diuerſa malignis,
Vt tibi ſit curæ tantula cura meæ.
Tu facilis modò, difficilis modò, ſed meus idem
Perſtat, & aſſueto tramite pergit amor.
Viſa ſimul, ſimul ipſa cupita, ſimúlque dicaui
Libera ſeruitio pectora noſtra tuo.
Et me felicem dixi, dixíque beatum,
Qualis forma, fides ſi tibi talis erat.
Forma fidem ſuperat, ſitq; ipſa potentior, illa
Debilior, nobis illa, vel illa nocet.
Ah quantũ fidei, tantum quoque deme decoris,

Quæq; minor, minus eſt diminuenda tibi.
Sed quid diminuas? potius, rogo, quàm potes, auge,
Auctáq; ſupremos duret adúſque dies.
T[illegible] regna petã, nec quod mi[illegible] vbere lympha
Seu Pactole tua, ſeu Tage flaue tua.
Hæc aliis optanda, mihi tu Cælia tantum:
Non ſatis ad vultus orbis vterque tuos.
Quod ſi dura negas ſolitis contendere flammis,
Ante velim nobis ima dehiſcat humus.
Spéq; bona vacuus cunctos prius angar in annos,
Sub Phlegetonteo flebilis vmbra lacu.

Ad amicam ingratam.

I Nunc, & Dominæ famam molire perennem
Déque puellari ſcribe legenda fide.
Sæua decennalis preme nunc incendia flammæ,
Totq; ſub anguſto pectore damna tege.
Perfer, age huc illuc pro re quacunq; recurſa
Sedulus, & rubri ſelige dona maris.
Vt tua poſt facili laceretur epiſtola culpa,
Excluſúſque fleas noctibus ante fores,
Nec ſit adoratos oculos ſpes vlla videndi,
Et tua ſit nulla parte recepta fides.
Ah genus ingratum, & malefidũ fœmina nomen,
Quas neque certus amor, nec benefacta mouẽt.
Demens, qui meritis muliebria vincere corda
Sperat, & hæc longa demeruiſſe fide.
Non ita Threicio nubes Aquilone feruntur,

Non adeo ſegetes quolibet Eurus agit:
Vt rapit inſtabiles animi leuis ira puellas,
Tótque opus annorum diruit hora breuis.
Quoq; putas tranquilla magis ſuper æquora ferri,
Hoc minus eſt pelago, nauta, habenda fides.
Quis bene iam tenero poſthac confidat amori,
Si pretium exiliũ eſt poſt duo luſtra mihi?
Nec ſatis exilium eſt, quòd tam patienter amaui,
Quodq; meus nulla labe notatus amor.
Additur huic aliquid, quod me violentius angit,
Scilicet illa meis gaudet iniqua malis.
Illa meus quondam dolor, & mea ſola voluptas,
Quam penes eſt noſtri pectoris arbitrium.
Gaudeat illa magis, quò me magis aſpera torquet,
Dum modo torquenti fidus, amánſque vocer.
Sed neque iam fidũ, nec amantem perfida credit,
Dum putat his victum terga dediſſe malis.
Nec fruſtra: quis enim, quæ tot tolerauimus annos,
Perferat exigua, voce ſilente, mora?
Tu tamen ipſa animũ toties, experta fidelem,
Debueras de me pertimuiſſe nihil.
Dum tua cura parũ noſtris fuit ignibus impar,
Non tibi mens adeo plena timoris erat.
Quin mihi cuncta libens vni memorare ſolebas:
Vnus eram dominus, ſeruus & vnus eram.
Nunc ea cùm ſubitò & ſine cauſa flãma tepeſcat,
Non videor formæ dignus amore tuæ.
Sim licet indignus, decimo cur deſpicis anno?
Déque mea nuper conſulis ipſa fide?

Tunc me debueras abs te remouere furentem,
Cùm rudis in primo limine flamma fuit.
Non leue crimen erit, tumidas duxiſſe per vndas,
Remige mox nudam deſtituiſſe ratem.
Vt cupiã, vetat acta notus mea lintea retro,
Inſtat & vſque minus imperioſus Amor.
Crede mihi, non eſt aliquà ſanabile vulnus,
Quod videas annis conualuiſſe decem.
Serpit vti ſenſim bibulis noua flamma medullis,
Sic niſi per longas labitur aucta moras.
Omnia tentaui, ne me tuus vreret ignis,
Omnia tentantem ſæuius vſsit Amor.
Cauimus, effluerent ſub inerti tempora luxu,
Sæpius & longas cæpimus ire vias,
Sed tamen inceſſum per ſaxa Liguſtica fugi,
Transfugáque Ionium per mare vela dedi.
Seu cane prædabar ſaltus, ſeu retibus vndas,
Per vada, per ſiluas vſque ſecutus amor.
Quin ego (da veniam, ſic me dolor altus agebat)
Has alio volui pellere amore faces.
At ſimul vlla tuæ fuerat collata figuræ
Tum magis hoc ſeſe deuius auxit amor.
Incubuitq; domus curis, patriæq; regendæ:
Nec metuunt flãmas vrbsq; domúſque meas.
Mille tui ſpecies ſub mille laboribus offert,
Fingit in exitium quas puer ille meum.
Sæpius vt mediis animus mihi deſit in actis,
Nec videam ſano lumine ſi quid ago.
Et mihi præcipuè vis non fuit integra mentis,

Commiſi famulo cùm mea verba tuo.
Qui,licet ipſe mihi rear hunc vixiſſe merendo,
Ignibus arcanis non adhibendus erat.
Quid tamen,hos præter numeros,cõmiſimus illi?
Clauſit luniſera quos mea gemma nota?
Quid,quòd & occului fictis mea vulnera verbis
Vix,quæ feciſti, vulnera nota tibi.
Nil ego peccaui, potius rea pagina fati,
Illáque non fauſtis eruta cera fauis.
Quid loquor?ille ego ſum triſti dãnatus ab aſtro,
Te mea præcipitem littera fata trahunt,
Sorte mea,tu facta leui ludibria vento,
Inuideo pœnis attamen ipſe tuis.
Neſcio quid tibi dulce,manus dum ſcindit herilis,
Heu necat,& me non tangit amata manus.

De amica irata.

AT non blãda preces, at non dedit oſcula nobis,
At, puto,non nudo nuda recepta ſinu.
Et tamen vſque magis tigris velut aſpera ſæuit,
Nequitiæq; poteſt non meminiſſe ſuæ.
Vnde nouus menti furor incidit? vnde repente
Sunt data Lethæis gaudia tanta vadis?
An quia non artus,non pectora firma puellis
Humani generis finxit iniqua parens?
An potius leuibus tetigit præcordia flammis
Tempore non longo diſſimulandus amor?
Hoc equidem reor in longos ſic diſtulit annos,

Sic dedit euictum pæne coacta latus.
Verus amor, quodcunque moræ, quodcũque recuſat
Diſsidÿ, & ſtabiles imperat eſſe ſuos.
Non igitur fictæq; preces fictiq; furores,
Mendacéſque ioci, nec bene vera Venus.
Quòd ſi ita, falſa mihi non ſunt ea gaudia tanti,
Vt rediuiua miſer fata ſubire velim.
Quæ venit inuito, parui facienda voluptas,
Mens dantis meritũ grande, minúſque facit.
Vilius extorto munus præponderat auro
Dextera quod ſuperis grata, libénſque dedit.
Nempe ego ſi amplexus tibi, & oſcula reddere poſsim,
Omnia dicam habeas dura puella tibi.
O, prius acceptas valeam ſi reddere flammas
Liber ab ingrato quantus amore ferar.
Sed ſimul ac bibulis hæſit Cytheræa medullis,
Non bene poſſeſſa de ſtatione fugit.
Corpora nec tantum, ſenſus quoque dira perurit,
Et comes ad nigros pergit humanda rogos.
Tu quoque non ficte ſi me crudelis amaſſes,
Seruares pactã tempus in omne fidem.
Tu ne oblita Deos in fœdera ſancta vocatos?
Túne parum Veneris mutua furta facis?
Tu modo tam facilis, facta es Sipylëia cautes?
Aut quæ in Marpeſi vertice dura ſilex?
Non bene conueniens formæ rigor: exue mentem
Externam, & mores indue bella tuos.
Méne accenſa vides, quo lumine Penthea mater?

Et tibi in hoſtiles impetus ire genas?
Parce, per indefeſſa tui precor arma volucris,
Perq́; tuos oculos, ſidera clara meis.
Ille ego ſum, qui nuper eram tibi lumine vtroque
Carior, & præ quo ſordida cuncta tibi.
Quis ſontem, fateare precor, me fecerit error,
Vt veniam admiſſi deprecer ipſe mei.
Nil reor obijcies, méque in mea iura repones,
Rara, niſi a facto crimine, pœna venit.
Non ſine te mihi culpa, animũ regis, & regis artus,
Reijcienda in te crimina, ſiqua mea.
Túque, comæq́; tuæ, plectendáque lumina, & ille
Qui micat in roſeo plurimus ore decor.
Sed tibi parce, ſibi quis non ignoſcere curet?
Non coma, non oculus, formáue damna ferat.
His potius, dum te tempus ſinit, vtere donis,
Reſtituent nulli gaudia lapſa dies.
Inuitasq́; trahes frangenda in ſtamina Parcas,
Sic tenerum pectus cura ſeuera premit.
Mutua in extremam differ, rogo, fata ſenectam,
Nec differre labor non tolerandus: ames.

De ſua in amore infelicitate.

HOc erat, ignotæ quòd edebant pectora curæ,
Hoc erat, obſcœnæ quod ceciniſtis aues.
Hinc ea ſub lucẽ in ſomnis portenta videbam,
Tum male ter ſalſa fruge piata mihi.
Iam quater infelix cecidi: cui fata reſeruant

Supplicio? non hæc ſuſtinuiſſe ſat eſt?
Si nihil in melius referunt mea ſidera, quid nunc,
Quid moror inuitum trans mare ferre pedem?
Quis timor vndæ, ſi tentare pericula ponti?
Fluctiſonas viuam naufragus inter aquas.
Tot lacrymis flãmæ non conceſſere furentes,
Vaſta nec has gelidi ſupprimat vnda maris.
Quin ſatius Tanais glaciem potare niueſi,
Illitáque hyberni tela timere Getæ,
Quàm tacitos inter gemitus, tacitũq; dolorem,
Exilium toties, exitiúmque pati.
Ire adeo longè libet, vt non ipſa ſequatur
Anxia de noſtra fama futura nece.
Arcanos vbi ſit fas prodere voce dolores,
Et mala, quæ conſtans per duo luſtra tuli.
Forſitan hic aliquis ſortem miſeratus iniquam,
Tentabit fletus diminuiſſe meos.
Aut ſacer, & dura genitus ſub rupe Promethei
Vulnifico pœnas finiet enſe graues.
Nũc neq; noſtra memor ſceleris circũuolet vmbra,
Nec precer huic reddant numina iuſta vices.
Læſerit ipſe minus, quã quæ me amat, vrit & angit
Tam magis hæc in ſe, quàm magis extat amor.
Non adeo magnum præ ſe ferat illa calorem,
Non adeo magnus, quo premor, ignis erit.
Tam bona liuor edax abrumpere vincula tentat,
Et faciet, ſi non celet vterque faces.
Ah ſatis, ah miſeri fruſtra occultauimus ignes,
Iam puto contulerit bella mouere palam.

Sæuius incluſæ rapiunt præcordia flammæ,
Mitius ex curſu liberiore premunt.
Tum liceat ſaltem de te mihi plurima fari,
Sollicitus ſando ſæpe leuatur amor.
Forſitan & noſtros genitrix miſerata furores,
Non tibi, ſit quamuis dura, negabit opem.
Sæpius indulget nato pia Mater amori,
Et recolit, ſiquas pertulit ipſa faces.
Verba rudem, nutuſq́; docet, quibus vtat amantẽ,
Aptáque delitiis tempora cauta legit.
O tibi non aliam contingat habere parentem,
Aurea quæ nobis conſuluiſſe velit.
Quæ tibi me ducat furtim, & tua gaudia curet,
Et paret ambobus clam taciturna torum.
Et vocet ante diem laſſos, iteratáque ſoluat
Oſcula, & in tenebris præuia monſtret iter.
Iamq́; recedenti te commendare laboret,
Et moneat, qualis pœna ſit iſta loqui.
Hanc ego tunc ſtudeam verſu laudare perenni,
Hanc ſequar, huic Arabum munera rara ferã.
Atque vbi iam ſenio longos expleuerit annos,
Accipiet noſtra dona ſuprema manu.
Primus in exequiis lugubri carmine laudes
Exequar ad mæſtas mæſtus & ipſe nurus.
At tibi rorantes tergam ſolator ocellos,
Oſculáque in mediis fletibus apta dabo.
Inde nouis pergam tumulo dare ſerta Kalendis,
Et noua funereis liba adolere focis.
At mihi quæ fingo demens, rapit irrita ventus,

Et magis Hircana trigide ſæuit anus.
Nec ſcit adhuc quæ cauſa meos accenderit ignes,
Dum timet ancillæ Parthenopæa tuæ.
Aut timet, aut illi ſimulat peruerſa timere
Exilium, quouis acta timore dedit.
Non erit ergo mihi poſthac cariſsima tecum
Ludere? non animum paſcere? non oculos?
Hæc ne mihi quondam de te ſperanda fuere
Gaudia, cùm facie mens mea capta tua eſt?
Totq; dies, totq; incaſſum conſumpſimus annos?
Vix tanti Danais ipſa Lacæna fuit.
Hæcne Venus, poſt bella bonus fert præmia miles?
Nemo tuo poſthac ære merere velit.
Non tamen efficies vnquã, vt data ſigna relinquã,
Noſtra tua non eſt labe notanda fides.
Seu mihi terra magis, ſeu ſit magis æquor arandũ
Teſtis erit fidei terra, fretumq; meæ.
Tu quoque per magnos ſerues data fœdera diuos,
Exilióque fleas cara puella meo.
Flebis, non riget in tenero tibi pectore ferrũ,
Non tamen (heu) non es noſtra futura diu.
Ite pedes, patria non amplius vrbe morandum eſt,
Ite, animi virtus; frangitur illa mei.
Cùm bene pertulerit furias ratis ærea ponti,
Sæpius in breuibus victa fatiſcit aquis.
Ille ego, qui potui tot triſtia ferre tot annos,
Has Veneris fateor non tolerare vices.
Vita vale, valeatq; pater, valeantq; ſodales,
Soláque feruoris conſcia rura mei.

Voſq; meæ lauri, vos qua licet, vſque cauete,
Ne pateat veſtro cortice cæſus amor.
Creſcite, decreſcantq; notæ, procul omnis abeſto
Littera, dum libro ſubueniente perit.
At tu Bembe meos, quem non celare calores
Debueram, tanti ſemina diſce mali.
Fas vni tibi noſſe decem quæ me vſſerit annos,
Quæq; meo iuſſit corde latere faces.
Hanc tamen obteſtor, ne te ſciat indice quiſquam,
Grata tibi ſeruet ſic Teleſilla fidem.
Sic mihi, quæ dixti, cunctos celentur in annos,
Nullaq; non felix ſic eat hora tibi.
Eloquar? an ſileam? quis adhuc timor? vrimur illa,
Nomine quæ ficto dicta Creuſa tibi.
Cuius & ingeniũ, & mores, formamq; probabas,
Hei mihi quantum illis laudibus ignis erat.
Vix bene finieram ſextæ trieteridis annos,
Cùm rapidus teneris oſſibus hæſit amor.
Illa quoque incaluit ſenſim, ſed apertius arſit,
Vix mihi poſt longos prodita flamma dies.
Huic neque pellaces miſi de more tabellas,
Nec quicquam de me conſcia lena dedit.
Tantum lingua, oculiq; duces in amore fuere,
Tempus ad hoc potuit mutua flamma tegi.
Quò magis occuluit ſeſe Deus, hoc magis vſſit,
Non tua ſic clauſis æſtuat Æthna iugis.
Hac tot dura tenus, ſed iam grauiora fatigant,
Me procul a domina ſæua relegat anus.
Imus, at immeritum precor vlciſcare dolorem,

Quā potes huic laqueos, inſidiasq́; para.
Litem habet, hāc longos ſtudeas differre per annos,
Erret, & alterius limen, opémque petat.
Dum volat huc, illuc, ſupplantes obuius illam,
Et ſimulans lapſam tollere velle, premas.
Dúmque domum repetet, tunicas informes, & ora,
Illudas càpiti qualibet arte malo.
Nec minus abrūpant crepitantia tympana ſomnos,
Pro domina & pœnas iſta feneſtra luat.
Quin adeo meritam poſt vltima fata laceſſe,
Deſpue in extructa noxia membra pyra.
Sulfura pro coſto feralibus iniice flammis,
Sulfura nec tantum, ſed male quicquid olet.
Nec Phario madeant exuſta cadauera ſucco,
Meiat in ardentes ſaga profana rogos.
Sibilet empta tibi, & cineres ſuper accubet anguis,
Et ſere pro violis ante ſepulcra rubos,
Poſt nocuum infamet prægrandis littera buſtum,
Lumine quàm curſor prætereunte legat.
Hìc anus, egregium quæ ſæua premebat amantem,
Quiſquis amas, ſontem deuoue, & oſſa preme.
Perſequar ipſe truces per regna ſilentia manes,
Si modò ſurda mihi fata perire dabunt.

Se duas pariter amare.

An mihi cara Nape magis ? an mage cara Neæra?
Cara Nape mihi eſt, cara Neæra mihi.
Vtraque cara æque eſt, ipſe æquè carus vtrique,
Illa, vel illa meis carior eſt oculis.
Nunc ego totus in hac viuo, nunc totus in illa,
Viuo in vtraque ſimul, vtraq; mi vna, eadem eſt.
Baſia iunge Neæra, Nape quoque baſia iunget:
Quódque Nape dederis, pulcra Neæra dabit.

De Callirhoe, quæ viua ſepulta eſt.

Bis vixit ſemel orta, bis hoc compoſta ſepulcro eſt
Poſt ſua Callirhoe funera facta parens.
Fœta erat: exanimis tumulatur: at excita partu
Poſcit opem: eruitur: mox parit, atque perit.

De Amore & Laura.

Vidit Amor Lauram, *& matrem ratus, oſcula iunxit,*
Oſcula quæ miſto toxica melle ferunt.
Vſſit, & exarſit. flammaq; haud gnarus acerbum
Fleuit, & in pharetra credidit eſſe dolos.
Conuoluit calamos: nullus reus à rea dixit
Mater, in hoc omnes vulnere es vlta faces.

Ad Lauram.

In me dum vixti, vixi in te Laura, ſed in me
Cùm iam non viuas amplius, emorior.

In Pana, & Amorem certantes.

Pan & Amor quondam lucta certare volētes
Deponunt calamos ille, vel ille ſacros.
Hic onus alarum, uilloſæ nebridos ille,
Proiicit hic arcus, proiicit ille pedum.
Tum liquido exutos artus perfundit oliuo,
Cecropiæque modum ſeruat vterque Pales.
Conſeruere manus totis conatibus ambo,
Robore Pan fidens, dexteritate puer.
Aſpera pugna fuit, primiſque aſſultibus anceps,
Nunc Pana aiebant vincere, nunc puerum.
At demum elato prenſauit cornua ſaltu,
Panáque, qui vincit omnia, vicit Amor.

De Hippolyta & Callimacho.

Ruperat Hippolytæ data fœdera patre coactus
Aemiliam vxorem ducere Callimachus.
Illa furit, ſed diſsimulat, noctemque cupitam
Pollicita incautum tranſadigit gladio.
Et ſpectante illo (quid non muliebria cogit
Corda Amor?) vſa ſua dextera, & enſe perit.

Non graue obire proco, ſed non obiiſſe repente:
Non doluit proprio vulnere, ſed Dominæ.

De Laocoonte.

Non temere antetulit ſtatuis priſca omnibus ætas
Cælatum triplici Loacoonta manu.
En geminus natis patrẽ implicat anguis, & vnus
Sibilat, & ſæuit, flétque, gemítque lapis.
Si labor hoc auſus mortali excudere ferro,
Mirum tam longo non ſenuiſſe ſitu.
Sin dedit hoc Pallas, quid adhuc Phrygas angit? Iulo
Præſide, fas ne vlli lædere Roma tuos?

Ad Lodouicum Pictorium Poetam.

Et Phœbum, caſtáſque doces Lodouice ſorores
Salſa verecundo verba lepore loqui,
Vlla nec in toto prurit laſciuia libro,
Pagina non minus eſt quàm tibi vita proba.

Ad Cœliam.

Tam cito diſsidium poſt gaudia Cœlia nobis,
Tam cito poſt ipſum gaudia diſsidium.
Vt mihi ſit metuenda tui magis aura ſereni,
Quàm perturbatæ nubila frontis hiems.

Sperat enim a grauibus pacem mens anxia rixis,
At mala de placida iurgia pace timet.

Ad diuam Lucretiam.

Tam bene quod teneas numeros non Borgia mirum eſt
Vnica ſi numeros, vnde elementa facis.
Muneris eſt iubar omne tui: ſiſtiſq; cieſq;,
Cùm libet, e magno ſemina nata chao.
Cauſarum tu cauſa, in te deprehenditur ipſe
Iuppiter: vna creas omnia & vna beas.

Epitaphium Hippolytæ Caſſonæ.

Hoc tuus Hippolyte ponit tibi marmor Iulus
Taſſonæ primus nobilitatis honor.
Meq;, ait, hoc non te coniux tego. mens mea buſto
Clauſa tuo, membris viuis at ipſa meis.

In Cupidinem marmoreum ſuper Leonis ſpolio dormientem, ad diuam Lucretiam.

Ecce Cleonei ſubſtrata pelle Leonis
Languidus in duro marmore torpet Amor.
Eſtq; impune faces propè cernere, telaq; & arcus,
Tangereq; appoſita pectora nuda manu.
Segnitiæ nec cauſa ſopor, ſed in Hercule, dum ſe

Iactat, & ora feræ ſanguinolenta refert.
Riſit, in elatum detorquens ſidera frontis
Borgia, queis animi vis domita illa trucis:
Procubuitq; puer, faſſus nihil eſſe quod obſtet
Arma vbi iuncta decens forma, pudórque mouent.

In eundem.

Parcite ſopiti tractare Cupidinis arma:
Borgia cuſtodit, próque iacente ferit.

De eodem.

Forte Cleonei ſubſtrauerat horrida, monſtri,
Hercule quæ victo terga gerebat Amor.
Seq́; faceſq́; ſuper ſpolio, calamiſq́; locarat,
Victrici recolens parta trophæa manu.
(Res noua) Borgiados cum luce potentis ocelli,
Terga, puer, faculæ, teláque facta lapis.

Ad Bembum.

Tecum habita, vt viuas: alibi quicunq; moratur,
Non viuit vita eſt viuere Bembe ſibi.

Ad Carolos Agnellos.

O cari mihi Caroli ſodales,

In meretricem.

Paſiphae taurum Vacca decepit acerna:
Flameolo, plus eſt, decipis ipſa homines.
Lena tibi es, ſtatuiſque locum, tempuſq; modũq;,
Inde vice alterius gaudia falſa ſubis.
Tum cata diſsimulas, vocémq; genúſq;, domúmq;,
Et pauidæ vultus virginis inſtar agis.
Vt dolus eſt diſpar, diſpar tibi Dædalus: illi
Cũ boue, res cum homine eſt callidiore tibi.
Græcia ſuppoſitam ſileas pro virgine ceruam,
Vacca hîc pro pura virgine ſuppoſita eſt.

Ad Amicam.

Si modo ſauiolum ſineres me ſumere, & inde
Dulce magis dulci ſumere ſauiolo.
Pollicitus ſum magna tibi, quæ parua putaſti,
Noſtra ferens nullam verba habitura fidem.
Quare age, iam rurſum tibi conſule, quæ mihi nec ſint,
Nec fuerint, poſſent & minus eſſe, dabo.

Ad Cælium Calcagninum.

Cæli, qui numeros Catullianos
Calles tam bene quàm Catullus, iſtum

Qualemcunque, precor, fuges timorem,
Ne noſtrum metuas ſubire naſum.
Tam ſcitam, & lepidam locutionem
Auſit nemo loquax, dicaculúſque
Ronchus perſequi, & inquinare morſu:
At quantò minus Hercules timendus
Nulli noxius, omnibus benignus?

De Beatrice Nolana, quam Ambroſius Leo Nolanus adamauit.

Vnica quæ fuerat, nunc eſt mihi trina Beatrix,
Hanc Deus, hanc vates, hãc dedit arte manus.
Quæ formata Deo, cùm noſtris aſpera votis
Staret, ab Aonio eſt altera picta choro.
Hac augente magis ſine corpore corporis æſtus,
Tertia Palladio eſt picta magiſterio.
Hæc mihi tota datur: Paphiis licet oribus ora
Nectere, & ambroſiis pectora pectoribus.
Vox caret vna, ſua quòd ſi reſpondeat Echo,
Naturæ hoc rarum nemo negarit opus.
Sed vox nulla iuuat, rigida nam voce petenti
Non daret: at ſi vox non erit vlla, dabit.

Epitaphium pro Ioanne Pico Mirandula.

Ioannes iacet hîc Mirandula, cetera norunt
Et Tagus, & Ganges, forſan & Antipodes.

Pro eodem.

Hic ſitus eſt Picus, cuius ſi cuncta periſſent,
Virtutum ſeptem vix ſat erant tumuli.

Pro Angelo Politiano.

Quis Lycias ſortes, quis Phthiæ carmina vatis,
Tranſmiſſos Delo quis neget huc Tripodas?
Quippe hic aßiduè Phœbus, Muſæq; parentant,
Et caros lacrymis ſæpe lauant cineres.
Quin ſi fata velint, tegerentur numina, ſub qua
Angelus obdormit Politianus humo.

In Heluonem.

Sæpe bibis, quò ſæpe vomas, & ſæpe voracem
Diſtendas miſeri corporis ingluuiem.
Quin ſi fortè tenax ſtomacho cibus hæſerit, hunc vel
Dextra, vel in fauces indita penna ciet.
Tanquam ſis genitus perdenda ad vina nec vlli
Te natura aliȷ̈ finxerit officio.
O dignum laqueo facinus, quodcunque voratur,
Turpiter ingeritur, turpius egeritur.

In amorem furem.

Dum Veneris puer alueolos furatur Hymetti,
Furanti digitum cuſpide fixit apis.

Indoluit grauiter, pueriliáque ora rigauit
Fletibus, & matri ſpicula queſtus, ait:
Vnde hæ tantillis vires animantibus? vnde
Exili poſſunt lædere aculeolo?
Cui dea ſubridens inquit, non tu quoque nate
Corpore non magno, vulnera magna facis?

In Lycarmum furem.

Suſpendendus erat Phœbo redeunte Lycarmus,
Furcam alius ſero veſpere fur rapuit.
Quid ſonti ſperare nefas, ſi turpia furta
Quod dederant laqueo ſurripuere caput?

TITI STROZAE.

Ad Antonium.

ACcipe inauditi formã maris, & mea quali
Cymba ſit Antoni *ſtructa magiſterio.*
Vnda hic ſunt lacrymæ, venti ſuſpiria, remi
Vota, error velum mens malè ſana ratis.
Spes temo, curæ comites, conſtantia amoris
Eſt malus, dolor eſt anchora, nauita Amor.
Adde, quòd eſt portus reliquis maribus: mare noſtrũ
Non tantũ portu, ſed ſtatione caret.

Tumulus Gineuræ Caſtellæ.

Clara bonis animi, naturæ prædita cunctis
Dotibus, hic leto rapta Gineura iaces.
Vir tibi Caſtellus, pleno ſimul omnia quo tu
Optima ſucceſſu conſequerere, fuit.
Egiſtis dulces animis concordibus annos,
Et vos vnus amor iunxit, & vna fides.
Hoc ſine (quis credat?) tu cælum inuita petiiti
Hic ſine te infelix viuere poſſe negat.

De quadam, que per errorem nupſit filio.

Vir, coniux, genitrix, natus fratérque, ſorórque
Hic duo, ſint quanuis nomina plura iacent.
Error enim ſceleri cauſam dedit, inſcia nupſit
Illi, quem peperit filia miſta patri.

De Mathillo.

Ridicula ex omni ſe parte effuderat in te
Simplicitas, domino grata Mathille tuo.
Nil bene, nil per te geſtum male, nil tibi laudis
Nil ignominiæ vitáve mórſve tulit.
Si tua nec cælo clementia digna, nec vmbras
Accipit inſontes regia Ditis, vbi es?

De Hermione.

Formoſam Hermionem ſenior Lucilius ardet,
Hunc veluti ſanctum diligit illa patrem.
Poſcenti, quod amans iuuenis cupit, eia age mecū
Blandè, inquit, volo te viuere, noli mori.

Ad Bembum, de Lucretia.

Si mutatur in X. C. tertia nominis huius
Littera, lux, *fiet, quod modo* luc *fuerat.*
Retia *ſubſequitur, cui tu* hæc *ſubiunge,* paratq́;
Subſcribens. lux hæc retia, Bembe, parat.

Ad Lucretiam.

Cui non cōſpecta es, miſer eſt: qui te aſpicit, hic ſe
Addictum innumeris mortibus eſſe ſciat.
O rem incredibilem, quam perditus ipſe tot annos
Experior, ſortem hanc nec tolerare piget.
Et viuo, & morior: nec mortes ipſe recuſem
Mille pati, vt poßim te ſemel aſpicere.

De Lyſide à filio occiſa.

Vulnere de nati moriens, non Lyſida poſt hac,
Sed me Turdellam dicite, Lyſis ait.
Egeſto laqueum, mortemq́; miſerrima viſco
Arboris in ramis præparat illa ſibi.
Sic ipſa exitium peperi mihi. Numina partus
Infandi pœnas me voluere pati.

De vacca Myronis.

Naturam atque artem in vacca petiiſſe Myronis
Partem aiunt, morem geßit vtrique Myro.
Qui vaccam ſpectet, natura hanc protulit, inquit
At ſi contigerit, dixerit artis opus.

De Roſa Lucretiæ.

Vnde tibi nulla color hic imitabilis arte,
Vnde odor? vnde tibi gratia tanta roſa eſt?
Téne Dicarcheis genitrix tua nutriit oris,
Num Pæſtanus ager miſit, an Hybla tulit?
Num tu floriferis in odoræ vallibus Ennæ
Orta, vel Oebalij germine nata ſoli?
Num te aluit Cypros, num Gnoſia terra, Cilixve
Tmolus? an innumeri diues odoris Arabs?
Num te Nauſicaë patrijs collegit in hortis?
Sanguine num tinxit te Cytherea ſuò?
Nil horum: tibi ſors felicior obtigit; o quam
Excellis dominæ pollice carpta meæ.
Illa tibi libans fragrantibus oſcula labris,
Egregium a nobis hoc decus inquit habe.

CARDINALIS BOBÆ.
Ad Carolum Sabaudiæ Principem, in obitu matris.

Tandem querelis pone modum tuis:
Et matris vltrò ſidereas domos
Tenentis, incaſſum quietos
Deſine ſollicitare manes.
Conſtanter actæ non ſine gloria
Vitæ innocentis, præmia nunc capit:
Et læta poſt multos labores
Colloquiis fruitur Deorum.
Perſpectus almæ iam ſatis eſt tuus
Dolor parenti: Carole turgidos
Abſterge ocellos, & iubenti
Cede volens generoſe fato.
Fletus inanes comprime, & inclyta.
Hac ſtirpe dignos indue ſpiritus
Et mente cælorum virili,
Diſce puer penetrare ſedes.
Inſigne mater, quam properè nimis
Nobis adeptam conquereris,
Virtutis èxemplum reliqt,
Quod ſtudio mediteris omni,
Prognata Regum ſanguine Galliæ
Latè patentis, quo nihil aſpice
Illuſtrius quacunque terras

Phœbus obit radiante curru.
Non illa claro nomine regio
Contenta vixit, ſed proprias ſibi
Adiunxit artes, queîs piorum
Piæ eriijt bene facta patrum.
Illi voluptas, & ſtudium fuit
Placere Chriſto: hunc viribus omnibus
Sequuta terrenas Virago
Delitias animo pudico.
Se maior ipſa preſſit: egentium
Proſpexit, auri prodiga commodis
Solerte cura, quæ repoſt is
Diuitiis potiora duxit.
Virtute prauos continuit ſua:
Bonósque ſummis auxit honoribus,
Vultu ſereno mitis æquè,
Iuſtitiæq; ſeuera vindex.
His illa cælum poſsidet artibus
Felix eisdem te tenerum cupit.
Formare pectus, quod regendis
Ipſe Deus populis creauit
Hoc orat illa hoc numina ſedulo
Poſcit, tuarum maxima Carole
Tutela rerum: Tu parentis
Vince piis pia vota factis.
Quo caſtra ponas, quo ſuperes modo
Hoſtes, ſagacem quid doceat Ducem,
Belliq; fortunam triumphis
Conſpicuus genitor docebit.

ANTONII VACCAE AD IOANNEM MORONUM CARDINALEM AMpliſſ: quo die Apoſtolica functus legatione Genuenſium rebus compoſitis Romam rediens conſiſtorio plublico exceptus eſt.

NEc facie abſimilis, nec corde & ſenſibus altis
Delectus ut Moſes Deo.
Terribilis poſtquam fratrem ſibi iunxerat Aron,
Rara futurum gloria,
Ceruices duræ exegit ceu ſub iuga tauros
Ex legibus leges ferens
Iudæis, longa quos ſeruitute leuatos
Traduxit & Rubrum Mare
Signa per innumera, & rerum miracula victor
Merſis profundo Ægyptijs,
Acceptas leges ſublimi in vertice montis
Dextraq; conſcriptas Dei:
Strenuus id modo agens, optata ut pace locatos
Certæ quieti redderet
In terram tantùm non lacte & melle fluentem

Priſcis

Priſcis ſtatutam patribus,
Ille quidem haud voti compos, at certior vſq;
DEVM ſciens non fallere:
Sictu, MORONE Italiæ, & ſpes maxima Romæ,
Iunctis tibi his heroibus,
Quos opus in tantum legit ſapientia Regum
Virtute plenos & fide,
Romana ab ſede vt cælo demiſſus ab alto
Aut monte ſupremo Sina
Turbatam Ligurum formaſti legibus vrbem,
Et ſuſtuliſti noxia,
Atq; ſalutifera induxti. Queis rebus agendis
Quantum laboris ſumpſeris,
Quantum rettuleris decorum laudiſq; perennis,
Quod fama & aſtris inſerat,
Id vox effari non lingua humana potis ſit.
Præcone diuino & tuba.
Cæleſti his opus eſt, opera vt diuina patrantur
Non abſq; cœli numine,
Scilicet auxilio Paracleti ſpiritus almi,
Spirat qui opem quò vult ſuam:
Sancto & Concilio vt quondam magnóque peracto
Curante id inclytum te opus.
Ergo ipſi tibi iam ciues Ligureſq; potentes,
Reges verendi ac pontifex
Supremus Pater ipſe Italûm patriaq; patrúmque
Romanus orbis quos habet,

Barbarica abs te erepta manu tua ſtare per arma,
Et rupiſſe iugum ſæpe Itala terra nefandum.
Nec tibi cura minor placidis impendere Muſis
Otia, & egregias animum coluiſſe per artes,
Cui neq; par quiſquam ingenio, nec mēte repertus
Sublimi æqualis fuerit, non munera doctus,
Te viuo fruſtra optauit, nec fortis honorem.
Salue animi Rex inuicti: te nulla ſilebunt
Secula, dum lato ſtabit terra ardua ponto.

Errata.

Fol. 3. *linea* 15. *herbida* 11. *b.* 18. Ergo 26. Hic 12. 7. *ſolum*
22. *iuuenúmque* 29. *quaſcunque* 14.*b.* 19. *ad* 17. 9. Callirhoë
26. *b.* 23.*mota* 31.1. *imbréſque* 38. *b.* 25. *cōſumta.* 39.*b.* 16.
fidus 43.*b.* 14. *habebere* 49. 20. *quales b.* 3. *fruſta* 59. 15. *li-
quidi* 21. *captu b.* 17. Grandior 22. Exſudans 60. *b.* 6. *filia.*
62. *b.* 2. *inlicitam* 78. 13. *vicibus* 79. *b.* 18. *canis* 91. *b.* 5.
Plorat 94. 4. *vlua* 95. 11. *qui b.* 15. *amantes* 100. *b.* 18.
Atque 101. 20. Calliopea 102. 8. Si 105. 17. *nomine* 108.*b.* 1.
erant. 111.*b.* 22. Illis 114. *vlt. bis repone,quid quod* 121. *b.*1.
ſuffragiis 122. *b.* 19. Semibulca 125. 7. *fui* 127.5. *permolebant*
128. 17. Iessea 129. *antep. quem* 132. *b.* 17. *errant* 133. *b.* 8.
inanem 134. 4. *euadere* 11. *eiectum b.* 6. *gradu.* 135. 6. *extis*
139. *b.* 7. Acre 8. *obſtantes* 14. *coruſcant* 137. Inſcius 138.
hæſit 139. 1. *grati* 11. *pugnæ* 16. *refutat* 140. 26. *infeſtas* 142.
b. Vmbræ arces 15. *quæ* 143. 22. *ille?* 144. 7. *potes* 149. 17.
diu 151. *b.* 10. *tam iudicans* 155. 19. *ſunt* 162. *b.* 8. *apes*
163. *b.* 2. *ſis* 171. 3. *laborarunt.* 174. 11. *ſic. b.* 24. *acquieſco*
174. *b.* 6 *pueri* 180. 17. *tumentibus* 184. 18. *exprobrat* 85. *b.*
24. *ſuráſque* 187. *pen.* Tu *flores* 188 4. Migrate 191. 5. *aſtitit*
193. *b.* 3. *leui* 17. *adnitens* 19 Argoa 195. *b.* 12. *ora* 197. *b.*
13 Omina 22. *paucis verbis &* 198. 5. *ſcombri, pernæ,* 99. 23.
Deliciis *capitur* 219 *b.* 9. Te *ſimul ac* 227.*b.* 17. Impelles 228. 12.
tum? 25. *bella. b.* 2. *peragrant* 230. 1. *impulit ignis* 233. 5.
Henricus. 6. *mundi vt* 15. Dryadum 236. *b.* 24. *pennis* 238. 8.
Tez 43. 3. *cum Muſis nihil* 26. Arcúſque 6. 12. *dele quia* 253. *b.*
8. *puellæ* 19. *officerent,* 255. 16. *victor* 258. *b.* 18. Erycina
259. 1. *dixit* 264. *b.* 29. *illa* 272.*b. penul. artubus* 285. 5. *ro-
bora* 294. *b.* 17. *niueam* 302. *b.* 6. *&* 8. *decedentibus* 304 16.
ſibi. Primi *tomi fol.* 256. *b.* 20. *pro dicunt lege ferunt.*

LECTORI.

Ne te deterreat erratorum multitudo: ſunt enim plæraque leuia, pote in quibus litera vna pro alia eſt ſubſtituta, quæ vel a ſemidoctis facile deprehendantur. Voluimus tamen ipſis etiam rudioribus conſulere in hoc ſecũdo Tomo, quod in primo ita accuratè non præſtitimus. Tu humane lector ignoſces operarum Typographicarum inſcitiæ: a qua ne Argus quidem, qui totus oculeus fuit, ſatis caueret: præſertim in exemplis prauè deſcriptis, & perturbatis, vt hæc noſtra neceſſariò fuerunt. Alio qui ſcito a nobis erratorum myriadas fuiſſe perpurgatas, quæ in aliis editionibus ſanè non ferenda fuerunt, vt planè diuinandum fuerit. Nam, vt de vna tantum editione loquar, Horti tres Armorũ in Germania impreſsi ſunt adeo deprauati, vt liquidò tibi adiurem, ipſos autores. Si legant, vix ſua poëmata agnituros. Ea verò quæ nos ex iis ſelegimus, quàm ſint a nobis feliciter reſtituta animaduertes comparatione, ſi voles. Puncta perperam collocata, quia res erat minimi negotij, tibi reſtituenda reliquimus. Vale.

Theologorum Pariſienſium approbatio.

Nos ſubſcripti Doctores Theologi teſtamur Carmina illuſtrium Poëtarum Italorum a Io. Ma. Toſcano ſelecta nihil continere a fide catholica & Romana alienum. Pariſijs die 14. Octobris 1576.

G. Genebrard.
N. Derronceau.

A01 1465206